




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

1. 6. 98

1B.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

1.6.98


A

Antonij Francisci de Marmis ad usum.
1606. imò 1603.

VII
SEREN. SAM
de Medicina
c. com. HUMELB

Ex legato D. Equitis Antonii
Francisci de Marmis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

1.6.98

B I

QVINTI SERENI Sammonici Poetæ

& medici clariſſimi, de re medica ſiue morborum curationibus liber tum ele gans tum humanæ ſaluti perquàm utilis, & diligenter emendatus.

ITEM

Gabrielis Humelbergij Rauenſpurgenſis, medici, in Q. Sereni librum medicinalem, Commentarij.





TIGVRI. M. D. XL.

G. H. R. M.

QVINTVS apollinea qui claruit arte SERENVS,
En tibi adeſt uates nobilis & medicus.
Corporis humani tetros depellere morbos,
Et ualidum robur qui reparare docet.
Ergo quiſquis aues morbos auertere ſæuos
Membris confectis, hunc eme, pellegito.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

IOACHIMI EGELLII RAuenſpurgenſis medici Endecaſyllabum.

INTER tot bona, quæ Deus ſuperne
Donat munera, ſanitas uel ipſo
Momo iudice, principem meretur
Laudem, Nam ſatis eſt ſuperq́ꝫ diues,
Clarus, nobilis, eloquens, uenuſtus,
Quiſquis corpore uiribusq́ꝫ pollet.
Contra, quem grauior, ferociorq́ꝫ
Morbus lancinat, omnibus licebit
Late diuitijs abundet ille,
Eſt pauper nihilominus, miſerq́ꝫ
Vt qui perpetuo dolore, cuncta
In lecto mala perferat ſupinus.
Quare rebus in omnibus diætam
Vt, noxa ſine, uictitare longum
Poſſis, præſtiterit bonam tenere,
Et languoribus obrutum uigorem
Doctis præſidijs, ſalubribusq́ꝫ
Paſſim SAMMONICI leuare QVINTI,
Quem nuper carie, ſituq́ꝫ fœdum
HVMELBERGIVS ille clinicorum
Ornatiſſimus expoliuit, auxit,
Illum candide perlegas amice,
Nam frugi liber eſt, ſalutiferq́ꝫ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

PRVDENTISSIMO CIVITATIS ISNENSIS SENATVI, GAbriel Humelbergius Rauenspurgensis, medicus. S. D.



VINTVM SERENVM DE MORBORVM remedijs pridem à me castigatum & Commentario expositum calchographorum typis excudendũ daturus, summopere conuenire mihi uisum est, ut alicuius auspicio in hominum manus exiret. Cogitanti autem cui tam nobilis medicus potius dicaretur quàm prudentiæ uestræ, uiri consultißimi, melius se non offerebat consilium, idq; multis etiam nominibus: & in primis quidẽ, tum quo uestro munitus patrocinio tutior in lucem prodiret & ita legentibus commendatior redderetur, tum ut pro bene meritis hucusq; in me collatis gratiam aliquam referrem, & beneuolam erga me uoluntatem uestram & animum, licet aliâs pronum & perpromptum, plus mihi demererer. Hunc autem, cum locis aliquot subobscurior & nõ omnibus adeo patens & peruius uideretur, operæprecium duxi interpretandum & Commentario illustrandum, quo legentibus nõ quidem eruditis & doctis, sed rudioribus tantum consulerem, & faciliorem dictorum intelligentiã traderem, ut si quando ipsos corporali aliqua infirmitate molestari contingeret, haberent quo facilius sibi consulere, & salutaria ad morbos amoliendos, sanitatemq; deperditam recuperandam promptius desumere possent medicamẽta. Quod medicinæ, quæ cæteris artibus omnibus præstat, testante Hippocrate, officiũ est præcipuũ. Hæc enim munere suo fungens, uel incolumia corpora ne in morbos incidant, præcauet atq; præseruat, sanitatẽ quo ad potest tuendo & cõseruando: uel, quæ pars est potior, in deterius iã lapsa & ægrotantia, morbisq; uicta, ipsos propulsando eliminandoq; pristino uigori & sanitati restituit, ceu breuiuscule hoc disticho expreßimus:

> Quam DEVS ipse dedit medicam mortalibus artem,
> Aegrotos sanat, seruat & incolumes.

Harum itaq; alteram, & maxime quæ morbis amoliendis operam suam delegat, præsenti carmine tum docto & eleganti tum mortalibus maxime utili, tradit & edocet nos SERENVS, uir multæ ac uariæ eruditionis & doctrinæ, cuius mentionem facit Macrobius libro Saturnalium tertio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

dum ait: Nam repperi in libro V, reconditorum SAMMONICI SERENI utrunq; carmen, quod ille se in cuiusdam FVRII uetustißimo libro repperisse professus est. Hunc Terentianus egregium ac nobilem facit poetam, & quidem Lyricum: inter quos etiam diuus Hieronymus cũ connumerat dum ad Paulinum ita scribit: Dauid Simonides noster, Pindarus & Alcæus, Flaccus quoq;, Catullus & SERENVS, Christum lyra personat, & in decachordo psalterio ab inferis suscitat resurgentem. Huius quæ plurima conscripsit opuscula citant pluribus in locis multi, ceu Nonius Marcellus, Marcianus Capella & alij. Fuit autem Gordiani iunioris præceptor, illumq; usq; adeo dilexit, ut bibliothecam illi suam duum & sexaginta millium uoluminum testamento legauerit, uti traditur ab Aelio Spartiano, qui etiam inter alia ubi de Caracallæ truculentia scribit, sic infit: Occisi sunt & in balneis plures & in cœnis, inter quos SAMMONICVS SERENVS, cuius libri plurimi ad doctrinam extant. Superest hodie carmen hoc de morborum remedijs. SERENVM itaq; à tam multis tum doctis tum pijs atq; summis laudatum uiris, unà cum Commentarijs nostris in honorem uestrum & commodum prodeuntẽ benigna fronte, serenoq; uultu atq; animo candido synceroq; suscipite, & à Zoilis ipsis ac inuidorum impetu, linguisq; uirulentis defendite. Vestro enim patrocinio muniti prodibunt tutiores, si modo à talibus tutum quid esse potest. Diu ualeat, uiuatq; prudentia uestra uiri optumi. Ex Musæo nostro Isnæ uestræ. Pridiæ Idus Aprilis. AN. M. D. XL.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

QVINTI SERENI SAMMONICI LIBER MEDICINAE.

PROOEMIVM.

PHOEBE salutiferũ, quod pangimus, adsere carmen,
Inuentumq́ tuum prompto comitare fauore.

GABRIELIS HVMELBERGII RAVENSPVRGENSIS, IN LIBRVM MEdicinalem Quinti Sereni Sammonici COMMENTARII.



HOEBE.) Q. Serenus morborum remedia, quibus humanæ saluti consulat, traditurus, primũ præsenti procœmio, & præfatione, exordioq́ libri, iure uatum, diuinum inuocat numen: quippe omnis medela, sacris etiamnũ attestãtibus literis, à Deo est. Itaq; alijs alios & singulis singulos rei tractandæ præfectos, quorũ res, opera & consilia dictaturi sunt, inuocantibus, autor artis suæ, hoc est, medicinæ deos Phœbum & Aesculapium inuocat. Dictus est autẽ Phœbus quasi purus & syncerus, unus ac simplex, multitudinisq́ nescius, summus item ob idq́ Apollo, id est, uniuersalis, iuxta Pythagoram, Deus, quasi ἁπλὸς ἢ ἀπὸ ἄλλων, hoc est, simplex seu ab alijs seiunctus. Cum itaq; sanitas concordia & unitate, morbi uero discordia, multitudine & mutabilitate constent, non immerito morbos expellendi causa Phœbus inuocatur, ut hijs expulsis, unitas, sanitasq́ humano cor *Phœbus.* *Apollo.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Pangere. pori restituatur. *Pangimus.*) Figimus, id est, scribimus. μεταφορὰ est. Nam olim quia cæris figebantur carmina, pangi dicta sunt. *Adsere.*) Defende à detractorũ iniuria.
Carmen. *Carmen.*) Poema nostrum, uersus certo pedum numero constrictos. *Inuentumq; tuum.*) Medicinæ artẽ. Hanc enim
Phœbus medicinæ inuentor. ipse Apollo dicitur inuenisse. Quod & apud Ouidium libro Metamorphoseon primo de se testatur, inquiens: Inuentum medicina meum. *Prompto comitare fauore.*) Parato adesto & prosequere beneficio & obsequio, ut inuentæ abs te artis laudem, honorem & commodum tuteris.

Tuq; potens artis, reduces qui tradere uitas
Noscis, & in cælum manes reuocare sepultos.

Aesculapius. *Tuq; potens.*) Validus, gnarus, scius, habens cognitionẽ artis medicinæ. Aiunt Aesculapium Apollinis filium creditum, quod medicinam prius rudem & uulgarem, ut Celsus inquit, paulò subtilius excoluerit, in Deorum etiam numerum esse receptum: quare eum ipsum ut diuinũ numẽ, post Apollinem, cui ut patri prior debetur pietas,
Reduces. nunc inuocat. *Reduces qui trad.*) Ab interitu seruatos uitales spiritus, noscis tradere & restituere pristino uigori. Reduces dicuntur à periculo imminenti seruati. Ausonius ad nepotem in genethliaco carmine, Vt reducem fatorum ad finem senectæ sospes agam. *Et in cælum.*) In has auras quibus uiuentes uescimur, in hunc mundum sensibilem, & machiam hanc quam uidemus, cælũ scilicet, & elementa, & quæ ex eis coagmentata sunt atq; cõflata.
Mundus. Plinius libro de historia naturæ secũdo: Mundus & hoc quod nomine alio cælum appellari libuit: cuius circum-
Cælum. flexu teguntur cuncta. Itẽ Pomponius Mela: Omne hoc quicquid est, cui mundi cæliq; nomen indidimus, unum id est, & uno ambitu se cũctaq; amplectitur. Porrò mundus à perfecta absolutaq; elegãtia dictus, quemadmodũ
κόσμος apud Græcos etiam ornamenti nomine κόσμος appellatus, sicq; ab Aristotele in libro de mundo ad Alexandrũ definitus:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

definitus: Κόσμος ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις ὑπὸ θεοῦ καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη, hoc eſt, Mundus eſt uniuerſitatis ordo & exornatio, à deo & per deum cuſtodita. At mundi forma in abſoluti orbis ſpeciē globata eſt, indeꝗ à figurę rotunditate Orbis etiam appellatus. Cælum uero haud dubie cælati argumento, uti M. Varro interpretatur, autore Plinio. *Manes.*) Hominum umbras, animas, ſpiritus, de quibus incertum eſt bonorum ne an malorum ſint meritorum. Nam ſi boni meriti fuerint, εὐδαίμονες & Lares dicuntur. Si uero male ſint meriti, κακοδαίμονες & Laruę ſiue Lemures appellantur. *Sepultos.*) Sepoſitos, à corpore reuulſos. Lucanus libro 9. Si mihi contingat manes transferre reuulſos Auſoniam. *Reuocare.*) Ab inferis reſuſcitare, in lucem iam tartareis atritatibus mancipatos reuehere & ſuo corpori reddere. Traditur enim Aeſculapius Hippolytum equis diſcerptum ab orco reuocaſſe, & priſtinæ ſanitati reſtituiſſe: propter quod cū à deis inferis apud Iouem accuſaretur, ne plures à mortuis excitaret, fulmine ictus eſt & in deorum numerum relatus: quo honore, modo deum eſſe ſit iuuare mortalem, maxime dignus fuit. Cum enim non modo beluas quaſdam, ſed & inanimata corpora pro deis habuerit antiquitas, quod mortalibus opem tulerint, multo magis homines in deorum numerum referre habuit: nec modo frugum, uini & aliarum rerum, uerum in primis uitæ noſtræ autores, qua homini dulcius, chariusꝗ nihil haberi, maius dari quid poteſt? quippe quod non niſi deorū munus. De Hippolyti excitatione Vergilius Aeneidos lib. 7. & Ouidius Metamorphoſeon. li. ultimo. Sed de hoc Diodorus Siculus antiquæ hiſtoriæ libro 5. ſic ait: Aeſculapius traditur Apollinis Coronidisꝗ fuiſſe filius. Qui natura, ingenio præclarus, medicinæ opera impenſa, plurima ualetudini hominum utilia adinuenit. Adeo autem peritia artis excelluit, ut quàm plurimos deſperantes ſanitatem liberaret à morbo, proptereaꝗ creditus

Orbis.

Manes.

Eudæmones, Lares.

Cacodæmones. Laruæ, Lemures.

Hippolytus ab Aeſculapio reſuſcitatus.

Aeſculapium mortuos reſuſcitaſſe quomodo intelligendum.

fit nonnullis defunctis uitam restituisse. Hæc Diodorus. Ex quibus & etiã ex rei ueritate manifesto apparet, mortuorum suscitationem fabulose & non uere attributam Aesculapio. Nam unius ueri Dei est mortuos resuscitare, non hominis, nisi eius cui Deus speciali gratia hoc munus dilargitus fuerit. Nõ igitur Aesculapius, ut stulta gentilitas fabulata est, manes orco eripere potuit, & suis corporibus reddere: Sed, quia homines ualetudinarios extreme laborantes, imò iam quasi deploratos & mortuos creditos, utpote quasi sine sensu iacentes mortuis persimiles, sanauit, ut Lactantius diuinarum institutionum lib. 1. cap. 10. ait, apud prophanum uulgus mortuos suscitasse dictus est.

Qui colis Aegeas, qui Pergama, quiꝙ Epidaurũ,
Qui quondam placida tectus sub pelle draconis
Tarpeias arces, atꝙ inclyta tecta petisti,
Depellens tetros præsenti numine morbos,
Huc ades, & quicquid cupido mihi sæpe loquutus
Firmasti, cunctum teneris expone papyris.

Colis.) Habitas, frequentas, tuoꝙ præsentaneo numine foues. *Aegeas.*) Aegea Ciliciæ urbs est, ad quam diuino cultu & sacrificijs religiose uenerabatur Aesculapius. *Pergama.*) Strabo in descriptione orbis lib. 13. Pergamũ insignis Asiæ ciuitas, inter Aeolicas principatũ quendam obtinens, quæ diu sub Attalicis regibus fortunata fuit: hanc præterfluit Cæcius, per campũ qui Cæcius appellatur. Plinius lib. 5. cap. 30. Pergamum longe clarissimum Asiæ oppidum, quod intermeat Silenus, præterfluit Cęcius, profusus Pindaso monte. Apud Pergamum uero cultus fuit Aesculapius, quod uel Galenus ipse qui Pergamenus fuit, libro de sanitate tuenda primo testatur inquiens: Est uero non spernendus huius sententiæ testis, ipsum patrium nobis numen Aesculapius. Statius item Syluarũ lib. 3. in coma Earini: Dicitur Idalios Ericis

Aegea. *Pergamum.* *Galenus Pergamenus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

de uertice lucos Dum petit, & molles agitat Venus aurea cycnos Pergameas intrasse domos, ubi maximus ægris Auxiliator adest, & festinãtia sistens Fata, salutifero mitis deus incubat angui. Ad hæc Herodianus lib. 5. in uita Antonini Caracallæ idem confirmat dum ait: His igitur actis, atq; urbibus, pro ut quamq; poterat, ordinatis, Pergamum adijt Asiæ ciuitatem, ut Aesculapij curationibus uteretur, quò postquàm peruenit, somnijs quandiu uoluit captatis, Ilium mox petijt. *Epidaurum.*) Epidaurus hæc est, non Dalmatica illa à qua Ragusium: sed Peloponesiaca, cuius celebrior ob Aesculapij templum fuit fama. Strabo lib. 8. Epidaurus non parum insignis est ciuitas, præsertim ex Aesculapij claritate nobilitata, quem uaria morborum genera curasse somniati sunt homines. Erat uero templum ægrotantium multitudine usquequaq; refertũ, pendentibusq; tabellis in quibus sanati languores erant inscripti, quemadmodum & in Coa fiebat insula, pariter & Tricca. Sita urbs est in ipso Sarrhonici sinus recessu intimo. Plinius item nat. hist. lib. 4. In sinu Sarrhonico Epidaurum oppidum Aesculapij delubro celebre. Et Pomponius Mela: Habitant, inquit, ab Isthmo ad Scylleon Epidaurij Aesculapij templo inclyti. Solinus item, Epidauro, ait, decus est Aesculapij sacellum, cui incubantes ægritudinũ remedia capessunt monitis somniorum. *Quondam.*) Fabio Gurgite & Iunio Bruto Scæua Coss. debellato Samnitico bello. *Placida.*) Grata aspectu & iucunda, pulchra, splendida, nitida. Lucanus: Vos quoq; qui cũctis innoxia numina terris, Serpitis aurato nitidi fulgore Dracones. *Draconis.*) Anguis, ut Valerius uocat. Ob id autem Aesculapio dicatus, ut Plinius nat. hist. lib. 29. tradit, quod multa illi inesse remedia creduntur. *Tarpeias arces.*) Vrbem Romam. Cum arx Tarpeia in ipsa Roma sit, arcem pro urbe posuit. Mons Capitolinus Ciceronis ætate Rupes tarpeia & Saxum tarpeiũ dictus est, à uirgine Tarpeia Sabinorum scutis eo loci ad-

Epidaurus. *Ragusium.*

Anguis cur Aesculapio dicatus.

Arx Tarpeia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

obruta & sepulta: de qua Propertius lib. 4. Is diuisus fuit olim in Capitolium & Arcem, nunc nihil memorabi le habet, præter nomen. Cæterum Arces loca significant, & sola excelsa & munitissima ac urbium tutissima. Sic dictæ, ut Grāmatici quidam uolunt, ab arcendis hostibus: seu, ut Solino placet, ab Arcadibus, quoniam montiū excelsa & munitissimos quosq; habitabant colles. *Inclyta tecta.)* Domos, ædificia magnifica Romana. Aesculapius serpentis effigie, naui Romā Tyberino flumine sub uecta, in Lycaoniam insulam, quæ in medio flumine est, à fundamentis quadrato lapide instar nauis extructa, ubi illi postea templum est cōstitutum, hodie diuo Barptolo mæo sacrum, sua sponte transnauit. *Tetros morbos.)* Pestiferam luem, pestilentiam, qua Romani triennio diuexati cum nulla neq; diuina neq; humana ope finem imponi uiderent, Sibyllinisq; libris pellectis eam aduersam ciuitati tempestatē nisi ab Epidauro accersito Aesculapio sedari non posse animaduerterunt. Is igitur naui Romam delatus, pestiferam luem paulatim dispulit. Hanc præstigiosam historiam habes apud Valerium Maximum rerum memorabilium lib. 1. Plinium iuniorem in libro de uiris illustribus. Et Ouidium metamorphoseon lib. ultimo. Romam autem Aesculapius lubens concessit, ut dirum idolorum cultum, iam antea receptum, augeret, & in stulta hominum corda impiam relligionem penitissime infigeret. *Præsenti numine.)* Præsentaneo auxilio, remedio. Est autem Numen, dei nutus atq; potestas. Varro: Numen dicunt esse imperium dei, ab nutu. Nutus autem fauor est ac numinum suffragatio. *Huc ades.)* In describendis morborum medicaminibus præsens adsis, & opē feras. *Teneris papyris.)* Tenuibus & subtilibus chartis, quæ ex papyro præparantur diuisæ acu in prætenues sed quàm latissimas phyllіras. Papyrus autem frutex est ac iunci species, quam Græci βύβλον appellant. Nasciturq; in palustribus Aegypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi euaga-

Arces. *Lycaonia insula.* *Numen.* *Nutus.* *Chartæ.* *Papyrus.* *βύβλος.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

euagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum: brachiali radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiatum thyrsi modo cacumen includens, semine nullo aut usu eius alio quàm floris ad deos coronandos. Nascitur & in Syria, circa quem odoratus ille calamus lacum. Nuper & in Euphrate nascens circa Babylonem papyrum intellectum est eundem usum habere quem chartæ. Et tamen adhuc malunt Parthi uestibus literas intexere. Verum ante usum chartarũ, quibus maxime humanitas uitæ constat & memoria, hominumq; immortalitas, palmarum folijs primo scriptitatum est: deinde quarundam arborũ libris: postea publica monumenta plũbeis uoluminibus: mox & priuata linteis cõfici cœpta aut cæris. Nuncq; eo genere chartæ utimur, quod ex contritis linteolis conficitur, nomenq; à papyri frutice sumptum obtinet. Spectantur autem in chartis tenuitas, densitas, cãdor, leuor. Sed de hijs omnibus multa & copiose satis Plinius in naturalis historiæ suæ lib. 13.

Membrorum series certo deducta tenore
Vt stet, & assimilis medicinæ defluat ordo,
Principio celsa de corporis arce loquemur.

Membrorum.) Scilicet humani corporis. Membra, autore Galeno, corporis sunt particulæ, quæ nec omnino circumscriptionem habent propriam, sic enim particulæ non forent, sed corpora per se: nec omnifariam coniunctæ sunt alijs. *Series.*) Constitutio & digestio, sic dicta à serendo, hoc est, à florum ac frondium, è quibus serta primitus & coronæ fiebant, inuicem digestione. Sed de coronis & sertis plura Plinius lib. 21. *Certo tenore.*) Recta & ordinata colligantia & ordinatione. *Vt.*) Vt, similitudinem denotat. *Et.*) Et, scite ac eleganter pro etiam, ita, & sic, usurpatur. *Assimilis.*) Scilicet ordini membrorum.

[Right margin notes: *Membra.* *Series.* *Vt.* *Et.*]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Medicinæ.) Medicamentorum & curationum morborum. *Defluat.*) Deriuet, & eodem modo ac ordine comitetur. *Ordo.*) Ordo à Serie differt: quia ille digestio est, qua suo loco quidq; collocatur: hæc uero continua quædam progressio atq; contextus continuus. *Principio.*) Ab initio & primum ante alia. *Celsa.*) Alta & sublimi. *Corporis arce.*) Vocat corporis arcem caput, tãquam præcipuum hominis membrum, & excelsiorem instar arcis locum in humano corpore obtinens. Synesius in laude Caluicij: A capite tanquam ab arce dependent funes morborum usq; ad reliquum corpus.

Ordo. *Series.* *Arx corporis caput.*

CAPITI MEDENDO.

CAPVT I.

BALSAMA si geminis instillans auribus addas,
Tum poteris alacrem capitis reparare uigorem.

Caput.



CAPITI.) Passionibus & doloribus capitis, quod corporis pars est nota: sic dicta, ut Varroni placet, quod inde initium capiãt sensus & nerui. Huius affectio quia non unica est & diuersas habet causas, diuersis etiam appellatur nominibus Græcis, sed apud Latinos usitatis, scilicet, Cephalea & Cephalalgia: quorum hæc aliquando ex sola intemperie, aliquando ex humorum copia superante, aliquando ex utrisq; contingit, interdum uero ab extrinseca causa ceu solis æstu, cuius in capitis huius fine meminit etiam autor: frigore, ebrietate, ictu, casu aut alia re extrinseca accidit. Cephalea uero, uti libro de locis affectis tertio scribit Galenus, cerebri morbus est, quod nemo dubitat. Est enim affectus hic, dolor diuturnus, difficulterq; solubilis, qui à parua occasione uehementes habet accessiones, ut neq; strepitum, neq; uocem, neq; luminis splendo-

Cephalalgia. *Cephalea.*

ſplendorem, neq; motum tolerare poſſit infirmus: ſed tranquillitatem, obſcurumq́ cubiculum quęrat, idq́ ob doloris uehementiam. Quippe nonnulli ueluti malleo, ſe percuti arbitrantur: alij caput frangi, diſtendiq́ ſentiunt. Non paucis ad oculorum quoq; radices dolor extenditur. Verum huiuſmodi acceſſiones, ueluti in morbo comiciali, intermiſſiones habēt, interceditq́ tempus, quo perfecte liberati uidentur. Igitur conſtat, huic morbo capitis, facilem affectionem, cum cephalalgia, id eſt capitis dolore, eſſe communem. Verum per cephaleam affectæ partes multo redduntur quàm in cephalalgia debiliores. Hactenus Galenus. *Balſama.*) Succum balſami qui & opobalſamum dicitur. Balſamum enim arbuſcula eſt, quæ lycij modo creſcit, in Iudæa eiuſq́ conualle quadam tantum, & in Aegypto naſcitur, ut autor eſt Dioſcorides. Plinius arbuſculum eſſe dicit, quæ uiti ſimilior ſit quàm myrto, & uni terrarum Iudææ quondam conceſſam, & in duobus tantum hortis, utroq; regio. Aegeſippus libro excidij Hieroſolimitani primo, locum hunc in quo balſamum gignitur, uirgultisq́ innaſcitur, quæ acutis lapidibus incidunt pueri agricolarum, prope urbem Hiericunta eſſe dicit. Inciditur autem uirgultum, ut aiunt, uitro, lapide, oſſeisue cultellis: et, ut Dioſcorides prodit, ferreis unguibus etiam. Oportet autem citra uitalium læſionem & in ſolo cortice artifici plaga id fieri. Nam ut Plinius tradit, ferro lædi uitalia, odit: emoritur protinus, quapropter incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid ultra corticem uiolet. Vnde Solinus etiam in ſolo cortice artifici plaga uulnerari dicit uirgulta, & ferro attrectata ſine mora mori. Cæterum ex inciſi plaga ſuccus ac humor manat, deſtillatq́, qui lachrymis pulcher rorantibus, ut Aegeſippi uerbis utar, Balſamum quoq; uocatur, & Græce cũ adiectione Opobalſamũ: idq́ aut quia ὀπὸς idem eſt quod ſuccus, & hęc communis opinio eſt: aut, quia, ut Aegeſippus excidij Hieroſolimitani li. 4

Balſamum.

Opobalſamũ. ὀπὸς.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tradit, agricolæ cortice tenus uirgulas incidunt, eas in quibus balsama gignantur, ut per illas cauernas paulatim distillans humor se colligat. Cauerna autem Græco nomine ὀπὴ dicitur. Cæterum omnibus odoribus præfertur balsamum, præcipuaq; gratia lachrymæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno. Lachrymæ probatio, ut sit pinguis, tenuis ac modice ruffa, & in fricãdo odorata. Sũma probatio est, ut lac coagulet & in ueste maculas non faciat. Sunt & aliæ synceri liquoris eius notæ, de quibus copiose Plinius & Dioscorides. Verum raro syncerus ad nos adfertur, qualem nos habemus ex munere honesti & probi deoq; deuoti uiri Michaelis Humelbergij, parentis nostri pientissimi, qui illum modicũ quidem sed magno precio emptũ, è Hierosolymis, dum dominicum sepulchrum cæteraq; sanctæ terræ Christi præsentia illustrata loca, non lucri aut ambitionis inanisue gloriæ causa, sed solo dei amore ductus uisitasset, secum redux in patriam attulit. Virtutis est efficacissimæ & egregia ad calefaciendum potestate, unde et capitis doloribus frigidis mirum in modum prodest. Nam, ut Strabo Geographiæ lib. 16. inquit, Balsami succus capitis dolores & suffusiones oculorum incipientes & hebetudinem mirifice soluit, quare preciosus est. Capiti itaq; utilis est & eidem medetur, sensusq; oblæsos pristino uigori restituit, si temporibus illinitur, & una aut duæ ipsius guttæ cuilibet aurium instillantur. Animaduersione tamen dignũ est, ut quæ auribus imponuntur, ea sint actu tepida, non multum calida nec etiam frigida, nisi forte, quod uix accidit, caput uehementissimo præter naturam calore afficeretur. Ex frigore enim aut calore nimio auditus instrumentum & sensus facile oblęderentur, quod summopere cauendum est. *Geminis.*) Ambabus. Maior enim sequitur effectus & utilitas, si utriq;, quàm si uni soli immittatur. Binæ autem à summo rerum opifice creatæ sunt aures in capite, ne una oblęsa, auditus impediretur & tolleretur

[Margin notes: ὀπή. — *Canon.* — *Aures cur binæ.*]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

retur. *Instillans.*) Stillatim & guttatim infundens. Ea enim quæ auribus imponuntur, non ubertim & in magna copia sunt imponenda, sed una uel duæ aut tres guttæ immissæ sufficientes sunt pro uice una. Cũq; uni aurium aliquid instillatũ fuerit, super altera aliquandiu quiescere oportet, donec ad interiora aliquantisper penetrauerit medicamen, ne ex cita eleuatione foras egrediens, aut saltem non satis ad interna penetrans, effectum salubrem minus efficiat, nihilq; proficiat. *Auribus.*) Quæ cerebri purgandi meatus existunt, per quos celerius medicinæ uirtus ad intima transit, quàm per spissa & solida corpora. Et quia audiendi locus siccissimus est, ideo etiã nihil illi obest, uehementissime exiccantis medicamenti adpositio, quale est Balsamũ, de quo forte dubitasse quis poterit. *Tum.*) Tunc scilicet balsamo auribus instillato. *Alacrem uigorem.*) Integram sensuum firmitudinem & robur: sensus uiuidos & integros. Dicitur Alacris, autore Pediano, qui sensibus uiget uniuersis, & cui sensuũ quisq; suopte degit loco, proprium adimplens officium. *Reparare.*) Recuperare, ac pristino uigori & integritati sanitatiq; restituere.

Canon. *Aures cer. purgandi meatus.* *Audiendi locus siccißimus.* *Alacris.*

Vel quæ septenis censentur gramina nodis
Vtiliter nectes, uel Corno ex arbore sertum.

Septenis nodis.) Septẽ geniculatis internodiis: aliud enim alio pluribus serpit, ceu septem, tribus & pluribus. Nodus autem propie ligatura est solutu difficilis, unde in arbore & aliis terræ nascentibus, callus ille grossior nexum quendam ramorum & partium ostendens, nodus quoque dicitur. *Censentur.*) Quo aliquid præditum est & existit, eo censeri dicitur, hoc est, iudicari, preciumq; & æstimationẽ mereri, imò & laudari. *Gramina.*) Gramen proprie singularis herba est, inter alias notissima, & iumẽtis nutriendo gratissima, ramulis constans nodosis & geniculosis uirgultis per terram expassis & serpentibus, à qui

Nodus. *Censeri.* *Gramen.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

bus radices sparguntur dulces, nodosæ & geniculatæ seipsas radicãtes: folia habet acuta & acuminata, dura, lata ceu cannæ minoris. Autor Dioscorides & Plinius. Vis herbæ mediocriter refrigerans & exiccans cum aliquali stipticitate mẽbra confortante, quo adfluentes humores propellere possit. Vnde capitis dolori ab humore calido euaporante prouenienti medetur impositum, maximeq́ id quod septem constat internodijs. Plinius lib. 24. ca. 19. Quod è graminum genere septem internodia habet, efficacissime capiti contra dolores adalligatur. *Vtiliter nectes.*) Cum utilitate & commodo capiti annectes & impones. Hacce enim adalligatione dolor abigitur & sanitas recuperatur, quæ maxima est utilitas. *Corno ex arbore.*) Ramusculis arboris cum folijs & baccis. Est autem Cornus arbor speciosa, ramos habens duritie & rigiditate cornibus similes, fructum uero qui uescendo est, magnitudine oliuæ, sed paulò oblongiorem, primo candidum, postea sanguineum, foris parum carnis & intus plurimũ ossis habentem, unde lapidosum uocat Vergilius, estq́ gustu acerbus. Virtus & fructui & folijs frigida & sicca, adtrahens & adstringens, unde capiti ex ramulis eius imposita corona, doloribus eius è calidis uaporibus & humoribus contractis medetur, illos quidem refrigerando & exiccando, cerebrum quoq; confortando ne alios recipiat, sed euaporaturis & impetentibus resistat, eosq́ longius propellat. *Sertum.*) Coronam. Sertum corona dicitur à serendo, hoc est, digerendo inuicem flores ac frondes è quibus primitus coronæ fieri consueuerant: de quibus plura Plinis lib. 21.

Cornus arbor. *Sertum.*

Pulegiúmue potens una super aure locabis,
Aut illud mixto recoquas clementer aceto,
Aut à nare trahes. Seu uisco lintea tecto
Induces fronti, seu tritæ gramina menthæ.

Pulegium. *Pulegium.*). Pulegium nota herba est. Duo eius genera: Sa-

tiuum

tiuum & Syluestre. Hoc simile origano, minoribus folijs quàm satiuum, sed efficacioris uirtutis: Illud adhuc duarum specierum: unum candido flore, masculum uocatum: alterum purpureum habens florem, quæ fœmina est & mare efficacior existens. Græci Glechona uocant: & quidam mutatis literis, ut Dioscorides & Plinius tradũt, Blechona, quoniam gustatum à pecore cum floret, balatum in eis quàm primum excitat. Siue, ut Apuleius scribit, eo quod sit balantum animalium floris sui tempore pascuosa. Hocq; in se mirabile habet, ut inquit, quod hæc maximis æstatis caloribus floreat, cum ferè aliæ herbæ arescant. Vis illi calefaciens, attenuans & dissipans, capitiq; perutilis, siue recens per se, siue ex aceto cocta capiti imponatur, siue olfactetur. Plinius lib. 20. cap. 14. Magna societas cum menta ad recreandos defectos animo pulegio cũ surculis suis in ampullas uitreas aceti utrisq; deiectis: qua de causa dignior è pulegio corona uertigini quàm è rosis cubiculis nostris pronũciata est. Nam & capitis dolores imposita dicitur leuare. Quin & olfatu capita tueri contra frigorum æstusq; iniuriam, & ab siti traditur. Neq; æstuare eos qui duos è pulegio surculos impositos auribus in sole habeant. Illinitur etiam in doloribus cum polenta & aceto. Apuleius: Ne æstus aut frigus capiti noceat, herbam pulegium tecum aut super aurem aut sub annulo portato: hoc & hyeme tota facias, nec grauedinem senties, nec perfrictionem. *Potens.*) Validum & efficax uirtute. *Vna super aure.*) Siue uni siue ambabus aut uniuerso capiti imposueris, nihil referet. Nam si uni impositum prodest, quanto magis proderit si ambabus, aut toto capiti imponitur? Sed si uni imponere uoles, tũc illi imponito iuxta quam dolor magis sęuit, nisi ad diuersum distrahere uelis, quo sic facilius euanescat. *Recoquas.*) Hoc est, coquendo in cataplasmatis modum redigas, & sic capiti imponas. *Clementer.*) Non impetuose, sed mediocriter igne paruo ac moderato. Nam si igne uehemen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tiore & ultra modum coqueretur, uis eius euanesceret, sicq; minus aut nihil prodesset. *Aceto.*) Decoquitur in aceto propter uirtutem ipsius penetrantem, qua rerum qualitates adauget. Nam frigidis mediocriter additum rebus, ipsas frigidiores: calidis uero, calidiores reddit, quo signo uariæ uires eius depræhenduntur. *A nare trahes.*) Odorem ipsius naribus attrahes & olfacies. Nares nasi sunt foramina atq; meatus per quos cerebrum purgatur, & superflua eius excernuntur. *Visco.*) Viscum fit ex acinis arbusculæ cognominis, in quercubus & alijs arboribus nascentis folio buxi. Quomodo autem conficiatur, & quæ sint bonitatis eius notæ, dicetur infra capite 40. Sunt autem Plinio tradente, tria uisci genera. Vnum in abiete & larice, Caſſitias dictũ. Alterum in Eubœa natũ, Stellis. Tertium Hyphear in Arcadia. Adnascitur autem in quercu, robore, ilice, pruno syluestri, terebintho, & alijs arboribus. Copiosissimum in quercu Dryos hyphear dictum. Satum nullo modo nascitur, nec nisi maturatum & per aluum auium maxime palumbium & turdorum redditum, prouenit. Et quoniam aues eo capiuntur, inde natum adagium Κίχλα χέζει αὐτῇ κακόν, hoc est: Turdus ipse sibi malum cacat. Virtus & natura uisco calefacere, discutere, mollire & extrahere. Vnde & capitis doloribus frigidis, & ab humoribus crassis ortis medetur, intemperiem frigidam calefaciendo & humores crassos resoluendo & foras educendo, quamuis aliquanto tardius uim suam & effectum exerceat & cõsequatur, ob nimiam quam actu possidet humiditatem. Vnde Auicenna: Non calefacit, nisi post moram longam: & in ipso quidem est humiditas superfluens non digesta: estq; calidum & siccum in tertio, humores crassos & profundos ob attractiuæ uirtutis fortitudinem resoluit & lenit. Et Auerrois, Viscus, ait, calidissimus est, superflua cum humiditate, à corporis profundo extrahens, multa tamen cũ tarditate, ob superfluentem in ipso humiditatem. *Lintea.*) Pannum

lineum

Acetum.

Nares.

Viscum.

Lib. 16. ca. ultimo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

lineum, cui uiſcū inuoluitur & imponitur, inducitur'que'. *Tecto.*) Intecto & operto, inuolutoq́ linteis, ne ſcilicet uiſcida tenacitate ſua cuti adhereat, unde poſtmodum difficulter amoueri poſſet: ad quod præcauendum linteis inuoluitur te operitur. *Fronti.*) Frons capitis pars eſt anterior, ab utroq; latere temporibus, ſuperius capillorum radice, inferius ſuperciliis finita: hilaritatis & clementiæ, triſtitiæ & ſeueritatis index. Sic ab oculorum foratu dicta, ut Varro uoluit. *Gramina.*) Gramen nonnunquam pro cuiuſq; herbæ foliis accipitur, ut loco præſenti & ſæpiuſcule in ſequentibus, & apud Columellam in de Cultu hortorum, ubi ait: Serpentia gramina menthę. Et: Quamuis ſemihominis ueſano gramine fœta Mandragoræ pariat flores. Proprie tamen ſingularis herba eſt, de qua iam paulo ante dictum eſt. Et Columella intelligit libro iam dicto dum infit: Atq; habilis natura ſoli, quæ gramine læto Parturit. *Menthe.*) Mentha omnibus nota herba eſt: ſic dicta à Mintha puella, quam à Plutone amatam, & à Proſerpina, cuius pellex erat in herbam ſui nominis uerſam fabulantur poetæ, & fabulæ meminit etiam Strabo geographiæ lib. 8. Græci herbam hanc ἡδύοσμον hedyoſmon uocant, ab odoris ſuaueolentia, nam ἡδὺ ſuaue ὀσμὴ odor illis dicitur. Vnde Plinius ait eam menſas grato odore percurrere. Virtus illi calorifica, ſiccans & adſtringens, cerebrumq́ confortans, unde capitis doloribus frigidis contuſa & impoſita medetur. Dioſcorides: Mentha leniter fronti impoſita, capitis dolores diſcutit et mitigat. Plinius: Illinitur & temporibus in capitis dolore.

Lib. 20. cap. 8.

Lib. 20. ca. 14.

Spongia cum tepidis annexa liquoribus imbris
Profuit, aut hedera ex oleo colata uetuſto.

Spongia.) Spongia ex illorum numero eſt quę Græci ζωόφυτα uocant, hoc eſt, quæ nec animalium neq; fruticum, ſed tertiam quandam ex utroq; mixtam naturam habēt. Sunt autem tria ſpongiarum genera, ut Ariſtoteles & Pli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Lib.9.ca.45. nius tradunt: Vnum ſpiſſum ac prædurum & aſperum, quod Tragos uocatur: Alterum ſpiſſum & mollius: Tertium magis tenue denſumq́, ex quo penicilli fiunt & Achilleon uocatur. Quæ genera quidã ex ſexu diſtingunt, ut refert Dioſcorides & Plinius. Aliasq́ mares uocant tenui fiſtula ſpiſſioresq́: & duriores quas tragos appellant tenuiſſimis fiſtulis atq; denſiſſimis: fœminas uero contra quæ antedictis contrario ſunt habitu, maioribus fiſtulis ac perpetuis. Naſcuntur omnes ad littus in petris & ſaxis. Aluntur conchis, piſce, limo. Et quia ad auulſoris acceſſum, fluctuq́ pulſante contrahuntur, cõtractæq́ multo difficilius abſtrahuntur, ſenſum illis ineſſe creditur. Animal autem eſſe, argumẽto & indicio eſt, inherens cruor, qui ipſis detractis, ſaxis adherere uidetur. Vis omnibus & natura calorifica deſiccatoriaq́: maxime tamen recentibus, quibus maris ſalſedo fortior ineſt & uehementior: Nam quæ ante plures dies auulſæ ſunt, hijs uirtus tẽporis progreſſu magis ac magis euaneſcit. Quare ſpongiarum ſi qua cõductura ſit, omnino noua & recens eſt, talis enim diſcutit, mollit & mitigat. Vnde capiti impoſita ex calida, frigidis eius doloribus medetur: imò & qui penicilli uocantur, ſuper ægrum ſuſpenſi, quietiores faciunt noctes, autore Polybio. Quod ſi recentis copia nõ eſt: cuius erit, hanc uel ſale, uel nitro, uel aqua lixiua lauabis, ſic enim priſtinam uim illi acquires. Quod ſi adhuc nullius copia fuerit, tunc ſola aqua marina, aut ſaltem ſalſa eodem effectu caput perfundi poteſt, id quod Celſus docet medicinæ lib. 4. ſic inquiens: Si frigus nocuit, caput oportet perfundere aqua calida marina uel certe ſalſa. *Tepidis.)* Calidis. Sic enim actuali calore poros & meatus adaperit, quibus apertis, medicamẽti uirtus ad interiora facilius deſcẽdit. Quod ſi frigida apponeretur, meatus potius occluderet, medicaminisq́ tranſitum præpediret. *Annexa.)* Adalligata & capiti ſuperpoſita, præſertim circa caluæ commiſſuras, quo facilius per illas medicamenti

camenti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

camenti uis ad intima penetret: ob quod etiam (nedum quod cerebro expurgando destinati sunt meatus) à natura creatæ sunt. Si enim citra illas continuum creasset cranium, cum densum sit ac durum, intusq; cerebro obiecta sit crassa membrana, medicaminum quæ imponuntur uirtus antequàm ad interiora perueniret, resolueretur. Quare prouida natura, quæ nihil frustra & incassum facit, ne extrinsecus impositum pharmacũ, haud ullum adferret commodum, suturas in capitis osse creauit, quibus impositi phermaci tum qualitates tum substantiam, si tenuis est, facile intro transmittit, unde multa capitis uicia per extrinsecus adplicata remedia iuuantur. Et maxime quidem si ei adplicentur commissuræ quæ coronaria adpellatur, quo loco etiam tenuissimum & rarissimum est cranium. Quare qui medicamenti uim uehementer ad interiora descendere uolet, hoc maxime loco imponet. Verum commodius etiam fuerit si infrictione id fieret, aut tonsis capillis, aut etiam planè abrasis: quod si humidum sit, quod applicandum est, si id ex alto effunderetur, nam sic penitus intro ab ictu compelleretur, autore Galeno therapeutices lib. 13. *Liquoribus imbris.*) Humore & aqua pluuiali. Aquarum, ut scribit Hippocrates in libro de uulneribus capitis circa finem, leuissimæ sunt pluuiæ & dulcissimæ, clarissimæ & tenuissimæ, cuius ratio ex sole tenuissima queq; ac leuissima proliciente & sursum ferente. Galenus easdem leuissimas afferit & subtiles, puras ac bonas, gustuiq; prædulces. Educit enim sol & rapit tenuissimum quodq; ex aquis. Paulus item Aegineta, Præcipuus, inquit, aquæ pluuiæ humor, uerum citissime putrescit: cuius causam uolunt, quod aquæ id genus à diuersis subleuentur humiditatibus: quod tamen Auicenna impugnat, sic enim uituperabilis esset: sed id prouenire ait excellentis extenuationis causa, quæ citius à non naturali terrestri aëreóue calore corrumpente patitur. Pluuia itaq; aqua, quia subtilior & tenuior, cæteris

Cranei commissuræ.

Aqua pluuia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

in capitis dolore præſtat cum ſpongia impoſita, citius e-
nim in profundum deſcendit. Quod ſi pluuiæ copia non
eſt, quia diu non pluit, aut quæ habetur computruit &
male olet, quare abhorretur, eius loco accipiat quæ inter
cæteras melior eſt, fontana aut fluuialis potabilis, cũ qua
calida et ſpongia maxime noua caput foueatur, quo frigi
di capitis uapores euocentur & totum capitis tempera-
mentum melius reddatur, non obſtante aquæ natura fri
gorifica & humectante, quæ ſpongiæ medio & calore ac
quiſititio mitigatur & remittitur euaneſcitq;. Nec modo
ex aqua ſed & aceto utiliter imponitur ſpongia, idq; ma-
iore efficacia, uti ex Plinio colligitur, qui naturalis hiſto-
riæ libro 31. ca. 11. de ſpongia inter alia ſic ſcribit: Nec uſ-
quam diutius durare ſpiritũ medici affirmant. Sic & pro
deſſe corporibus, quia noſtro ſuum miſceant, & ideo ma
gis recẽtes, magisq; humidas. Sed minus in calida aqua,
minusq; unctas, aut unctis corporibus impoſitas. Impo
nantur & ex aceto calido ad capitis dolores. De cætero re
centes diſcutiunt, molliunt, mitigant. Ex aqua cœleſti im
ponuntur & integris partibus & fluctuatione occulta la
borantibus, quę diſcutienda ſunt. Hęc ex Plinio loco alle
Pluuiæ generatio. gato. *Imbris.*) Pluuiæ. Cuius generatio eſt à ſole & alijs
aſtris (ut Ariſtoteles in meteoris tradit) quorũ uirtute ua-
Vapor. pores ab aqueis locis eleuãtur. Eſt enim Vapor, aquæ ha-
litus, qui diu in aere ſuſpenſus, ob mediæ regionis frigidę
contactum, nã uſq; ad illam peruenit, denſatur et infrigi-
datur, deinde in guttas reſolutus aqueas, deorſum erum-
Pluuia. pit, fitq; pluuia. Quæ ſi minoribus ſtillis dulciter & cre-
Imber. bra deſcendit, imber: ſi maioribus et moderate, pluuia di-
citur. Si uero impetuoſe, ſubito, & groſſioribus totis ſi-
mul, ſcilicet nube tota ſimul ob uehemens frigus in aquã
Labrocera. liquata, labrocera & nimbus, quæ frumentis & uitibus
Nimbus. graui nocumento exiſtit. *Hedera.*) Plin. libro 16. cap. 35.
Hedera. Hederarum uiginti enumerat genera. Dioſcorides, ta-
metſi, ſi ſingulæ numerantur ſpecies, hederam plures ha-
bere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

bere differentias dicat, genere tamen præcipuas tantum tres esse ait. Candidam, quæ fructum seu semen fert candidum. Nigram, quę nigrum crocatúmue: quàm uulgus Dionysiam Bacchicamq́ue uocat. Tertiam priuatim Helicem uocatam, quasi clauiculam, quæ sterilis est, sine semine, tenuibus uiticulis, breuibus, angulosisq́ue & concinnioribus folijs. Hedera muris, sepulchris, arboribusq́ue adnascitur, inimica satis omnibus, sepulchra et muros rumpens, arborumq́ue incolumium succum exsugendo ipsas strangulans et enecans: tantaq́ue crassitudine augetur ut et ipsa arbor fiat. Vnde & Theophrastus de historia Plant. libro 3. cap 19. ait, Eius amplexus arbores omnes infestat, omnes enim necat, & exiccat, ablato alimento. Crassatur maiorem in modum, atq; arborescit intantum, ut per se ipsa arbor fiat. Racemus ipsius in orbē circumactus Corymbus uocatur. Adhæc mira hederæ ad uina experiēda proditur natura. Nam ut in libro de re rustica capite III. Cato inquit, Si scire uoles in uinū aqua addita sit, nec ne, uasculum facito de materia hederacea: uinū id quod putabis aquam habere eodem mittito: si habebit aquam, uinum effluet, aqua manebit. Nam nō continet uinum uas hederaceum. Virtus hederæ omnis, in medicina acris est & adstringens, ut tradit Dioscorides. Vnde Plinius, Natura, inquit, in medicina anceps. Nam eadē quæ & aceto ei est. Omnia genera eius refrigerant, unde & capitis dolores sedant. Insita enim frigiditate sua capiti circūpositæ meatus eius ita contemperant, ut ascendentes retundent & repercutiant uapores, grauitatesq́ue capitis καρηβαρίας uocatas reprimant. Vnde etiam poetæ uino potati, quo ebrietatis uim restinguerent, minusq́ue uini potentia afficerentur, capiti hedereas imponebant coronas, eoq́ue nimio plus uino iam calens, hederæ ui frigorifica refrigesceret. *Oleo uetusto.*) Oleum oliuarum quo uetustius & pinguius, eo medicinæ utilius, ut refert Dioscorides.

Helix.

Corymbus.

Oleum uetus.

Quod si uetusti facultas non fuerit, diffusum ex præsenti oleo in uas quod probatius fuerit, ad crassitudinem mel lis coquito & utere: pares enim prædicto uires acquirit. Et uetus quamuis calidius sit nouo, quod potius tepefacit quàm calfacit corpus, magis tamen etiam discutit & resoluit, uaporesq; ex profundo euocat, & refrigerantibus poros & meatus patentiores reddendo, ad interiora penetrandi uim suggerit: unde cum eo cocta hedera capitis dolores mitigat. Plinius lib. 24. cap. 10. non simpliciter oleum sed rosaceum accipit & acetum addit, sicq; medicinam instruit. Hedera capitis dolorem sedat: præcipue cerebro, continentiq; cerebrum membranæ utiliter mollibus impositis folijs cum aceto & rosaceo tritis & decoctis, addito postea rosaceo oleo. Illinuntur autem fronti, & decocto eorum fouetur os, caputq; perungitur. *Colata.*) Colare, defecare est & mundare, atq; impurum à puro segregare, nec non rem unam ab altera sequestrare, et extrahere. Vnde hedera ex oleo, in quo macerata aut cocta fuerit, colata & extracta, parumperq; expressa, et sic capiti imposita, doloribus eius medetur, quamuis & oleũ ipsum sine illa inunctum, eundem præstare possit effectũ. Hic quo pacto olea medica & factitia fiant, rerumq; uirtutibus inficiantur, non abs re fuerit adposuisse ex Galeni de sanitate tuenda libro quarto. Sunt enim qui per infusionem illa tantum conficiant, sunt & qui per coctionem. Vbi uero per infusionem fiunt, res quæ infunduntur, contundi debent priusquam in oleum inijciantur, sic enim qualitate & ui sua oleum citius inficient, quæ postquàm maceratæ fuerint, quod quadraginta & plurium dierum spacio fiet, abijciuntur, humidum uero linteo percolatur & usui seruatur. Qui uero diutinam macerationem illam rerum ferre non possunt, eas partim in oleo percoquere coguntur, igni certe lento, qualis prunarum est, quæ tamen nec ipsę multæ esse debent: partim aquæ uiniue tantulum inijcere quãtum coquendo totũ uane-

Colare.

Oleorum factitiorum rationes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uanescet. Is modus erit, si quadruplum eius aut quincuplum oleum sit. Vinum autem ad affectus podagricos & articulares, aqua uero ad alios utilior est. Et sic cautiores operantur, quo nec iniecta torreãtur, nec oleũ ustionem odore referat. Verum qui his magis sunt curiosi, in duplicibus uasis coquunt: quod fit cũ in lebete in quo sit aqua feruens, inseritur exiguũ uasculum, in quod fundi oleum debet. Et hic commodior coquendi est modus. Hactenus de oleorum infectione & compositione.

Profuit & cochleĩs frontem tractare minutis,
Si nocuit cerebro uiolentia solis aperto,
Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore
Sanauit. Prosunt & amica papauera somno,
Si prius in lento madefacta terentur oliuo.

Cochleis.) Cochleæ aliæ terrestres, aliæ aquatiles. Omnes domicilio se exerentes & bina ueluti cornua protendentes contrahentesq́: oculis carent, ideo corniculis oculorum uice iter prætẽtant: terrestres uulgo limaces uocant. Sunt etiam cochleæ lapides ex flumine rotundi, à cochlearum effigie & similitudine sic dictæ, uulgo cochlacæ uocantur. Cochleæ contusæ et per se cinis inanium cochlearum discussoriam uim habet, unde & capitis doloribus remedio sunt hæc quæ nudæ inueniuntur nondum peractæ ablato capite, & his lapidea duritia exempta: est autẽ ea calculi latitudine, quæ alligantur & minutæ fronti illinuntur tritæ: autor Plinius. *Tractare.*) Frequentius trahere & fricare. Frictio enim poros & meatus exiguos patentiores facit, quibus patentibus medicamenti uis ualentius penetrat, uimq́ suam & effectum exercet potentius. Seu tractare, id est tangere et tangendo imponere illinireq́. *Si nocuit cerebro uiolentia solis.*) Dolorum capitis & aliorum etiam quorumcunq; membrorum causæ, aliæ sunt quas Græci προηγουμένας uocant, nos internas siue antecedentes appellamus, quæ in ipso animalis corpore

Cochleæ. Pli. li. 9. c. 32.

Limaces. Lib. 30. c. 3.

Cochleæ lapides.

Cochlacæ.

Frictionis effectus.

Causa προηγουμένη, interna seu antecedens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

conſiſtunt: aliæ uero quæ corpori ipſo omnino non inſunt, ſed extrinſecus incidunt, quas externas ſiue primitiuas dicimus, Græci προκαταρκτικὰς nuncupāt: inter quas & ſolis ardor eſt intenſus, qui dum nudo & diſcooperto capiti occurrit, et ipſum plus iuſto excalfacit, intemperiē illi infert, & humores ad diſſolutionem commouendo, illos reſoluere non potens, inquietat, ex quo et dolor concinnatur, quod hijs potiſſimum accidit dum inſolantur, quibus natura caput humectius eſt. Cui capitis dolori, adiuncta cauſa quod in prioribus non fecit, mederi nūc docet Serenus. *Cerebro.*) Capiti, cuius partes quæ dolore afficiuntur maxime ſunt pericraneum, hoc eſt exterior caluarię membrana: quam Galenus ita definit, Περίκρανος ἐστὶν ὑμὴν νευρώδης, περιειληφὼς πᾶν τὸ κρανίον, quod eſt, Pericranos eſt pellicula neruoſa totum circundans cranium. Item μήνιγγες meninges, quæ ſunt ambeuntes cerebrum panniculi: quos idem finit Galenus σώματα νευρώδη καὶ ἀρτηριώδη, hoc eſt, corpora neruoſa & arterioſa. Ipſum autem cerebrum Galeno & Ariſtotele autoribus, inſenſile eſt natura et ſenſus omnino expers, quamuis ſenſuum ſit organum, & à quo corporis particulæ omnes ſenſum habent ac motum. *Chelidonia.*) Herbarum ab animalibus repertarum cū primis percelebris eſt chelidonia. Cuius duo ſūt genera. Maior fruticoſo caule, altitudine cubitali & aliquādo maiore, gracili, adnatis multis folioſis, folio, ut Plinius ait, paſtinacæ erraticæ ampliore: & ut Dioſcorides tradit, ranunculo herbæ ſimili, molli, colore candicante, flore uiolæ ſimili & luteo. Succus illi croceus & acris, mordaxq; & aliqualiter amarus. Radix illi ſuperius una, inferius plures. Fructus cornuti papaueris modo gracilis, lōgus, pineæ nucis figura, in quo exigua ſemina ſunt, papaueris ſeminibus maiora. Altera eſt minor, exigua herba, ſine caule, folijs ex radice pediculis pendentibus hederæ figura, ſed rotundioribus & minoribus, teneris & modice pinguibus. Dicta eſt autem chelidonia

Cauſa προκαταρκτική, externa ſiue primitiua.

Pericranium.

Meninges.

Cerebrum.

Chelidonia.

ἀπὸ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ἀπὸ τῆς χελιδόνος, hoc est ab hirundine, quod hirūdinum
aduentu ex terra prodit, ut inquit Dioſcorides: ſeu ut Libro 2.
Theophraſtus, Plinius & Apuleius referūt, quod eorum De plā. hi. li. 9
aduentu et quo prȩſto ſunt tēpore, ſemper floret: diſceſſu Lib. 15. ca. 8.
uero eorundem marceſcit. Vel, ut quidam uolunt et Apu Cap. 71.
leius refert, quod nidis ſuis eandem hirundines ferant ob
acuendos ſuccedentium uiſus. Vnde Plinius li. 8. cap. 27.
Chelidoniam, inquit, uiſui ſaluberrimam hirundines
monſtrauere uexatis pullorum oculis illa medentes. Et
Dioſcorides: Tradiderunt aliqui, ſi quis ex hirundinis
pullis in nido lucem amiſerit, matrem hanc herbam ocu
lis admouentem cȩcitati eius mederi. Quæ tamen opinio
à Celſo tanquam fabuloſa refutatur, libro 6. cap. 6. ubi de
oculorum imbecillitate agens dicit: Extrinſecus uero in
terdum ſi ictus oculum lædit, ut ſanguis in eo ſuffunda-
tur, nihil commodius eſt, quàm ſanguine uel columbæ
uel palumbi uel hirundinis inungere. Neq; id ſine cauſa
fit, cum horum acies extrinſecus læſa, interpoſito tempo
re in antiquum ſtatum redeat, celerrimeq; hirundinis.
Vnde etiam locus fabulȩ factus eſt, per parentes id herba
reſtitui quod per ſe saneſcit. Nam ut Ariſtoteles de gen e-
ratione animalium lib. 4. refert: Si quis nuper genitarum
hirundinum oculos præpungat, rurſum incolumes red
dentur. Cȩterum quod ad chelidoniæ herbȩ medicinam
attinet, iubet eandem etiam Apuleius ad capitis dolorem
ex aceto contritā fronti & capiti illinire. Eſt autem uirtus
illi calorifica, ſed quȩ exiccet, euocet, et emundet. Vnde ex
aceto impoſita capitis dolores perſanat. Humores enim
craſſos & ſuperfluos à ſolis calore diſſolutos & cōmotos
deſiccat, extrahit atq; reſoluit. *Acido liquore.*) Humore
aceroſo & aceto ipſo, quod quamuis refrigerantis et repri *Acetum.*
mentis ſit naturȩ, admixtam tamen ſibi aliquam habet ca
liditatem, omniumq; poteſtate refrigerantium, tenuiſſi-
marum eſt partium, quare & aliȷs quorum uim in altum
deſcendere cupimus, additur medicamētis: meatus enim

adaperit & medicamenti uim quo uolumus præit atque deducit. Corpora etiam quæ contingit, ſiccat, quamuis actu ſit humidum: quam ob cauſam ad eos affectus quos humectare & refrigerare uolumus, eo ſolo non utimur.

Perducta.) Inducta & capiti impoſita ex aceto in quo prius fuerit macerata. *Amica.*) Somnum enim conciliant. Columella in libello de cultu hortorũ, Et profugos uinctura papauera ſomnos. *Papauera.*) Papauerum plura ſunt genera. Vnum ſatiuum: reliqua agreſtia. Satiui tria itidem genera. Vnum proprie, per ſe & uere ſatiuum dictum: quod Apuleius uſuale, Plinius candidum, Dioſcorides thylacite, id eſt utricularium, ab utris forma appellat: oblongo capite & uaſculo, ſemine albo: quod in ſanitatis uſu toſtum in ſecunda menſa cum melle apud antiquos edebatur, & panis ruſtici cruſtæ inſpergebatur adfuſo ouo inhærens. Alterum genus eſt quod ſylueſtre uocat Dioſcorides, & à dolij forma Pithite, quaſi doliare: Apuleius quod ex ipſo fluat ſuccus quem opion uocant, uel quod facile florem dimittat rhæada: Plinius nigrum appellat, è cuius ſcapo inciſo lacteus ſuccus exprimitur: eſtq; hoc capite ſeu uaſculo ſeſſili, ſemine nigro. Tertium genus & hijs ſylueſtrius, medicamentoſius & capite ſeu uaſculo longiore. Et hoc Plinius, contra quàm Dioſcorides & Apuleius tradiderunt, rhæada à Græcis uocari dicit, à noſtris erraticum. Et hæc duo poſteriora genera, natura quidem agreſtia ſunt, humano tamen opere, ſtudio & uſu tantum ſatiua, nõ natura. Sunt & alia agreſtia quæ nũquam ſatiua fiunt, ceu quod Ceratites, id eſt corniculare, & aphrodes, id eſt ſpumeum, heracliumq; dicitur. Omnibus & præſertim ſatiuis communis in refrigerando ſopiendoq; uis eſt, ut tradit Dioſcorides: niſi quod nigri liquor maiore refrigerandi, craſſeſcendi & ſiccãdi ui, exigua menſura, erui ferè quantitate ſumptus ſomnificus eſt, & ſomno dolorem leuat: maiore copia potus nocet, lethargum, letalemq; ſoporem faciens. Facit & ad capitis dolores

Papauerum genera.

dolores cum rosaceo inspersus. Verum colligendi liquoris huius ratio multiplex est. Quidam enim uascula cum folijs tundentes torculari exprimunt: mox in mortario terentes pastillos conformãt, uocaturq́ hoc meconium: uiribus liquore quem opion dicunt multo ignauius. In colligẽdo autem liquore oportet cum aruerint rores cultello stellulam in summo papauere sic scarificare ne altius ad interiora uulnus descendat. Oportet itidem & uascula ex obliquo rectaq́ in summa superficie secare: destillantemq́ lachrymã digito in conchulã detergere, rursusq́ non multo post redire. Inuenitur enim continue concrescens. Idemq́ sequenti die faciendum. Oportet præterea in uetere mortario collectum liquorem terere, conformatumq́ in pastillos reponere. Oportet postremo in scarificandis, secandisq́ papaueribus retrogrado itinere ingredientes incidere, ne uestibus plagæ plagisq́ inhęrens liquor deteratur. Hactenus Dioscorides. Pli. item lib. 20. cap. 18. de his sic prodit: E nigro sapor gignitur scapo inciso, ut Diagoras suadet cum turgescit, ut Iolas cum deflorescit hora diei sereni, hoc est, cum ros in eo exaruerit. Incidi iubent sub capite & calice. Nec in alio genere inciditur caput. Succus & hic & herbæ cuiusq; lana excipitur: aut si exiguus est, ungue pollicis aut lactucis: & postero die magis quod inaruit. Papaueris uero largus densatur, & in pastillos tritus in umbra siccatur, non ui soporifera modo, uerum si copiosior hauriatur, etiam mortifera per somnum: opion uocant. Cum capita ipsa & folia decoquuntur, succus meconium uocatur, multum opio ignauior. Fit autem probatissimum maxime apud Thebas Aegyptias opium, unde & Thebaicum dicitur. Verum non temere huiusmodi utendum medicamentis quæ soporifera sunt anodina. Nam si alijs & innoxijs remedijs morbum sanare possumus, à somniferis abstinere debemus. Sin ob uigilias & uirium resolutionem ęgro mortis periculum immineat, tum profecto tempestiue sopori-

Liquoris papaueris colligẽdi ratio uaria.

Meconium.

Opium.

Meconium.

Opium Thebaicum.

Narcothicorũ & soporiferorum usus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

feris utemur, ad eorum usum necessitate coacti, non obstante quod corporis habitus nonnihil ex hijs lædatur, cum spacio, si admodum magnum nō sit, nocumentum emendare liceat. Quod si ita est immodicum, ut nec prolixo spacio sanari possit, potius tamen hoc ipsum eligendum quàm ut hominē perire sinamus. Lęsio enim quàm mors præoptanda. Cæterum ubi talibus uti necessitas cogit, tutius est etiam ut uim eorū aliquatenus frangamus, & in emplastris potius quàm in potionibus, deinde in caputpurgijs ea administremus. Semperq́ principiū membrorum curam & sollicitudinem habeamus, maxime cerebri, quod rationalis animæ ceu domicilium est, autore Galeno. *Somno.*) Somnus sensilis spiritus est remissio et tanquam laxatio: &, ut Aristoteles tradit, sentiendi quædam impotentia, ob alimenti uapores in cerebro refrigeratos & internum calorem ad cor reuocatū proueniens. Fit autem somnus hoc modo. Cum alimentum in uaporem soluitur, uapor ille sustollitur, (omne enim calidum, in sublime natura effertur) & cerebri frigiditate refrigeratur atque consistit, deinde reditū capescens, Euripi more refluit & descendit ad cor, cuius feruore refrigerato, obrepit somnus. *Lento.*) Leni, molli, pingui, humido & cui nihil aspredinis inest. Inter liquores enim non est alius qui aut æque leniat ac molliat cum corpori inungitur, quàm oleum, aut, qui tam late diffundatur aut serius siccescat. Vnde Homerus etiam, autore Plutarcho, inter tot liquores, oleum duntaxat appellauit ὑγρὸν, id est humidum seu liquidum. Est & tranquillitatis nomine commendata eius natura, adeo ut mare rem omnium sæuissimam tranquillare credatur. Vnde etiam natum adagiū, Oleo tranquillior, in eos qui taciti, minimeq́ iracūdi, ac leni ingenio præditi sunt. Plautus in Pœnulo: Ita hāc ego canem faciam tibi oleo tranquilliorem. *Oliuo.*) Oliuarum succo & oleo. Plinius lib. 15. ca. 3. Suus quidem oliuæ succus est oleū. Ab oliuo autem oliuitas, pro legendarum

[Margin notes: **Cerebrum animæ domicilium rationalis.** — **Somnus.** — **Quomodo fiat somnus.** — **Oleum ὑγρὸν.** — **Adagio.** — **Oliuum.** — **Oleum.** — **Oliuitas.**]

ac

ac cogēdarum oliuarum tempore, hoc est, olei uindemia dicta est ueteribus. Columella, Media est oliuitas plerūq; initium mensis Decembris. Eadem oleitas dicitur. Cato: Vbi uindemia, & oleitas facta erit, prǽla extollito. Est & oliuina olei prouentus & copia. Plautus in Pseudulo: Quoius amatores domi oliuinam habent maxumam, si mihi non iam huc culleus oliui deportabitur. Olea item nunc arborem significat. Cato: Olea si fructum non fert, ablaqueato: nunc uero baccam & fructum. Cato: Oleum uiride sic facito: oleam quàm primum ex terra tollito. Varro. De oliueto, oleam, quam manu tangere possis è terra, aut scalis, legere oportet potius, quàm quatere. Et eadem oliua quoq; dicitur. Columella: Prius de conditu ris oliuarum prǽcipiemus. Constant autem oliuǽ, ut Plinius ait, nucleo, oleo, carne, amurca: sanies est hǽc eius amara, fit ex aquis, ideo siccitatibus minima, riguis copiosa. Oliua itē, ut Caper grammaticus ait, arbor est, olea fœtus, oleū liquor. Est item Oliuetum, quod & Oletum Cato uocat, locus olea consitus.

Oleitas. Oliuina. Olea. Oliua. Amurca. Oliuetum. Oletum.

HEMICRANIO MEDENDO.

CAPVT II.

PORTIO si capitis morbo tentetur acuto,
Allia diuersam lana contecta per aurem
Inducta prosunt. Et eodem balsama pacto.



HEMICRANIO.) Hemicranius siue hemicrania, morbus est capitis acutus & uehemens, dimidiam eius partem occupans atque infestans, sǽpius non cura sed blandimento cum narcothicis & stupefacientibus indigēs, scilicet ubi uehementissimus est dolor & pulsatio. Galenus hunc morbum in libro diffinitionum sub nomine heterocra-

Hemicrania.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Heterocrania. niæ ſic diffinit. Heterocrania eſt cum in ſiniſtra dextráue
capitis parte dolor fit, isq; aliquando augetur & acuitur,
aliquando remiſſus languet et minuitur. Qui ita laborãt,
Hemicranici. hemicranici uocantur, ἀπὸ τοῦ κρανίου, hoc eſt, à cranio,
Cranium. quod ſupernum capitis os eſt & hemiſphęriũ ſummum.
Calua. Latini caluam & caluariam uocãt, ἡμὶ uero Græcis idem
Caluaria. eſt quod ſemis & dimidium. Plinius eundem morbum
heterocraniõ nominat, ἀπὸ τοῦ ἑτέρου καὶ κρανίου, ab altera
hoc eſt dimidia cranei parte. Horum autẽ quibus ſic me-
dia capitis pars dolore infeſtatur, alij extra caluariam, alij
in capitis intimis partibus dolorem ſentiunt, cuius diſcri
men ab oculorum radicibus ſumitur. Nam quibus intra
caluariam eſt diſpoſitio, ijs ad oculorum uſq; fundamen-
ta dolor extenditur, eoq; & à cerebro & ab utraq; mem-
brana, atq; à uaſis quæ in ipſis continentur, ueluti germi
De locis aff. li. na quædam deducuntur, autore Galeno. *Portio.*) Me-
Portio. dietas, quarum una ad alteram portio eſt & pars propor
tionalis, eiuſdemq; denominationis, ut quota aut quan-
ta eſt una, totta & tanta ſit etiam altera. Harum autem ca-
Eodem. pitis medietatum, ut tradit Galenus, dextram à ſiniſtra di
ſtinguit ſutura per longitudinem ipſius protracta, ſub
qua intra capitis oſſa, linea medium cerebrum diuidens
protẽditur, ad quam etiam peruenit, anteriorũ duorum
Morbus. uentriculorum ſeptum. *Morbo.*) Morbus, operationis
Therap. lib. 2. læſio eſt ſenſibilis. Nam cum eorum quæ corporibus no
Quatuor diffe ſtris pręter naturam accidũt quatuor ſint differẽtiæ. Vna
rentiæ eorum ipſius functionis actionisue uitiatæ. Altera eius qui hanc
quæ humano peperit affectus. Tertia cauſarum quæ ipſum præceſſerũt
corpori præter & excitarunt affectum. Quarta ſymptomatum quæ hũc
naturam acci- neceſſario conſequuntur. Illum qui actionem lędit ac ui-
dunt. tiat affectus, iure appellabimus morbum. Nec abſq; ratio
ne morbi definitioni addita eſt dictio SENSIBILIS: niſi
enim ad ſenſibilem magnitudinem perueniat & actioni
officiat læſio, morbus non dicetur, aliâs nanq; perptuæ
paſſibilitatis dogma incurreremus, cũ nullꝰ ſit qui omnes

actiones

actiones optimas habeat. Sed de morborum dignotione & latitudine tum alibi tum in arte medicinali & in libris de sanitate tuenda, plura Galenus. *Acuto.*) Inter morbos qui acutos, uehementes, maximos atq; grauissimos inferunt cruciatus, est & capitis dolor, & is potissimum qui hemicranius dicitur: unde Mesue inquit, Hemicrania, est ægritudo de genere uehementium dolorum. Verum morborum alius acutus, alius diuturnus siue longus dicitur. Acuti uero sunt, ut Galenus tradit, qui præter id quod celeriter iudicantur, statim etiam magnitudinem habent. Vnde ephemeræ febres excluduntur, quæ licet cito finiantur, magnitudinem tamen non habent, quare nec acuti morbi uocantur. Magnitudo autem in morbis aut grauitas trifariam intelligitur: aut enim propter membri principatum & præcellentiam, aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipsius cacoethian, id est, sanandi malignitatem, contumaciam atq; rebellionem, adeo ut omnibus rite decenterq; factis, tamen non sanetur affectus. Porrò duplex acutorum genus habetur. Siquidem nonnulli simpliciter ac primum, proprieq; uocantur acuti, quorum alij cum febre sunt, alij uero sine febre, ceu conuulsio, neruorum distentio & bilaris. Quidam uero acuti sunt ex cõuersione: & tales fiunt quoties inter initia acute ægrotẽt, tum autem quartodecimo die, aut etiam ante, non integre iudicẽtur: sed quia supersunt quædam reliquiæ ægrotationis ex quibus ad quadragesimum diem usq; morbus extenditur. Vertitur uero per iudicationes imperfectas acutorum morborum, nõ solum in hos, sed etiam in alios diutinos, maxime marcorem, quartanam, suppurationem, tabitudinem, aquam inter cutem. Sunt itaque quantum in ipsam temporis differentiam agitur, morborum genera omnia tria: aut enim acuti sunt qui quarto decimo finiuntur die, quibus diutini opponuntur, ambiguum uero & uelut in confinio positum tertiũ genus, cuius terminus decretoriorũ dierũ

Morbus acutus.

Aphor. lib. 2. Aph. 19.

Morbus magnus.

Therap. li. 4.

Progn. lib. 1.

Morbus acutus simpliciter, cũ febre, sine febre.

Morbus acutus ex cõuersione.

Aphor. lib. 2. Aph. 19.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quadrageſimus dies eſt. Cęterum acutorum morborum
duplex eſt natura: uel enim in humoribus calidis fiunt
qui nullum proprium obſedêre locũ, ſed ęqualiter in om
nibus animalis partibus apti ſunt ex ſua natura generari,
ut febres: uel uno loco aliquo proprio patiente fiunt, ceu
pleuritis, peripneumonia, ſynanche, quibus ſemper con
tinuæ adſunt febres. Rari enim ſunt quibus febres non
Morbus lõgus. adſint, ut apoplexia et quidam paulo ante dicti. Morbi ue
ro longi ab craſſis, lentis ac frigidis fiunt humoribus,
qui difficilis ſunt concoctionis et patienti loco inhærent,
ita quod eorũ diſpoſitiones magis præduris tumoribus
quàm inflãmationibus aſſimilantur. Quod ſi qui ex ipſis
fiunt per compaſſionem, & abſq; loco patiente, in qui-
bus uenæ omnes æqualiter habent humores putreſcen-
tes, uel atræ bilis, uel pituitæ naturã præ ſe ferentes, pauci
Morbus pera cutus. quidem hij ſunt & rari. Adhæc ultra iam dictos, alij ſunt
morbi qui peracuti uocantur, qui ſtatim in ſummo uigo
Aphor. li. 1. re conſiſtunt, ſcilicet circa primos quatuor dies uel paulo
Aph. 7. ulterius, in quibus ſtatim morbi incidit uigor, qui nihil
aliud eſt quàm morbi in caſibus ſummum. *Allia.)* Allio
rum duplex genus eſt. Vnũ ſatiuum ſiue hortenſe: quod,
Allia. Lib. 2. ut Dioſcorides ſcribit, in Aegypto concreto capite porri
modo naſcitur, dulce, colore ad purpuram inclinato, exi
guumq;: reliquis locis grande allium multiceps & candi
dum eſt. Vocantq; in eo diuiſiones ſpicas ſeu nucleos.
Plinius uero libro 19. cap. 6. Allium, inquit, tenuiſſimis &
quæ ſeparantur in uniuerſum uelatur membranis, mox
pluribus coagmentatur nucleis et hijs ſeparatim ueſtitis.
Aſperi ſaporis, & quo plures nuclei fuerint, hoc eſt aſpe-
rius. Tædium huic quoq; halitu ut cepis, nullum tamen
coctis. Alterum genus eſt ſylueſtre, quod Dioſcorides &
Vlpicum. Galenus Ophioſcorodon quaſi anguinũ uocari dicunt.
Quamuis Columella non ophioſcorodon ſed aphroſco
Libr. 11. cap. 3. rodon quaſi ſpumeum à Græcis appellari dicat, cum ait:
Vlpicum, quod quidam allium Punicum uocant, Græci
autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

autem ἀφροσκόροδον appellãt, longe maioris est incrementi quàm allium. Et idem comprobare uidetur Plinius lib. 19. cap. σ. de eodem sic scribens: Vlpicum quoque in hoc genere, Gręci appellauere allium Cyprium, alij antiscorodon, precipue Aphricæ celebratum inter pulmentaria ruris grandius allio: trito in oleo & aceto mirum quantum increscat spuma. Cæterum allio magna uis est, magnæ etiam utilitates. Somnos enim facit, medeturq́ʒ, ut Plinius testatur, temporum doloribus illitum elixum, & ut hic Serenus docet, hemicraniæ: idq́ʒ à frigidis crassis & glutinosis humoribus factæ: calfacit enim, desiccat, incidit, attenuat, disijcit, euocat & ad contraria distrahit. *Diuersam.*) Contrariam: quo uidelicet ad contrariam partem morbi fiat distractio, adeo ut si in dextra parte fuerit dolor, sinistræ imponatur medicamen: & si in sinistra, dextræ. Quo enim facilius euanescant, ad contrarias partes distrahere oportet morbos atq; auertere. Quæ quidẽ ad contraria auersio fit aut secundum longitudinem, ut quæ supra & infra: aut secundum latitudinem hinc et inde, hoc est à dextris et sinistris: aut secũdum profundum, ante et retro. *Lana.*) Aut succida aut elota. Succida propter sordium suarũ pinguedinẽ quæ œsypus est, egregie mollit, adsperginesq́ʒ facile combibit, ut inquit Dioscorides. Lota uero, si non aliter, tamen in hoc confert & utilis est, quod aliorum medicamentorum est materia: hac enim medicaminum liquor recipitur & infunditur, quo pacto dolenti loco melius applicatur et imponitur, ac medicamenti uis quæ aliâs facile euanesceret, hac etiam magis conseruatur in uigore donec operationem suam perfecerit. Oportet autem bina parata habere ẽ lana pittacia affecti loci longitudinem latitudinemq́ʒ æquantia, & inuicem alterum in succo, alterum supra locum affectum, ut cum prius impositum exiccatum & amotum fuerit, iterumq́ʒ in succo humectatur, statim alterum iam humectum ẽ succo imponatur. *Aurem.*) Per aurem etiam

Lana succida, elota.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tempora intelligas. *Balsama.*) De balsamo dictum iam est capite priori.

Allia uel ternis piperis terna addita granis,
Trita lines, certam dabit hæc tibi cura salutem.

Piperis tres differentiæ. *Longum.* *Album.* *Nigrum.*

Ternis piperis.) Ne forte, si plura acciperentur et in maiore copia, caput nimium excalfaciendo & aridum reddendo, noxam illi inferrent. Est enim piper qualitate calidissimum atq; siccissimum, plurimumq; mordens. Quod in India nascitur triplici differentia. Nam, ut libro 2. Dioscorides refert, à sui ortus initio fructum fert arbor ipsius siliquarum modo oblongum, quod longum piper est, clauditq; intra se quod exigui milij seminibus simile sit, integrum & absolutum mox futurum piper. Id per maturitatem legitimo tempore dehiscens, racemos ex se mittit, granis quæ nouimus onustos: alijs quidem maturis quæ nigrum piper sunt, alijs uero acerbis quæ candidum piper sunt. Inuenitur autẽ in nigro quod tabidum, inane, leueq; sit: uocaturq; id gentis eius uocabulo brasma quasi abortus. Idem tradit Plinius lib. 12. cap. 7. dicẽs: Siliquæ priusquã dehiscant, decerptæ tostæq; sole, faciũt quod uocatur piper longum. Paulatim uero dehiscentes per maturitatem ostendũt candidum piper, quod deinde tostum solibus colore rugisq; mutatur. Verum & his sua iniuria est, atq; cæli intemperie carbunculantur, fiuntq; semina cassa & inania, quod uocant brechmasin, Indorum lingua sic significante abortum. Commendatur autem piper autore Galeno, longum quidem quod integrum est, minimeq; foratum, & quod fractum grana sua iuncta & coherentia habet: item quod gustu piperis qualitates seruat, & in aquam missum totaq; die maceratum non liquatur nec soluitur. Nigrum uero nec exile nec rugosum nec crassi corticis esto, sed põderosum quod tum maximum tum plenissimum est. Item de albo simili modo eligatur, quod maximũ est atq; plenissimum. Verum

Brasma. *Brechmasi.*

omni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

omni piperi communis natura & uis est calefacere, extrahere & discutere. Somnum conciliat, somnoq; dolores leuat, autore Dioscoride.

PORRIGINI DEPELLENDAE

CAP. III.

EST insensibilis morbus & noxia forma,
Cum caput immensa pexum porrigine ningit,
Copia farris uti frendentibus edita saxis.
Hanc poterit maluæ radix decocta leuare.



ORRIGINI.) Porrigenem Celsus duorum generum uidetur facere. Vnã humidam & cum exulceratione: alteram siccam et sine exulceratione. Nam libro 6. cap. 11. sic illam describit: Porrigo est ubi inter pilos quædam quasi squamulæ surgunt, eæq; à cute resoluuntur, & interdum madent, multo sæpius siccę sunt. Idq; euenit modo sine ulcere, modo exulcerato loco: huic quoq; modo malo odore, modo nullo accedẽte: fereq; id in capillo fit, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio. Quarum siccam mederi nunc docet Serenus, & eam Græci à similitudine πίτυρα καὶ πιτυρίασιν uocant, hoc est, furfures, cum scilicet sponte sua ex capitis superficie tenues & furfuraceæ squamulæ citra exulcerationem decidunt, ut Paulus Aegineta tradit: idemq; malum fieri dicit subeuntibus in caput malo corporis humore, salsáue pituita, aut bilioso & melancholico sanguine. Plinius Græcorum πίτυρα nunc porriginem nunc furfures interpretatur. *Insensibilis.*) Indolens: sensum et dolorem cruciatumq; non inferens, aut si quis adest cruciatus, is tamen præsens, non magnus nec grauis, sed paruus & tolerabilis existit. *Morbus.*) Morbus hic non pro affectu accipitur qui actioni incõmodat

Porrigo. *πίτυρα.* *πιτυρίασις.* *Furfures.* *Morbus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

& officit, sed pro dispositione solum pręter naturam deformi. *Noxia forma.*) Species nociua, fœda & deformis. *Immensa porrigine.*) Pluribus & innumeris quasi squamulis & corticibus furfuri similibus. *Pexum.*) Pectere est explicare & ordinatim disponere capillos, ita ut nulli remaneant sed omnes extricētur flocci. *Ningit.*) Ad niuis modum à se proijcit & emittit. *Farris.*) Farinæ, quæ à farre nomen accepit: fractum enim & in tenuissimum puluerem commolitum far, farina dicitur. *Frendentibus.*) Frendere est collidere, frangere & conterere. *Edita.*) Eiecta et excussa. *Saxis.*) Lapidibus molaribus, quibus frumentum in farinam comminuitur. *Hanc.*) Porriginem, qua descripta, docet nunc eidē medicamentis detergentibus, nonnihilq; reprimētibus mederi, præsertim ubi malum offendit: quod et prius innuit his uerbis, Immensa & Copia. Nam si leuior est, nihilq; offendit, melius est illam nō omnino prohibere, sed pectendo solum repurgare, cum non citra corporis uitium, nec integro capite nascatur: quare etiam non omnino inutilis est, præstatq; capite affecto, noxium extra ferri & cutem infici, quàm ad interiora et partes naturę actionibus magis necessarias uerti. Sed ne sine testimonio res agatur, haud abs re fuerit, quæ post descriptionem ipsius super hoc prodidit Celsus, subiungere, cuius hæc sunt uerba: Ac neq; sine aliquo corporis uitio nascitur, neq; ex toto inutile est. Nam bene integro capite non exit. Vbi aliquid in eo uitium est, non incommodum est, summam cutem potius subinde corrumpi quàm id quod nocet in aliam partem magis necessariam uerti. Commodius est ergo subinde pectendo repurgare, quàm id ex toto prohibere. Si tamen ea res nimium offendit, quod humore sequente fieri potest, magisq; si id etiam mali odoris est, caput sæpe radendum est, dein id superadiuuandum aliquibus ex leuiter reprimentibus, quale est nitrum cum aceto, uel ladanum cum myrteo uino, uel myrobalanum cum uino: si parum per

hæc

Pectere.

Farina.

Frendere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

hæc proficitur, uehementioribus uti licet, cum eo, ut ſcia
mus utique in recenti uitio id inutile eſſe. Hactenus Cel-
ſus. *Maluæ radix.*) Malua herba eſt nota, à Græcis molo- *Malua.*
che & malache dicta, ab emolliendo uentre: μαλάσσειν e- *Moloche.*
nim ſubigere eſt & mollire. Hinc illud Martialis: Vtere la *Malache.*
ctucis & mollibus utere maluis, Nā faciem durū Phœbe
cacantis habes. Huius folia tota die ad ſolem circumagi
teſtis eſt Theophraſtus, & Columella qui in carmine ſuo
ſic ait, Et moloche prono ſequitur quæ uertice ſolem. Eſt
autem duplex maluę genus. Vna hortenſis, quam in hor
tis ad cibos ut meliореſceret quondam ſerebant. Vteban
tur enim olim in cibo pro olere, quemadmodum ex He-
ſiodo colligitur in libro τῶν ἔργων καὶ ἡμερῶν operum &
dierum, ubi ait, Νήπιοι, οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς:
οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ, hoc eſt, Fa-
tui, neq; ſciunt quanto plus dimidium toto, Neq; quan-
tum in maluaq́; & aſphodelo magna utilitas. Et Dioſco-
rides hortenſem ſylueſtri magis edendo eſſe dicit. Altera
eſt ſylueſtris & in incultis locis naſcens, à priore ſolo na-
tali differens, & alia ab ea quæ arboreſcit & Ibiſcus, Al-
thęaq́; uocatur. Porrò de hijs ſic etiam ſcribit Plinius lib.
20. cap. 21. In magnis laudibus malua eſt utraq; & ſatiua et
ſylueſtris. Duo genera earum amplitudine folij diſcer-
nuntur, maiorem Græci malopen uocant in ſatiuis, alte-
ram ab emolliendo uentre dictam putāt malachen. E ſyl
ueſtribus, cui grande folium & radices albæ, althæa uo- *Althea.*
catur, & ab excellentia effectus à quibuſdam ariſtalthæa, *Ariſtalthea.*
à Latinis Ibiſcus & maluauiſcus appellatur. Cæterum *Ibiſcus.*
maluæ radix decocta ex uino, aut aceto, aut, ut Dioſcori- *Maluauiſcus.*
des tradit, ex urina hominis, furfures & manantia capitis
ulcera emendat & ſanat.

Aut tu fœniculum, nitrumq́;, & ſulphura uiua
Contere, deinde caput permixtis ablue cunctis.

Fœniculum.) Fœniculum ferulacei generis plāta eſt, Græ

Marathron. ci marathron dicunt, omnibus notũ. Nobilitauere id serpentes, gustatu senectam exuendo, oculorumq; aciem succo eius reficiendo. Vis illi calida, desiccans & abstergens. *Nitrum.*) Nitrum simile est sali, unde etiam cum adiuncto sal nitrum aliquando appellatur, Arabice baurach: aliud ab eo quod nunc sal nitrum & sal petrę uocãt, cuius in tormentis illis tonitruarijs, quas Bombardas uocant, usus est. Porrò nitri uaria sunt genera, de quibus copiose satis Mesue in de simplicibus, & Plin. nat. hist. li. 31. cap. 10. ubi de natura eius sic scribit: Non est differentia, et nitri natura non multum à sale distans. Optimum quod tenuissimum, et ideo spuma melior, cuius probatio est ut sit minime põderosa & maxime friabilis, colore penè purpureo. Nitri uero probatio ut sit tenuissimum & quàm maxime spongiosum fistulosumq;. In medicina calfacit, extenuat, mordet, spissat, siccat, exulcerat. Vtile ijs quæ euocanda sunt aut discutienda et lenius mordenda atque extenuanda, sicut in papulis pustulisq;. Dioscorides, Nitrum uires ex alto in summum euocandi habet. Item, Nitrum & nitri spuma uires habent sali æquales. Miscentur emplastris quę discutiendo, extrahendo, exterendo & extenuando sint. *Sulphura uiua.*) In terræ generibus, ut Plinius ait, uel maxime natura mira est sulphuris, quo plurima domantur. Genera quatuor. Viuum, quod Græci apyron uocant, hoc est, ut Celsus ait, quod ignem non expertum est. Nascitur solidum, hoc est, glebosum. Eo solo ex omnibus generibus medici utuntur. Cætera enim liquore constant et conficiuntur oleo incocta. Viuum autem effoditur, translucetq; & uiret. Alterum genus appellant glebam, fullonum tantum officinis familiare. Tertio quoq; generi unus tantum est usus ad suffiendas lanas, quoniam candorem tantum molliciemq; confert: Egula uocatur hoc genus. Quarto autem ad lychnia maxime cõficienda. Vires uiuo cuius in medicina usus, calefaciendi, discutiendi ac maturandi, cutisq; uitia detergendi,

Marginalia: Nitrum. Sal nitrum. Baurach. Sal petræ. Spuma nitri. Sulphur. Sulphur uiuum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

di, autore Dioſcoride.

Furfuribúsue nouis durum miſcebis acetum,
Vt uarios crines tali des unguine puros.
Prodeſt & tarda demptus teſtudine ſanguis.
Et prodeſt cedro dimiſſus ab arbore ſuccus,
Deſinet interea glomerari farrea nubes,
Ceſſabitq́ grauis crebræ porriginis imber.

Furfuribus nouis.). Furfur farinæ purgamentum eſt, detergentis naturæ præſertim nouum ac recens editum. *Durum.*) Forte, acre & multæ acetoſitatis. *Varios.*) Ob prauos in capitis cute humores, multiformes, inæquales, raros & hic inde diſperſos. *Des.*) Facias. *Tali unguine.*) Huiuſmodi unguēto prędicto. *Tarda.*) Tardigrada, pigra propter inceſſum: eſt enim tardi progreſſus teſtudo. *Teſtudine.*) Teſtudinum, quibus geminus & in terris & in aqua uictus eſt, plura ſunt genera. Terreſtres, marinę, lutariæ, quę in cœno et paludibus atq; in dulci aqua uiuunt, quas quidam è Græcis emydas appellant. Marinarum ſanguine alopeciarum inanitas & porrigo, omniaq́ capitis ulcera curantur. Inarſcere autem eum oportet, lenteq́ ablui; author Plinius lib. 32. cap. 4. *Cedro ab arbore.*) Cedrus arbor eſt grandis & procera, ex qua liquor colligitur cedrinus, è quo & oleum fit. Fructū fert iuniperi modo rotundum, myrtheæ baccæ magnitudine, qui cedrides dicitur: author Dioſcorides. *Dimiſſus.*) Stillatus, ſiue per ſe ſiue inciſa arbore is fluxerit. *Succus.*) Hoc eſt, liquor cedrinus, qui cedria, cedreáue & cedri mu dicitur: quamuis aliqui hæc inter ſe diſtinguant, cedriam eſſe dicentes crudam ex cedro arbore reſinæ modo ſtillātem lachrymam ſeu gumi, quod alchitran uocant Arabeş, & male picem liquidam interpretatur Simon Genuenſis. Cedrium uero ex cedri materia conciſa & in furnis accenſa picis modo fluentem & exceptum liquorem. Sed quia horū idem uſus eſt & æqualis in medicina uirtus, hinc fit ut illæ nūc

Furfur. *Teſtudo.* *Cedrus.* *Cedrides.* *Cedria.* *Cedrea.* *Cedrium.* *Alchitran.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

inter se misceantur appellationes. Cæterum probatur cedrinus liquor, ut Dioscorides tradit, qui crassus pellucet, & intenso firmoq; odore est, quiq; diffusus concretis stillicidijs seipsum continet nec diffluit. Natura & uis illi est uiuentia corpora corrumpere, defuncta incorrupta

Cadauerum uita. seruare, quam ob causam cadauerum uitam pleriq; eum dixerunt. Calefacit, siccat, & cutis uitia exterendo repurgandoq; emendat & sanat. *Interea.*) Dum hæc aguntur

Glomeror. & dicta remedia applicantur. *Glomerari.*) Glomerari est

Glomeramen. accumulari et coaceruari. Vnde glomeramen & glomera-

Glomeratio. tio, quasi aceruatio quædam et accumulatio: item glomer

Glomer. glomus & glomulus. Plinius nat. hist. libro 36. Si quis im-

Glomus. properet intra labyrinthum sine glomere lini, exitum in-

Glomulus. uenire nequeat. Apuleius in Asino aureo libro 6. Et accepto frumento & ordeo & milio & papauere & cicere et lente & faba, commixtisq; aceruatim, confusisq; in unum glomulũ. *Farrea nubes.*) Quod prius dixit, Copia far-

Nubes. ris. Est autem nubes proprie crassior ille uapor in aëre suspensus ex quo pluuia generatur, ad cuius similitudinem, porriginem uocat nubem, tanquam nubis speciem prębentẽ, dũ crasso et denso agmine deuolant porriginis squamulæ. *Grauis.*) Magnus, molestus & noxius. *Crebræ.*) Frequentis, dũ crebræ & frequentes decidunt squamæ, instar imbris, qui fit dum crebris descendit stillis pluuia. *Imber.*) Humor qui porriginem facit: seu squamulæ ipsæ instar imbris decidentes.

CAPILLO TINGENDO.

CAPVT IIII.

QVOS pudet ætatis longæ, quos sancta senectus
Offendit, cupiunt proprios abscondere canos,
Et nigrum crinem succo simulare doloso,
His prodest acri contrita cupressus aceto.

Capillo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98



APILLO.) Docet hoc capite Serenus Cosmotica quædam medicamenta, quæ capillis uenustandis excogitata sunt à medicis. Quid autem sit capillus, suijpsius indicio constat: cuius efficiens causa est frigiditas tum interior quæ in cute et capitis ossibus existit, tum exterior aëris nos ambientis, quę uaporem ab interioribus ascendentem, inq; cutis meatibus detentum, durius crassescere cogit. Materia uero pilorum est uapor fumidus, crassus, humens & glutinosus per cutem transpirans, productus à natura triplicem ob causam: quarum una est necessitas, propter cerebri humiditatem & cranei commissuras, ut noxij humores è capite expellantur: altera causa est iuuamētum, quo pilorum frequētia caput à nimio ambientis aëris tum frigore tum calore defendat, ipsorumq; iniuriam longius propulset. Tertia causa est ornatus & decor ne esset informe: unde interrogatus aliquando Charilaus cur comam nutriret? respondit hunc ex omni ornatu pulchriorem uenustioremq; fore. Proinde capilli in homine educandi & laudandi, aliâs superuacaneum naturæ summiq; artificis opus esset, qui tamen nihil frustra & incassum facere solent. Verum inaffectatos, hoc est, nulla decoris affectatione excultos, non delicatos, nec ad lenocinium ornatos & comptos, quos affectatos uocant, decet esse capillos. De quorum honesto ornatu & decore, sic inquit Ouidius: Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus, Et sine frōde frutex, & sine crine caput. Item diuus Ambrosius in hexamero libro 6. Coma reuerenda in senibus, uenerāda in sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adulescētibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris. Tolle arboris comam, tota arbor ingrata est. Tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flaccescit. Hic ornatus est capitis obuius omnibus & perspicuus, quo cerebrum munitur et uestitur, ne aut frigore uexetur aut ęstu. Sed quoniam in turpē ac effœminatā molliciem pessum

Cosmotica medicamenta. *Capillorum causa.* *Capillorum materia.* *Capillorum ratio triplex.* *Necessitas.* *Iuuamentum.* *Ornatus.* *Capilli inaffectati.* *Capilli affectati.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

iuerunt, non immerito à quibusdam uituperantur, ut qui mentem detegant, non ornent corpus. Vnde haud inscitum extat adagium, Nullus comatus, qui non idem Cynædus. Hinc contra Dionem qui comam encomio laudarat, Synesius caluitij laudem descripsit. *Tingendo.*) Inficiendo, fucum & alium à natiuo colorem inducẽdo. *Pudet.*) Verecundãtur & moleste ferunt annorum multitudinem atq; omnibus exoptandam senectutem, ob egregias illas animi dotes, consilium, rationem et prudentiã, quæ in senibus uigent. Sed stulta & peruersa mortalium natura semper deterioribus innititur, plurisq; æstimat corporis dotes quàm animi: unde plerisq; adeo onerosa est senectus, ut etiam senes iam effecti, semper iuuenes uideri malint quàm senes, dedecori ducẽtes corporis uires inualidas atq; infirmas, cutem rugosam, pilos canos cum prudentia & alijs animi dotibus iunctos in senibus: plurimum uero extollentes, maximiq; facientes corporis robur & uires præualidas, cutem prænitidam & bene curatam, formæq; pulchritudinem, pilos comatos, & id genus alia, quamuis nulla hijs adsit uirtus. Quo fit ut maximo oneri, maximeq; odiosa sit talibus senectus, & huius indicium ipsa canicies: unde sæpius etiam quo iuniores appareant, canos abscondere & fucũ, alienumq; colorẽ inducere student. Quo pacto aũt et quibus præsidijs in alios colores mutãdi sint cani, pręsenti ca. docet Serenus.

Aetatum discrimina.

Aetatis lõgæ.) Vitę diuturnæ & senij. Aetates à uarijs uarie distribuunt. Galenus in libro cui titulus ὅροι ἰατρικοί, quatuor eas facit. Primam iuuenum, in quibus efflorescit sanguis, tẽperaturæ calidæ & humectæ, ad modum Veris. Secundam uigentium, in quibus abundat flaua bilis, temperamenti calidi & sicci, instar æstatis. Tertiam mediorum, in quibus nigra efflorescit bilis, temperaturæ frigidæ & siccæ, instar autumni. Quartam senum, in quibus exuperat pituita, temperamenti frigidi atq; humecti, ad modum hyemis. Item Hippocrates in libro de uictus

ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ratione, diætáue sic easdem tradit, Modo autem hoc ætates inter sese differunt. Puer quidem calidis et humidis commixtus est, quoniam his constitit et creuit: nam calidissima & humidissima sunt, quæ proxima generationi sunt, plurimumq́ crescunt, hisq́ accedentia similiter. Calidus quidem est adulescens, quod ignis aquã superauit: siccus autem est, quod puerile humidum consumptum iam est, partim in corporis incrementũ, partim in ignis motũ, partim etiam laboribus. Vir autẽ siccus est & frigidus, quod calor amplius non superat, corpusq́ non crescit, propterea friget: siccitas enim prioris ætatis inest, sequentisq́, & aquę accessus nullã habet humectationem, quod siccis et humidis superatur. Senes uero frigidi et humidi sunt, quod ignis discessit, aqua accessit, quæ sua humiditate sicca pepulit, humida confirmauit. Auicenna uero prima Fen primi libri Canonis capite de cõplexionibus, ętates ita distinguit: Aetates omnes sunt quatuor. Prima est ætas addendi, quam uocant adolescentiam, ad annum producta ferę tricesimũ. Secunda est ætas consistentiæ, quæ & pulchritudinis ętas uocatur, ad annũ fere tricesimũ quintum uel quadragesimum. Tertia est ętas diminutionis occultę, in qua uirtus non amittitur, uocata senectus, quæ fere est usq; ad annum sexagesimũ. Quarta est ętas diminutionis & interitus manifesti, cum uirtus manifeste minuitur: & hæc quidem est ætas senium & finis uitæ. Prima autem ętas quæ est adolescentię, subdiuiditur in ætatem infanitiæ, cum ad dimotiones & ambulandum adhuc inepti sunt pueri. Deinde in ætatem dentium plantatiuam, quæ est post ambulationẽ & antequã sit fortis, & illud est cum nondum omnibus dentibus repletæ sunt gingiuę. Postea est ætas concussionis post uehementiam & ortum dentium priusquam polluantur. Post hanc uero est ætas cum ab eo semen egreditur quousq; barbescat. Demum est ætas fortitudinis, donec crescere sinat. Hactenus Auicenna, à quo & illud optime ad-

iectum est aduerbium Fere. Non enim ubiq; nec semper eadē habetur ætatū mēsura, sed diuersa pro ratione cōplexionis, sexus, uictus, regionis & aliorum plurium. Quod & sexto de sanitate tuēda testatur Galenus cum ait: Non est ętates annorum numero circumscribere, ceu quidam fecerunt, nisi forte in latitudine quadam. Nam pubertatem aliqui incipiunt anno quartodecimo, alij uno post anno aut etiam amplius: item diminutionis initium quidam habent statim ab anno trigesimo, nōnulli post quintum & trigesimū. Robur uero omnibus minuitur post ipsam summi uigoris ætatem. Sunt adhuc qui aliter partiantur ętates, uidelicet aut secundum uniuersi ordinem illas distribuentes, aut in hebdomadas aut gradus quosdam diuidentes, aut aliter quoq;. Sed de hijs ne sim prolixior, tantilla nunc sufficiant. *Sancta senectus.*) Sanctum dicitur quod à prophanis usib⁹ est segregatū, item quod incorruptum est. Vergilius: Tuq; ô sanctissima coniunx Fœlix morte tua. Et sic etiā sancta dicitur senectus incorrupta, quæ adolescentiæ honeste anteactæ fundamentis constituta est atq; firmata, omnis culpæ inscia, intacta & ab omni iniuria tuta. Vnde quib⁹ huiuscemodi senectus conceditur, hij quoq; maxime autoritatem, & autoritatis fructus, salutationes, assurrectiones, deductiones, reductiones atq; consultationes cōsequuntur: quare etiam maximus honos olim habebatur talibus, ut qui cōsilio, ratione, sententia, prudentia, sapientia, omniq; alia uirtute uigerent aliosq; præcellerent: ob quæ soli in senatū admitebantur & accersebantur, à quo etiam summum consilium maiores appellarunt Senatum, quod eiusmodi uirtutes nisi in senibus raro aut potius nunquam reperirentur, ob quas etiam honore isto soli digni existimati & iudicati sunt. Quod autem senibus olim amplissimi sint exhibiti honores, testis est inter alios uel A. Gell. Atticarū noctium lib.2. cum infit: Apud antiquissimos Romanorum neq; generi, neq; pecuniæ pręstantior honos tribui

Sanctum. Senectus sancta & honoranda.

Senatus unde dictus.

quàm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quàm ætati solitus, maioresq; natu à minoribus colebantur, ad deûm prope & parentum uicẽ, atq; omni in loco, inq; omni specie honoris priores potioresq; habiti. A cõuiuio quoq;, ut scriptũ est in antiquitatibus, seniores à minoribus domum reducebantur: eumq; morem accepisse Romanos à Lacedæmonijs traditum est, apud quos Lycurgi legibus maior rerũ omniũ honos maiori ętati habebatur. Hactenus Gellius de honore exhibito senibus à iuuenibus. Cuius rei etiã fuse & perpulchre meminit Valerius Maximus memorabilium rerũ lib. secundo. Iubemur & nos uel in sacris literis senectuti honorem deferre. Leuitici nanq; 19. sic scriptum est: Coram cano capite cõsurge, & honora personam senis, & time dominũ deum tuum. *Offendit.*) Apprehẽdit, occupat, lædit. *Proprios.*) Inter pilorũ colores senili ætati maxime proprius est albus. Pili enim humoris unde alimenta trahunt, colorem imitãtur. Senum autem humor maxime frigidus est & immodice humectus ad albedinem uergens, quare & pili inde emergentes inalbescũt & cani fiunt. Porrò alius & scriptus codex qui mihi est, hic non Proprios habet sed Properos, id est, celeres, & festinos, qui legitimũ ante tempus ob morbum aliquem aut curas aut aliunde cani facti, senes apparere faciũt. *Canos.*) Capillos albos & caniciẽ, quę bifida est: morbi et ętatis, morbi, ut quę ob uehemẽtiorem siccitatis uim in persiccantiũ ęgritudinum fine cõtingit: ætatis uero et senij canicies est, quæ caloris inopia contingit, frigiditatem & immodicã humiditatem indicans, humor enim & sublatus inde uapor, frigoris opera in albedinem uergunt & albos generant capillos. *Nigrum.*) Capillorum nigritia caliditatẽ indicat & adustionem quandam: humor enim et inde sublatus uapor caloris opera quodã modo aduritur, & in nigrorẽ uergit, unde & nigricantes efficiuntur capilli, eandẽ humoribus exprimentes qualitatẽ atq; colorẽ. Quo fit si cani in nigros mutãdi sint capillos, ut medicamẽtis uti oporteat calidis

Capilli albi unde fiant.

Canicies duplex, morbi, ætatis.

Capilli nigri unde fiant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

et ſiccis, quę humores frigidos calfaciant et quaſi adurãt: quales ſunt quas ſubſequẽter ponit Serenus. *Succo*) Humore et liquore inficiẽte. Seu, ut ſcriptus codex habet, Fuco, id eſt, colore. Fucus enĩ herbæ gen⁹ eſt, à Græcis φῦκον, appellatũ, de quo Dioſcorides medicinalis ſyluę lib. quarto, & Pli. libro 13. cap. 25. agit. Eſtq́ herba hæc tingendis lanis utilis. Vnde ſimpliciter fucus pro colore etiam accipitur, & fucare pro colorare: præſertim ubi nõ natiuus nec genuinus ſed factitius & uelut adulterinus ſignificatur, ut apud Horatiũ, nec amiſſos colores lana refert medicata fuco. Et inde medicamenta illa quibus capilli tinguntur, & quibus cuti ſuperinductis mulierculæ uitia formæ diſſimulant, fucos apellant. Plautus, Vitia corporis fuco occulunt. *Simulare.*) Simulare eſt aliud quàm ex ſe ſit eſſe oſtendere: quemadmodum diſſimulare eſt, id quod eſt, non eſſe oſtendere & fingere. Hic itaq; ſimulare per metaphorã pro inficere tingere & colorare ſumitur. *Doloſo.*) Fraudulento, fallente, decipiẽte, fictitio & aliud eſſe fingẽti, oſtẽdentiq́ quã ex ipſa rei natura exiſtat. *Cupreſſus.*) Cupreſſus arbor perpetuo uirore, magnitudine, rectitudine, proceritate, robore & perennitate inſignis: natu difficilis, &, ut Plin. ait, moroſa, fructu ſuperuacua, baccis torua, folijs amara, odore uiolenta, ac ne umbra quidem gratioſa. Huius ſemen (autore Teophraſto de cauſis plantarum lib. 1.) adeo minutum eſt, ut uix oculis percipi poſſit. Non enim totũ id quod pilæ ſpeciem gerit, fructus eſt eius, ſed quod cono innaſcitur, perquã tenue et exile laricis ſemini proximum, quod dehiſcente pilula ſua decidit, nec colligi, niſi ab experto poteſt. Natura cupreſſo, ut Dioſcorides tradit, refrigerans. Cõtra quod tamẽ eſt Galenus, qui, ut Serapio refert, uim illi tribuit calefacientem. Verum quod de aceto mox dicetur, id etiam de cupreſſo nunc dicere liceat: uidelicet, mediocris inter calorem & frigus eſſe temperaturæ, magis tamen calore participare, licet mediocriter. Eſtq́ uirtutis deſiccantis,

Fucus herba. φῦκοσ. Fucus color. Fucare. Simulare. Diſſimulare. Cupreſſus. Lib. 16.

cum

cum acredine & mordicatione moderata. Et ultra hęc est illi adstringendi facultas & amaritudo non parua: quarum qualitas amara quidem præit & adstringenti uiam facit, et altera alterius uim uehementiorem minuit: quare huiusmodi medicinæ quibus adstringendi uis cum amaritudine est mixta, præstantiores sunt hijs quę tantum adstringunt. Aliæ itē qualitates eius omnes minus sunt uehementes. Nam si ualentiores essent & immodicæ, utiq; inutiles essent & magis noxiæ quàm salutiferæ. Nimia enim exiccatio non modo putrescentes & uitiatos depasceret atq; discuteret humores, sed alios quoq; utiles adtrahendo consumeret. Calor uero immodicus humores plus iusto adureret & incineraret, cumq; acredine et mordicatione nimia cutē exulceraret: quę omnia summopere cauenda sunt in id genus dispositionibus. Valenter quidem siccantia, ne cum uitiato utilis quoq; confluens absumatur humor: calida uero imodice & acria, ne cutis exulceretur. Cæterum quod ex cupresso administratur in medicina, sunt folia, summitates & spheria, quas pilulas Plinius, alij conos & nuces uocant. Quodcunq; autem horum ex aceto contritum adhibueris, capillos inficit & denigrat. *Aceto.*) Quoniam ui stiptica & adstringente prædita sunt medicamenta quæ nigros tingunt capillos, et ob eam in altū minus apta sunt descēdere, ideo optime admiscetur illis liquor aliquis qui meatus adaperiat & ea ad statutum locum deducat: inter liquores autem ad id maxime idoneum est acetum, quod mediocris inter calorem & frigus est temperaturæ, & maxime tenuium partium, præcipue acre & forte, quod magis & reserat meatus & alia medicamenta ualentius penetrare facit. *Acetum.*

Vel frons lentisci, uel tristia poma sabuci,
Lumbrici quoq; terrestres miscentur oliuo
Et iuuenem præstant rediuiuo flore capillum.

Frons lentisci.) Folia lentisci arboris, ex qua nascitur resina *Lentiscus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Mastiche. quæ ab arbore lentiscina, à quibusdam uero mastiche appellatur. Totaq; arbor adstringendi uim habet: siquidem fructus, folia, ramorumq; & radicum cortex æquali potestate sunt, quamuis de folijs tantum quod capillos tingant, ab hoc & à Plinio traditum sit. *Tristia.*) Austera, acerba. *Poma.*) Acini. Arborum fructus omnis aut acinus est, aut bacca, aut nux, aut malum quod & pomũ dicitur. Inter acinos uero numerantur uua, morum, grana hederæ, sabuci, ebuli, mali Punici & id genus alia. Inter baccas autem, quæ maiores sunt acinis, minores uero pomis, fructus oliuæ, lauri, corni, myrthi, lentisci & similium. At nuces uocãt ea quæ foris duro teguntur cortice, & intus habent quod esui est. Contra uero quæ foris habent quod esui est, & intus dura includunt, ea mala uocant & poma. Sed hęc uocabulorum differentia non semper obseruatur, ut hoc loco manifesto apparet, ubi sabuci fructum non acinum sed pomum appellat Serenus. *Sabuci.*) Sabucus quid sit, notum est, huius interiora mire firma traduntur. Constat enim, ceu Plinius lib. 16. cap. 40. refert, ex cute et ossibus. Nam ut in animalibus, ita in toto arborum corpore, cutis, sanguis, caro, nerui, uenæ, ossa & medullæ intelligi debẽt. Acini eius eadem ratione qua uel cupressus uel lentiscus pilos inficiunt nigrosq; tingunt. Dioscorides, Inunguntur acinis sabuci ad nigrum colorem capilli: & Plinius libro 16. Sabuci acinos habent nigros atq; paruos, humoris lenti inficiendo maxime capillo. Nec modo illiti sed & poti quoq; id agunt, ceu Plinius etiam testatur libro 24. cap. 8. dicens: Acini sabuci tingunt capillum poti acetabuli mensura. *Lumbrici.*) Lumbrici uermes sunt à lubricitate sic dicti, multis ac uarijs morbis accomodi: temperatę inter frigus et calorem adurentem qualitatis, & qui humores unde pili tum gignuntur tum succrescendo augentur, uitiatos & locum iam occupantes, citra utilis confluentis absumptionem, digerendo discutiunt, & influentes inhibent, atque pilorum originem

Margin notes: Acinus. Bacca. Nux. Malum. Sabucus. Lumbrici terrestres.

originem corroborant. Vnde capillo tum gignendo & augendo tum flauo & pulchro colore tingendo sunt idonei. Accipiuntur autem lumbrici uiui, & in ollam, quo fricando se mundent, aliquandiu ponuntur, deinde lauantur, et loti cum tantũdem olei in duplici uase coquuntur, modo qui dictus est supra: cocti colantur, et oleum id usui seruatur, & oleum lumbricorũ appellatur, multi ac magni ad uaria morborum genera, usus in medicina. *Oleum lumbricorum quomodo conficiatur.* *Terrestres.*) Terreni & qui in terra repperiuntur, ad differentiam illorum qui aluum occupant et proprie lumbrici dicuntur, de quibus plura in sequentibus. *Rediuiuo flore.*) Florem rediuiuum uocat capillorum originem & radicem reflorescentem, quæ prius ob humores uitiatos languebat, marcebat et quasi emortua delitescebat, nunc autem ob eosdem pristinæ integritati medicaminis ui restitutos conualescit & reuiuiscit. *Capillorũ flos.*

Præterea niueum poterit depellere crinen,
Resina ex facili terra uiscoq; coacta.

Resina.) Resina est lachrymum et liquor crassus ex arboribus fluens & sæpius in iisdẽ sua sponte siccatus ad solem residens. Nascitur autem ex terebintho, lentisco, cedro, cupresso, & quas in Europa Plinius lib. 16. cap. 11. cognatas dicit arbores, ex pinu, pinastro, picea, abiete, larice & theda. Suntq; omnis resinę summæ species, ut idem Plinius libro 24. cap. 6. tradit, duæ. Sicca & liquida. Sicca quæ è pinu & picea fit. Liquida è terebintho, larice, lentisco, cupresso, & ut Dioscorides lib. 1. tradit, ex picea quoque & teda: qui etiam in siccæ genere abiegnã esse dicit & eam quę ex teda nascitur. Prȩstat autem in arborũ differentia & omnes alias antecedit, ut Discorides ait, terebinthina, postquam lentiscina est, quam mastichen uocant, tum quæ ex picea destillauerit & abiegna. Post has numerãtur quæ ex teda fluxit & pinea. In omnib9 autem hiis eligenda quæ odoratissima, pellucens, nõ adeo ari- *Resina.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

da, neq; humens, friabilis & ceræ similis. Natura resinæ omni, mollire, siccare, calefacere, discutere & repurgare & adstringere: uerũ discussoria uis maior est in terebinthina, adstringens uero in lẽtiscina. Præterea quanquam modice siccet resina, tamen immodice calfacit, uti Terapeutice lib. 3. tradit Galenus: & ideo ea nemo utetur sola, nec aliter, nisi cum leuiter refrigerãtibus admixtis, unum ex omnibus medicamentũ fecerit quod sit temperatum. Vnde Serenus hanc legem obseruans, terram quæ frigidæ est naturæ & capillo tingendo idonea, illi admiscet. *Facili.*) Molli & quę ad tractandũ sit habilis, in qua nihil est asperum aut lapidosum: quorum si quid inest, tollendum erit. Aut facili, id est, uirtutis non uehementis nec acris, sed temperatæ & corroborantis: quod si qua in sit acredo, talis (ut pręcipit Galenus Therapeutice libro. 6.) elui debet. Omnis enim eluendo detrahitur acredo & mordicatio. Lauatur autem terra omnis, ut Plinius libro 35. cap. 15. docet, aqua perfusa, soleq; siccata, ac iterum ex aqua trita & reposita, donec cõsidat & digeri possit in pastillos, coquitur in calicibus crebro cõcussu. *Terra.*) Plura sunt ad medicinas pertinentia terrę genera, ceu Samia, Chia, Selinusia, Cimolia, pnigitis, erethria, ampelitis, armenia, ochra, lemnia sphragis, rubrica sinopis, & fabrilis et si quæ sunt alię. E quibus capillis tingendis maxime idonea est ampelitis, quam pleriq; pharmacitim uocant. Vnde Plinius ait, Medicamentis additur, præcipue in calliblepharis & inficiendis capillis. Siccat, discutit & adstringit terra omnis cuius in medicina aliquis usus est: habetq;, ut Diosc. tradit, refrigerandi, glutinandiq; uim pręcipuã & supremã, citra omnẽ erodendi uim, nisi mixtam cõiunctamq; sibi aliam habuerit qualitatẽ ceu feruidam, quã tamen omnẽ lotura amittit. Videturq; autor nũc ad illud Martialis alludere: Quid faciem tingis? nam certe non potes illas Rhesina, Veneto nec resecare luto. *Visco.*) Cæterũ hic circa calorifica & adurentia illa medicamenta,

Terræ lotio.

Terræ genera.

Terra ampelitis seu pharmacitis.

Viscum.

ta, quædam animaduersione digna sunt. Et inprimis ca-
uendum, ne nimio & immodico talium usu in prauas in- Canones.
cidamus ægritudines, quod sæpius incautis usu uenire
solet: cuiusmodi sunt catarrhus, apoplexia, epilepsia, pa-
ralysis, & consimiles. Deinde præuidendum etiam cum
huiuscemodi adurentia adplicãtur remedia, ut caute id
fiat, ne cutem tangendo, ipsam exulcerent: quare sem-
per cum pectine administrentur, intra cuius dentes pri-
mum molle quid ceu bombix seu linum seu spongiæ fru
stulum aliquod illigetur, deinde in medicamine pecten
madefiat, & postea cum ipso madefacto caput pectetur,
statimq; linteolo mundo fricetur, hocq; toties fiat donec
optatus sequitur effectus. Adhæc antequam talia fiant,
prius lauandi sunt pili ut sordes auferantur, ad quod ma
xime idoneum est lixiuium è cineribus uitis & alumine: Alumen.
quod quamcũq; rem lotam cum aqua eius omni colori
inducẽdo aptam & idoneam facit. Cum autem ita loti fu
erint capilli, bene siccentur, et post sufficientem exiccatio
nem, medicamẽtum administretur, siue oleum id fuerit,
siue succus, siue alius liquor quicunq; ad id idoneus. *Co
acta.*) In unum acta & commixta.

In pulchram speciem nigros flauescere crines
Vnguento ciceris prædixit Tullius, autor
Si prægnans artus captiui soricis edit,
Dicuntur fœtus nigrantia lumina tingi.

In pulchram.) Splendidam et decoram, qualis esse solet fla-
ua. Vnde Horatius in Odis Pirrhæ comam pulchram de
scribere uolens, flauam illam uocat cum ait, Cui flauam
religas comam. Est enim muliebrium capillorum epithe
ton Flauum. Cęterum manu scriptus codex noster, non
In PVLCHRAM, sed Ad RVTILAM, scriptum habet.
Est autẽ Rutilus color, rufi species, qui nigroris aliquid Rutilus color.
habet admixtum, quem quidam hyacinthinum etiam di- Hyacinthinus color.
cunt. Sed qualis proprie sit color is, docet nos ex Fronto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

nis sententia A. Gellius Atticarũ noctium lib. 2. ubi Phauorino de colorum generibus differenti sic respondet Fronto: Non inficias imus, quin lingua Græca quam tu uidere legisse, prolixior fusiorq; sit, quàm nostra. Sed in his tamen coloribus quibus modo dixisti, denominandis, nõ perinde inopes sumus, ut tibi uidemur. Nõ enim hæc sunt sola uocabula ruffum colorem demonstrantia, quæ tu modo dixisti, ruffus & ruber: sed alia quoq; habemus plura, quàm quæ dicta abs te Græca sunt. Fuluus enim, & flauus, & rubidus, & phœniceus, & rutilus, & luteus, & spadix, appellationes sunt ruffi coloris, aut acuentes eum, quasi intendentes, aut cum colore uiridi miscentes, aut nigro infuscantes, aut uirenti sensim albo illuminantes. Nam phœniceus, quem tu Græce φοινικοῦν dixisti, noster est, et rutilus et spadix phœnicei συνώνυμα, qui factus Græce, noster est, exuberantiam, splendoremq; significat ruboris, quales sunt fructus palmæ arboris nõ admodum sole incocti, unde spadicis & phœnicei nomẽ est. Spadica enim Dorici uocant auulsum è palma termitem cũ fructu. *Speciem.*) Formam. Species unius cuiusq; rei forma, pulchritudo & decor est. Vnde & illud à Porphirio in libro prædicabilium repetitum, dictum est, πρῶτον εἶδος ἄξιον τυραννίδος, hoc est, primũ species digna imperio. Vbi multi perperam pro Primum, Priami legunt: quod uel ex Græcis uerbis manifestũ est. *Flauescere.*) Flauos fieri, qui color etiam ruffi species et appellatio est. De quo post fuluum sic etiam idem Fronto apud Gellium refert, Flauus contra uidetur ex uiridi & ruffo & albo concretus. Sic flauentes comæ, & quod mirari quosdam uideo, frondes olearum à Vergilio dicuntur flauæ. Sic multo ante Pacuuius aquam flauam dixit, & flauum puluerem. Cuius uersus (quoniã sunt iucũdissimi) libens commemini: Cedo tamen pedem, lymphis flauis flauum puluerem Manibus ijsdem, quibus Vlyssi sæpe permulsi, abluam, Lassitudinemq; minuam manuum multitudine.

Ruffi coloris appellationes.

Phœniceus color.

Rutilus.

Spadix.

Species.

Flauus color.

Hæc

Hæc ille. *Vnguento.*) Vnguẽtum proprie uoluptuarium est, uoluptatis, delitiarum, elegantiæ, suaueolentiæ ac luxurię causa ad ungenda corpora inuentũ. Cuius faciendi ratio, ut Plinius libro 13. refert, duplex est: Succus & corpus. Ille olei generibus ferè constat, hoc odorum: hæc stagmata uocant, illa hedismata. Singuli quoq; succi nobilia unguenta faciunt. Siccis odoribus constant quę diapasmata uocantur. Nam feces unguenti magmata appellant. Et hæc est materia luxus è cunctis maxime superuacui. Verum talium usus nunc aboleuit. Accipiturq́; unguentum modo pro compositione medicamentaria tenaci, qua ualetudinis causa chirurgi ad morborum et uulnerum curationem utuntur. Porrò unguentum Serenus pro unguine accipit, quod succum significat ex quo aliquid ungi potest. *Ciceris.*) Cicer leguminis genus est, cuius differentiæ plures, magnitudine, figura, colore, sapore: de quibus libro 18. Plinius. Virtus & natura illi est calida cum absterſione et mundificatione: unde pilorum sordes detergendo ipsos mundificat & splendidiores efficit succus & ius decoctionis ipsorum. *Tullius.*) Reijcit dicti iam medicamenti fidem in Tulliũ, qui quantus in omni doctrinarum genere claruerit, libri ab eo editi satis id monstrant, si modo is est, qui Cicero appellatur. *Autor.*) Assertor & inuentor non modo dicti de ciceribus medicamenti, sed & eius quoq; quod sequitur de oculorum infantium nigredine formanda. Autor nomen est, nõ uerbale, ut quidam existimauerunt, ab augeo, sed antiquum & primogenium, hoc est non ab alio, sed à se natum, generis communis: & citra aspirationem scribitur. Quamuis quidam etiam à Gręco deductum uelint quod Gręci αὐθέντην autorem dicant: quod si esset, potius utiq; per aspirationem scribi conueniret, quod tamen non fit. Nec reprehendẽdus est Seruius, qui id primogeniũ esse autumat et asserit. *Prægnans.*) Mulier uterũ gerẽs et grauida, queq́; iã occupata est in generando, quod conceperit.

Vnguentum. *Stagmata.* *Hedismata.* *Diapasmata.* *Magmata.* *Cicer.* *Tullius.* *Author.* *Prægnans.*


Artus captiui soricis.) Muris recens capti membra & corpusculum. Sorex mus est, à sono quem rodendo facit sic dictus. Aliqui à mure distinguunt: mures quidē domesticos, sorices uero syluestres esse dicētes. Et diuersa esse uel ex Columella manifestum est, dum ait: Si serpēs aut mus sorexq́ in mustū ceciderit. Plin. Sorices & ipsos hyeme cōdi autor est Nigidius. Quod ad medicamētum attinet, idem aliorū autoritate, tacito tamē autore, Plin. refert lib. 30. cap. 5. dicens: Si oculi nigri nascentium placeāt, soricē pręgnanti edendū tradunt. *Fœtus.*) Partus in utero adhuc existentis. *Lumina.*) Oculi. Catullus, Vt simul ac nostros inuisent lumina colles. *Tingi.*) Colorari & nigros fieri. Et hoc uel causa quadam occultiore, uel pręgnantis comedentis imaginatione fortiore.

Sorex.

PHTHIRIASI ARCENDAE.

CAPVT V.

NOXIA corporibus quædam de corpore nostro
Progenuit natura, uolens abrumpere somnos
Sensibus, & monitis uigiles incendere curas.



PHTHIRIASI.) Phthiriasis morb' est pedicularis, ubi ex sanguine & humoribus malis et corruptis intra cutim pediculi generantur & uermes qui φθεῖρες uocātur. Theophrastus de causis plantarum libro 2. Omnibus cognati nutrimenti desiderium est, quemadmodum pediculis sanguinis, ex cuius corruptione generatio eorum existit. Et Plinius lib. 26. cap. 14. Item phthiriasi, quo Sylla dictator consumptus est. Nascuntur quoq; in sanguine ipso hominis animalia exesura corpus. Qui hunc morbum patiuntur, à uermibus deducto uocabulo, σκωληκόβροτοι appellantur

Phthiriasis.

φθεῖρες.

σκωληκόβροτοι.

appellantur interdum: quo genere obijt Herodes, ceu di- Herodes.
uus Lucas in Actis Apostolorum refert dicens: Καὶ γενό- Democritus.
μενος σκωληκόβρωτος, hoc est, Et factus est obnoxius mor- Alcman.
bo, quo qui laborant, exedūtur à uermibus. Eodem mor- Mumius.
bo interiere Democritus, Alcman poeta, Mumius iure- Ennius.
consultus, Ennius belli Seruilis dux, & quos autor hic Pherecides.
nominat Pherecides Syrus, & L. Sylla dictator. *Noxia* L. Sylla.
corporibus.) Nociua & corruptionem interitumq́ adfe-
rentia corporibus nostris, hoc est, toti massæ corporeę ex
artubus & mēbris cōpactę & constitutæ. *Quædam.*) Ani- Pediculi.
malia ceu uermes & pediculos, quos Plinius etiam nunc Vermes.
tineas nunc serpentes uocat. Tineas quidem lib. 11. cap. 33. Tineæ.
dum infit: Nascuntur intra hominem tineæ tricenum pe- Serpentes.
dum, aliquando & plurium longitudine, iam in carne ex
animi, uiuentium quoq; hominum capillo: qua fœditate
& Sylla dictator & Alcman ex clarissimis Græciæ poetis
obiere. Serpentes uero lib. 7. cap. 51. dum ait: Morborum
tam infinita est multitudo, ut Pherecides Syrus copia ser-
pentium ex corpore eius erumpente expirauerit. Et Apu-
leius floridorum lib. 2. Quin etiam Pherecides Syro ex in-
sula oriundus, qui primus uersuum nexu repudiato, con-
scribere ausus est passim uerbis soluto loquutu, libera
oratione: eum quoque Pythagoras magistrum coluit, &
infandi morbi putredine in serpentium scabiem solutum
religiose humauit. *De corpore.*) Hoc est, ex sanguine &
carne corrupta. Corpus nūc totam massam corpoream, Corpus.
nunc carnem ipsam & sanguinem significat. Martialis,
Viuebant laceri membris stillantibus artus, Inq́ omni
nusquā corpore corpus erat. *Natura.*) Natura uis quędā Natura.
est diuina, mundi membris à se creatis indita. Aristoteles
auscultationis physicę lib. 2. Naturam diffinit principium
& causam mouēdi & quiescendi eius in quo est, primum
per se, & non secundum accidēs. Hippocrates in libro de
natura inscripto, Naturam uocat quod uti cūcta gignan-
tur, ingenerentúrue, principia subministrat. Aliquando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uero perfectionē denotat & consummationē atq; finem: in quo significato eam accipit Aristoteles Politicorum lib. 1. cap. 2. ubi inquit: Quale unumquodq; generatione eius perfecta & absoluta, hāc uniuscuiusq; naturā esse dicimus. *Volens.*) Velle et intēdere dicitur natura quod nō impedita produceret. *Somnos.*) Somnus sensuum ligamentum, defectus & impotentia, ob excessum uigilandi dicitur. Vigilia uero eorundem solutio, cum liberam functionibus suis intendere ualēt operā. *Sensibus.*) Vbi enim sensus nō est, nec somnus esse potest. Solis enim uiuentibus sensum habentibus cōuenit tum somnus tum uigilia. Et quicquid dormire contingit, idem contingit & uigilare. Est autem Sensus nunc substantiæ nomen ex forma sensationem efficiente et materia illam suscipiente compositæ: nunc uero sensationis, hoc est, in ipso sentiendi organo obiecti sensibilis deprehensio. Estq; duplex. Vna interior, hoc est, interioris organi, phantasia et imaginatio dicta. Altera exterior, organiq; exterioris, uidelicet, Auditio, soni in auditu perceptio, Visio, coloris in uisu, Odoratio, odoris in olfatu, Gustatio, saporis in gustu, Tactio, tangibilis qualitatis in tactu susceptio. Estq; nūc operationis, nunc potentiæ nomen. *Et.*) Expositio est prioris, nam quod non dormit, uigilat, modo uigilare & dormire aptum natum sit. *Monitis.*) Admonitis, scilicet per somni ablationem ob cruciatus præsentiam: nā quibus somnus aufertur, quosq; cruciatus aliquis infestat, tales ne dormiant sed uigilent, deq; rebus suis solliciti sint, admonentur & instruuntur. *Vigiles curas.*) Vigilias curarum & sollicitudinum plenas, ab effectu: curæ enim uigilias inducunt, hominemq; insomnem efficiunt. Quibus enim res quæpiam curæ est, hij solliciti & insomnes uigilesq; redduntur. Statius syluarum libro 1. Vigilesq; suo pro Cæsare curæ.

Naturam uelle. *Somnus.* *Vigilia.* *Sensus.* *Curæ uigiles.*

Sed quis non paueat Pherecydis fata tragœdi?

Qui

Qui nimio ſudore fluens, animalia tetra
Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt.

Quis.) Ac ſi diceret, nullus. *Paueat.*) Formidet, timeat, & abhorreat. *Pherecidis.*) Pherecides Syrus poeta tragicus & philoſophus percelebris, Pythagoræ præceptor fuit, qui propter deorum contemptũ et iactantiam ſuam, quod deis ſe nunquam immolaſſe, nec minus iucunde ſemper uixiſſe prædicabat, tam diro fato tamq̃ exitiali morbo phthiriaſi ab Apolline punitus periit. *Fata.*) Mortem fatalem, quæ diuinæ prouidentię decreto, et ſuo ordine uti à deo prouiſa eſt, euenit. Hic quęſtio ſe ingerit, quæ apud Philoſophos agitatur, uidelicet, An omnia ex fati præſcripto, neceſſario eueniant? Cuius quæſtionis uis in eo latet, ut quid ſit fatum, pernoſcatur. Sed quia uariæ de hoc & diuerſæ ſunt philoſophorũ opiniones, hinc euenit etiam ut diuerſa de fati neceſſitate ſentiãt, ſintq̃ inter ſe ipſi diſcordes. Alii enim, è quorum numero eſt Tullius, fatum è medio tollunt, & nihil eſſe uolunt, quare & fato nihil tribuunt, neq; tribuere quid poſſunt. Alii uero fatum quidem admittunt, ſed non idem de eo ſentiunt. Chryſippus enim Stoicæ princeps philoſophiæ, fatum definit naturalem quandam & ſempiternam indeclinabilemq̃ per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus connexa eſt, ſeriem rerum. Plato uero & Platonici fatum appellãt uniuerſalis naturæ rationem ſempiternam, eternamq̃ legem, quando ſcilicet illa cœleſtium cauſarum ratio ita digeritur, ut exquiſitæ arti dominetur. Et quamuis hii omnia fato tribuant, tamẽ cauſam quoq; à nobis proficiſcententem adhibent. Alii autem fatum appellant, diuinæ prouidentię decretum, ſeu decreti quendam effectũ. Prouidentiam autem nihil aliud dicunt quàm ordinis rerum rationem, quantum diuinæ ineſt menti, quæ omnia diſponit, ordinat atq; prædeterminat. Eius uero ordinis quantũ mobilibus ineſt rebus, explicationẽ & effectum,

Pherecides Syrus.

Fatum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uocant fatum. Et hij omnes cuncta ex fati & necessitatis,
quam uocant, præscripto fieri uolunt, nihilq́; esse quod
non fato regatur. Quibus tamen aliarum opinionum au
tores ita reclamant, Si omnia fato gubernantur & nihil ci
tra fatalem fit necessitatem, haud merito hominum deli-
cta ipsis & uoluntatibus eorum imputantur. Item si non
sponte sed necessitate quadam delinquũt & ad maleficia
trahuntur homines, inique nocentium pœnæ legibus
constituuntur, quod tamen cottidie uidemus fieri, ob li-
beram bene uel male agendi concessam nobis uoluntatẽ.
Sed de hijs uide A. Gellium Atticarum noctium libro 6.
Tragœdi.) Tragici poetæ, fuit enim Pherecides poeta tra-
Tragœdia. gicus & tragœdiarum scriptor. Est autem tragœdia poe
matis genus grande, in quo heroes, duces ac reges intro-
ducuntur. Seu ut aliqui diffiniunt, Tragœdia est heroi-
cæ fortunæ in aduersis determinata comprehensio, qua
discitur quid in uita fugiendũ sit: habetq́; principia tran-
quilla, media suspecta, & exitus tristes atq; funestos. Di-
cta uero est tragœdia, ἀπὸ τοῦ τράγου καὶ τῆς ὠδῆς, hoc est,
ab hirco & cantu. Nam olim Liberalibus (qui Libero pa
tri festus erat dies) hircus cantus pręmium proponeba-
tur: hinc Horatius, Carmine qui traico uilem certauit ob
hircum. Cur autẽ eo tunc hircus immolaretur Libero pa
tri, causam habes apud Verg. georgicon libro 2. Seu ut
alij nolunt, dicta est tragœdia à fece quã τρυγά appellant,
eo quod olim personis nondum repertis, fabulas acturi
ora fecibus perungebant. Vnde Horatius, Ignotum tra-
gicæ genus inuenisse camenę Dicitur & plaustris uexisse
poemata Tespis, Quæ canerent, agerentq́; peruncti feci-
τρύξ. bus ora. Sunt etiã qui à uino, quod τρύξ diceretur, dictam
uelint, eam ob causam quod Liberalibus uinum cantori
bus pro corolario dabatur. Dictum est autem τρύξ uinũ,
à præcipua eius parte, hoc est, à fece: hæc enim uini ro-
bur & perfectio est. Nam hac exempta facile degenerat,
nec ita diu multis in locis uim suam obtinet, sed ante tem

pus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

pus deperdit. Cæterũ tragœdia Libero patri sacra est, ceu Apollini comœdia, quæ priuatorum ac ciuium acta comprehendit. *Sudore.*) Sanguine & humore corrupto & putrido. *Fluens.*) Manans & diffluens: in uermes enim solutus interijt. *Animalia tetra.*) Vermes & pediculos fœdos, diros & noxios. *Miserum.*) Pherecidẽ calamitosum & infœlicẽ. Cum enim in omni uita semper iucũde uixisset, tandẽ à deis punitus miserabili ac fœda morte interijt. *Comœdia.*

Sylla quoq; infœlix tali languore peresus
Corruit, & fœdo se uidit ab agmine uinci.

Sylla.) De L. Cornelio Sylla Plinius iunior in libro de uiris illustribus, quem aliqui Suetonio Tranquillo adscribunt, inter alia hæc: Rep. ordinata dictaturam deposuit, unde spe deceptus Puteolos cõcessit, & morbo qui phthiriasis uocatur, interijt. De eodem Plinius naturalis historiæ lib. 7. cap. 43. sic etiam scribit inter alia: Age nõ exitus uitæ eius omnium proscriptorum ab illo callamitate crudelior fuit, erodente se ipso corpore & supplicia sibi gignente, quod ut dissimulauerit & supremo somno eius cui immortuus quodammodo est, credamus ab uno illo inuidiam gloria uictam. *Infœlix.*) Quamuis superbum fœlicis nomẽ sibi usurpauerit Sylla, fœlix tamẽ uere non fuit. Nam quem uitæ contumelia quæpiam afficit, cuiq; expetibile quid deest, fœlix esse qui potest? Syllæ uero si non aliud, hoc tamen nempe fœlicitati suæ defuit, quod ut ipse, Plinio libro 7. referente, confessus est, capitolium non dedicauit. Fuit etiam non citra uitæ contumeliã: ipse enim quanquam graminea (qua nulla nobilior in maiestate populi terrarum principis, pręmijsq; gloriæ) donatus corona, ut Plinius lib. 22. scribit, eam tamẽ capiti suo proscriptione detraxit. Nam obsessus in toto orbe proscriptus fuit, & tandem fœdissimo morbo phthiriasi affectus in eodem computruit. Itaq; haud iniuria nunc à Sereno infœlix dicitur. Fœlix nanq; uere dici non potuit, *L. Corn. Sylla.* *Fœlix quis.*

licet falso fœlicis cognomen sibi adscripserit: merito supremum uitæ diem expectasset, antequam fœlicem se appellasset, iuxta Solonis sententiam, cuius meminit Ouid. metamorphoseon lib. 3. hiis uerbis: Sed scilicet ultima semper Expectanda dies homini est, dicicp beatus Ante obitum nemo, supremaqꝫ funera debet. Quanquam Aristotiles uiuentes etiã dicit beatos, nam in operatione fœlicitatem ponit. Verum cui hominum præcipua fuerit fœlicitas, ut Plinii uerbis utar, non est humani iudicii, cum prosperitatem ipsam alius alio modo & suopte ingenio quisque terminet. Si uero facere iudiciũ uolumus, ac repudiata omni fortunæ ambitione decernere, mortalium nemo est fœlix. Abunde igitur atqꝫ indulgenter fortuna deciditur cum eo qui iure dici nõ infœlix potest. Quippe ut alia non sit, certe ne laxescat fortuna metus est: quo semel recepto, solida fœlicitas nõ est. Porrò quia de fœlicitate sermo est, quid ipsa sit, de humana loquor, Aristotelem audiamus, qui Rhetoricorum libro 1. sic eam describit: Fœlicitas est fortuna secunda cum uirtute, uel pro re, sufficientia uitæ, uel uita tuta & iucũdissima, uel possessionum facultas, & corporis uires, cum factiua, conseruatiua, amplificatiuaqꝫ horum uirtute. Omnes enim ferè, unum quoddam istorum aut plura, fœlicitatem esse fatentur. Quod si huiusmodi quid fœlicitas sit, necesse est partes ipsius esse nobilitatem, multorum atqꝫ bonorum gratiam, diuitias, bonorum liberorum & multorum procreationem, commodam senectutem. Præterea, corporis commoda, ueluti sanitatẽ, formam, uires, proceritatem, robur ad certandum, gloriam, honorem, prosperitatem, uirtutem ac partes eius, prudentiam, fortitudinem, iustitiam, temperantiam. Sic enim sufficientissimus quispiam erit, si sibi adsint, quæqꝫ in ipso, & quæ extra sunt bona, cum hæc præter alia nõ sint. Sunt autẽ in ipso quæ in anima, & quæ in corpore sunt. Extra uero, nobilitas, amici, pecuniæ, honores. Adhæc oportere arbitramur potentiã

Fœlicitas.

& so

& fortunã non deesse: hoc nanq; pacto uita erit tutissimã. Hactenus Aristoteles. D. Augstinus de Ciuitate dei lib. 5. fœlicitatẽ definit esse rerum omniũ optandarũ plenitudinẽ: quæ ex triplici bonorũ genere cõstat, uidelicet, bonis animi, corporis atq; fortunæ. Et Aristoteles Ethicorũ lib. 1. expetendarũ rerũ finẽ dicit fœlicitatem: & fœlicẽ uocat eum qui per uirtutẽ operatur perfectã, & bonis externis satis abũdat, & in uita perfecta, & ita est uicturus et secundum rationem moriturus. Sed de his, ne sim prolixior, nũc satis. *Tali languore.*) Defectione, dissolutione et morbo phthiriasi. Languorem proprie uocant morbũ leuem ac lentũ, qui quamuis lecto non adfigat, tamẽ quo minus firma simus ualetudine, efficit. *Peresus.*) Exesus à uermibus & consumptus. *Corruit.*) Cõcidit, defecit & mortuus est. *Fœdo agmine.*) Vermium & pediculorũ copia & multitudine immũda, spurca & fetida. *Vinci.*) Superari, consumi & morti tradi. Languor.

Sæpius ergo decet mordax haurire sinapi.
Vel nitro, ac sale permixtis, acidoq; liquore
Laxatis, ut sint simul allia, tangere corpus.
Aut lachrymis hederę, aut succo perducere cedri.

Sæpius.) Multoties & iterato. Nam cum morbus sit magnus & facile curam nõ admittat, sæpiuscule medicinam iterare oportet: unica enim & rara medicaminis administratio nihil efficiet. *Ergo.*) Quoniam phthiriasis ex magna humorum uniuersi corporis corruptione & putrefactione gignitur & morbus est exitialis: ideo illico adhibenda sunt medicamina quæ humorum putredinem persiccent, detergant & uacuent. Nam si in huiusmodi morbo cura tardabitur, hominis quoq; ac uitæ salus periclitabitur & interibit. *Decet.*) Conuenit, imò necessarium est si commodum aliquod sequi debeat. *Mordax.*) Acre, pungẽs & efficax, quale in hoc morbo desideratur medicamentum. *Haurire.*) Sumere & ubertim bibere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Nam ficuti nec pauca ita nec parua quicquā efficit quantitas. Conuenit autem tritum ſemen ex mulſo bibi. *Sinapi.*) Sinapis herba eſt nota, cuius ſeminis triti & melle conditi nunc frequēs uſus eſt ad intinctus. Hoc Pythagoras principatū habere ex hijs quorum in ſublime uis feratur, iudicauit, quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetret. Eo quidā utuntur cum rubrica ad alopecias, pſoras, lepras & phthiriaſes, ut refert Plinius lib. 20. ca. 22. *Nitro.*) De hoc dictū eſt ſupra capite tertio. Porrò ſemper eligendum eſt optimum quod tenuiſſimarum eſt partiū, cuiuſmodi eſt berenicium ſiue armenū. Quod ſi lapidoſum fuerit, uri id atq; diligenter leuigari debet. Vritur autem in noua teſta ſeu olla diligenter operculata ignitis carbonibus donec candeat ſuperpoſitum. *Sale.*) Sal, ut Ariſtoteles meteororum lib. 2. tradit, eſt ut aduſtæ terræ ſpecies, quæ frigido & humido in humorem ſoluitur, calido autem & ſicco cogitur et duratur: oppoſito ad glatiem modo, quæ frigido & humido concreſcit, calido & ſicco ſoluitur. Porrò ſal omnis aut factitius eſt aut natiuus: ſuntq; plures eius differentiæ, de quibus copioſe Plinius libro 31. cap. 7. Dioſcorides libro 5. & Meſue in de ſimplicibus. Eſt autem natura ſali multiplex, et ut Plinus ait, per ſe ignea, ignibusq; inimica, fugiens eos, omnia erodens. Corpora adſtringens, ſiccans & alligans. Defuncta autem ac putreſcentia ita uendicans ut per ſæcula durent. In medendo uero mordens, adurēs, repurgans, extenuans, diſſoluens. Stomacho tantum inutilis, præterquam ad excitandam auiditatem: idem noxia & tinearum genera pellit in uino potus. Cæterum ſal qui ſicciſſimus, idem & ſalſiſſimus, & quiſquis facile liqueſcit, humidiorq; eſt, idem quoq; ad obſonium & cibum utilior: minoris enim amaritudinis eſt talis. Acer uero & ſiccus ſeruandis carnibus eſt aptior. Eſtq; ſal omnis cibi primū, maximeq; commune condimentum, auiditatemq; inuitans, ſine quo uita humanior nequit degere, adeo

Sinapis. Nitrum. Nitri aduſtio. Sal.

neceſſa-

necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad uoluptates animi quoq;, nam ita sales appellantur, omnisq; uitæ lepos & summa hilaritas, laborumq; requies, non alio magis uocabulo constat. *Acido liquore.*) Aceto. Acidum enim dicitur quod acetum factum est. Acetum autem quamuis ad imaginationem sit humidũ, corpora tamen quæ contingit, siccat. *Laxatis.*) Remollitis & dissolutis. *Vt sint simul.*) Hoc est, ut prædictis nitro & sali & aceto sint simul commixta allia. *Allia.*) Allium non modo cum nitro & sale acetoq;, ut autor hic docet, inunctũ, sed & per se tum potum tum inunctum phthiriasi medetur. Auicenna Canonis li. 2. Bibitur decoctio allij & interficit lendes & pediculos, & inungitur super eos. Plin. lib. 20. cap. 6. Phthiriases & prurigines potum curat allium, tusum item cum aceto & nitro. Dioscorides idem allium contra pediculos & lendes, sed cum origani decocto utiliter bibi tradit. *Tangere.*) Contingere & inungere, illinireq;. Nam si inunctio fieri debet, opus est tactione. *Lachrymis herderæ.*) Gumi hederæ. Dioscorides libro 2. Depilat hederæ lachryma, pediculosq; inuncta necat. Plinius libro 24. cap. 10. Lachryma hederę psylotrum est, phthiriasimq; tollit. Galenus itẽ, uti Serapio refert, Gumi eius et proprie nigræ uirtus est quæ adurit adustione occulta & ideo occidit pediculos & abradit pilos. *Succo cedri.*) Plin. li. 24. cap. 5. Cedri succus defuncta corpora cõseruat, uiuentia corrũpit, mira differentia, cũ uitã auferat spirãtibus, defunctisq; pro uita sit. Et ibidẽ, Phthiriases perũgere eo nõ dubitauerim, itẽq; prurigines. *Perducere.*) Hoc est, manibus hinc inde ducẽdo atq; fricãdo inũgere corpus.

Acidum. *Acetum.* *Allium.* *Hederæ lachryma.* *Cedri succus.*

Quin etiam furfur mixto medicatur aceto.
Vnda maris lendes capiti deducit iniquas,
Et quicquid crebri defendit sylua capilli.

Quin etiam.) Insuper, adhęc. *Furfur mixto aceto.*) Furfur est farinæ purgamentum. Cuius duplex discrimen est et ge-

Furfur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

nus. Vnum quod crassioribus ramentis cõstat: & alterum quod tenuiore & quasi pulueris tritura cõstat, cuius usus est, & uirtus illi calens, siccans & repurgans detergensq;. *Vnda maris.*) Aqua marina, quæ salsa est & uirtutis abstergentis, qua lendes quoq; & tetra capitis animalia curãtur, autore Dioscoride & Plinio. Quod si alicubi ut in mediterraneis haberi non potest, arte talẽ faciemus quæ eidem æquiualeat. Sed quo pacto fieri debeat, docet nos Plinius naturalis historiæ libro 31. cap. 6. dicens: Nec ignoro hæc mediterraneis superuacanea uideri posse. Verum & hæc cura præuidit inuẽta ratione qua sibi quisque aquam maris faceret. Illud in ea ratione mirum, si plus quã sextarius salis cum quatuor aquæ sextarijs mergatur, uinci aquam, salemq; non liquari. Cætero sextarius salis cum quatuor aquę sextarijs salsissimi maris uim et naturam implet: moderatissimum autem putant supra dictam aquæ mensuram octonis cyathis salis temperari. Et hæc non minoris est potentię quàm ipsa marina. *Lendes.*) Lens lendis est ex quo pediculus formatur. Fiunt autem lẽdes ex humoribus putridis ceu pediculi: sed lendium materia magis grossa est & minus apta ad motum, pediculorum uero materia subtilior est & ad motum habilior. *Iniquas.*) Improbas, fœdas atq; molestas. *Quicquid.*) Omnem capitis immunditiem & sordẽ. *Defendit.*) Tuetur, obuoluit & contegit. *Sylua.*) Copia. Sylua propriè dicitur quæ cedua est, et si succisa fuerit, rursus ex stirpibus aut radicibus renascitur. Et metaphoricωę quia sylua ex frequentibus & copiosis constat arboribus, hinc etiam pro aliarum rerum congerie, copia & multitudine accipitur. Et aliquando pro subito illo scribendi genere quod quadam festinãdi uoluptate defluit, estq; uelut prima materia, cuiusmodi sunt syluæ Statij Papinij, quas ipse sic quoq; descripsit, An hos libellos, qui mihi subito calore, & quadã festinandi uoluptate fluxerant, cũ singuli de sinu meo prodijssent, congregatos ipse dimitterem.

Aqua maris.

Aqua factitia marinæ æquiualens.

Lendes.

Sylua.

Pru-

PRVRIGINI, PAPVLIS, ET SCABIEI ARCENDIS.

CAPVT VI.

ILLOTVS ſudor, uel copia nobilis eſcæ
Sæpe graui ſcabie correptos aſperat artus.


RVRIGINI.) Prurigo (inquit Galenus) pruritus quidam eſt cum pauco dolore. Pruritus autẽ mordicatio eſt ex ſuperfluo corrupto & putri pituitoſo aut billoſo humore ad partes cutis deducto generata. Et à ſcabie (ut Auicenna dicit) differt in hoc, quod cum pruritu non ſunt bothor ſicut in ſcabie, quoniam ipſa eſt à materia ſubtiliore et minus declinante ad ſalſedinem. *Papulis.*) Scilicet maioribus, & quas Gręci ἀγρίας, id eſt feras appellãt. Sunt enim & leues dictæ papulæ, de quibus poſt aget Serenus cap. 11. ſub nomine impetiginis: ſuntq; cutis paſſiones, ſed apud diuerſos diuerſis etiam nominibus appellatæ. Quare clarioris notitiæ cauſa, non ab re fuerit talium diſcrimina longius proſequi. Itaq; cutis paſſiones denotantia plura ſunt nomina: ceu lichen, lepra, (accipiendo lepram in eo ſignificato quo Græci, nõ quo Arabes & medici iuniores accipiunt,) papula, impetigo, pſora, & id genus alia. Vnde ſciendum, quas Paulus Aegineta, Galenus et Gręci omnes uocãt λειχῆνας, has Celſo eſſe papulas: quarum bifida eſt ratio, Nam aliæ maiores & ἄγριαι, aliæ leues. De prioribus ſub eodem papularum nomine agit Serenus capite præſenti: de alíjs uero capite ut dictum eſt undecimo ſub nomine impetiginis, ſub quo ètiam de lichenibus & papulis agunt Nicolus & Gentilis. Auicenna uocat impetiginẽ non excorticatã, nam excorticatam quoque facit. Vulgo uolatica dicitur. Et quam Græci λέπραν, (nam apud Arabes & medicos iuniores eum ſigni

Side notes: Aphor. lib. 5. Aph. 25. — *Prurigo.* — *Pruritus.* — *Scabies.* — Libro 4. fen. 7 Tract. 1. ca. 6. — *Cutis paßiones* — *Impetigo non excorticata.* — *Volatica.* — *Lepra.*

Elephantiasis. ficat morbū, quem Gręci et eruditiores, ut Celsus et Sere
Impetigo. nus ac Plinius ἐλεφαντίασιν uocant: in quo nō modo cu-
Impetigo excorticata. tis sed & caro & ossa afficiuntur, estq; uulgo notissimus,
de quo post Serenus aget capite decimo.) Quam Græci
Psora. inquam lepram, illam Celsus impetiginem, Auicenna im
petiginē excorticatā uocat. Psora uero natura haud mul-
Albaras nigra. tum à lepra distat, & ab Auicenna albaras nigra uocatur.
Arabes enī ψώραν, baras interpretātur, quod uel Rasis te-
stimonio cōprobatur libro Cōtinentis 25. ubi autoritate
Galeni dicit Cātharides unguiū baras sanare si de eis fiat
illinitio cum cerato: hoc autē unguibus psorā patiētibus
medicari scribit Gal. de simplici medicina lib. 11. Adpro-
bāt dicta, tū remedia quibus hījs morbis medicātur, tum
horū definitiones, quas etiā maioris notitię causa lōgius
Impetigo. adscribere nō pigebit. Inquit Cassius Fœlix, ut refert Si-
Lichen. mon Genuensis, Impetigo, Græci λειχῆνας dicunt, Latini
Zerna. Zernas. Nascūtur ex melancholico humore rotūdo sche
Serpigo. mate, id est figura, in superficie cutis cū ingenti pruritu et
Papulæ. asperitate: atq; ubi id malum serpere cœperit, serpigo dici
tur. De papulis Celsus libro 5. eadem, ait enim: Papula-
rum duo genera sunt. Altera est in qua per minimas pu-
stulas cutis exasperat̃ & rubet, leuiterq; roditur, medium
habet pausillo leuius, tarde serpit: idq; uitium maxime
rotundum incipit, eademq; ratione in orbem procedit.
Altera autē est quam ἀγρίαν id est feram Græci appellant:
in qua similiter quidem sed magis cutis exasperatur, exul
ceraturq;: ac uehementius & roditur & rubet, interdum
etiam pilos remittit: quæ minus rotunda est, difficilius
sanescit, nisi sublata est, in impetiginem uertitur. Sed le-
uis papula, etiam si ieiuna saliua quotidie defricatur, sane
scit: maior cōmodissime murali herba tollitur, si sub ea
detrita est. Galenus item in libro cui titulus ὅροι ἰατρικοί, id
Lichen. est, definitiones medicinales, Lichen, ait, est asperitas cu-
Lepra. tis cum magno pruritu. Lepra uero est transmutatio cu-
tis ad contrarium naturæ habitum cū asperitate, dolore,
atq;

atq; pruritu & squamarum resolutione, et quãdoq; unã, quandoq; plures corporis partes depascitur. At Celsus de impetigine multa libro 5. ubi quatuor eius genera ponit, quibus cutis duritiem & asperitatem cum rosione & squamulis tribuit, quemadmodum etiam omnia in pedibus oriri tradit & manibus, atq; ungues quoq; infestare, quos & Plinius item sæpius leprosos nominat. Quibus manifesto apparet impetiginem apud Celsum nihil aliud esse quàm lepram à Græcis dictam. De psora uero quod ob naturę cognationem parũ à lepra distet, testis est Paulus Aegineta dicens, Lepra & psora sunt in superficie cutis asperitates cum pruritu & resolutione ex melancholico humore ortum habentes: sed lepra quidem cutem profundius depascitur, in orbem procedẽs atq; in ea quædam ueluti squamulæ resoluuntur: psora uero magis in summo consistit, uarijsq; modis figuratur, & furfuracea corpora abijcit. Auicenna Fen 7. libro 4. Et de impetigine est excorticata propter uehementiã siccitatis, & multitudinem profundationis, & est sicut albaras nigra & sicuti cortices: & de ea est non excorticata. Et de impetigine est ambulatiua maligna, & de ea est stans. Idem libro & Fen dictis tract. 2. cap. 9. Albaras nigra, est impetigo excorticatiua, & est scabiositas accidens cuti, aspera, uehemens, & facit squamas sicuti piscium cum pruritu, et est propter humorem melancholicum imbibentem de eo quod est iuxta ea imbibitione fortiore, quàm in colore imprimat tantum. Hijs itaq; simul collatis, satis cõstat dictorum ab initio ueritas, uidelicet terminorum inter se concordia & dissidium. *Scabiei.*) Scabies cutis infectio est, & ut Celsus ait, durior cutis rubicundior ex qua pustulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam sicciores: exit ex quibusdam sanies, fitq; ex hijs continuate exulceratio pruriens: serpitq; in quibusdam cito, atq; in alijs quidem ex toto desinit, in alijs uero certo tempore anni reuertitur. Quo asperior est, quoq; prurit magis, eo difficilius tolli-

Impetigo. *Vngues leprosi.* *Psora.* *Lepra.* *Albaras nigra.* *Scabies.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Scabiei causa sudoris sordities.

tur: itaq; eam, quæ talis est, ἀγρίαν, id est feram, Græci ap-
pellant. Illotus sudor.) Scabiei curam traditurus autor,
morbi causas præmittit: è quibus una est sudor, qui dum
non abluitur neq; detergitur, in sorditiem conuertitur,

Sudor.

quæ deinde acredine sua & salsedine quam à sudore con-
trahit, cutim erodit & scabiem facit. Est autem sudor, ut

Probl. lib. 2.

Aristoteles ait, excrementi cuiusdam secretio. Et ut Aui-
cenna dicit, sanguinis aquositas, cui pus cholericum est
admixtum. Et Galenus de sanitate tuenda libro 1. sudo-
rem dicit esse corporis excrementum halituosum, quod
foris in corporis summo per cutis poros atq; meatus e-
mergit atq; excernitur: à quo excremento originem ha-
bent sordes quæ circa omnium cutim semper aceruãtur,

Sudoris modi.

Porrò sudorum aliqui per se & sponte, non arte parati,
emergũt & profluunt, & hoc ubi uirtus est ualida, super
fluam euacuare potens humiditatem, ceu fit in crisi et die
bus criticis, quando & optime iudicium fit. Vel ubi uir-
tus est imbecilla & corporis constitutio est praua: quod
euenit aliquando plethoricæ copiæ ratione, interdum
uero ob cibi ac potus exuperantiam & ingurgitationem.
Et qui hĳs modis fiunt sudores, affectarum partium eua
cuant humiditates. Aliqui uero ex uiolentis proueniunt
causis & arte parantur: & id etiam duobus fit modis, aut

Hemitybium.

enim balneo siue sudario, quod hemitybium Græce uo-
cant, prolicit: aut sicco calore, qualis est qui insolatione,

Heliosis.

æstiuoq; calore secernitur atq; paratur, heliosin hanc uo
cant: aut qui clibani & furni æstu elicitur. Item qui hare-

Psammismos. ψάμμος.

na mouetur calida, & à Paulo Aegineta psammismos uo
catur, quod ψάμμος harena sit est sabulum. Adhæc qui
exercitatione, aut labore, aut frictione, aut quoquo mo-

ξηρὸς ἱδρώς.

do aliter citra balnei uim mouet aridus sudor, quẽ ξηρὸν
ἱδρῶτα dicunt Græci. Et hĳ sunt modi quibus sudores

Sudoris exuperantis ratio.

fiunt. Sed quod exuperãt aliquando, hoc euenit aut cor
pore rariore laxioreq; existente, aut materiei abundãtia,
eiúsue subtilitate, aut uirtutis expultricis uehemẽtia, seu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

retentricis imbecillitate. Cæterum in qua parte corporis sudor est multus & superfluens, siue calidus siue frigidus is fuerit, ibi significat morbum. Et sudor multus ex somno factus absq; causa manifesta, corpus uti pluri cibo significat: si uero cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet quod euacuatione indiget, autore Hippocrate aphorismorum lib. 4. Vbi Galenus ait, Quod in præsenti aphorismo docetur, in uerbo Multus adiecto maxime existit. Si enim sudor multus non esset, posset & propter uirium imbecillitatē et corporis raritatē accidere. Ipsius uero multitudo, altera duarum causarum fit, uel propter ciborum qui sunt recenter assumpti immoderantiam, uel illorum qui antea. Quod si propter recenter assumptos, prohibere oportet ne plures assumant: quod si propter prius assumptos, euacuare. Sed de sudore nunc satis superq;. *Copia.*) Multitudo & usus superfluus, immodicusq;. Nam ubi multus ingeritur cibus, multæ etiam generantur superfluitates, quæ causa sunt non modo scabiei, sed & multarum aliarum quoq; ægritudinum. *Nobilis escæ.*) Hæc altera scabiei causa est. Dicitur autem cibus nobilis, qui præ lautus atq; opiparus ad uoluptates atq; delitias cum speciebus alijsq; rebus aromaticis & saporibus apparatur, qualis ferè nobilibus atque diuitibus in continuo usu solet esse. Verum huiusmodi ciborum usus frequentior & immodicus sæpiuscule causa solet esse scabiei. Cuius rei testis est uel Auicenna inquiens: Scabies plurimum quidem generatur ab acceptione in commestione salsorum & acutorum & amarorum & specierum quæ pro condimento sunt cibis acutarum & similium. *Sæpe.*) Plurimum, non tamen semper. Possibile est enim aliquem continuo talibus uti cibarijs & copiose, & tamen nihilo setius corpus eius talis esse constitutionis aut exercitij, ut ab eisdem affici non possit, imò potius huius modi superflua consumendo, iuuari aptū sit. Non enim quod pluribus ceu otiosis accidit, idem alijs etiam omni

Scabiei causa cibus.

Cibus nobilis.

Lib. 4. fen 7. Tract. 3. ca. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

bus exercitio utentibus accidere oportet.

Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis
Quod facit ex asino siccatus corporis humor.
Nec pudeat tractare fimum quem bucula fudit.

Lutum.) Fimum, stercus, cuius uis est calfacere, siccare & discutere. *Fricatis.*) Scilicet mediocriter & ante medicamenti impositionem: per frictionem enim corpus calefit & meatus aperiuntur, sicq; præparato corpore medicamenti uirtus facilius penetrat & suscipitur, efficatiusq; effectum suũ exercet. *Ex asino siccatus corporis humor.*) Hoc est, Asini excrementum siccum per aluum redditum unà cum urina sua commixta, quod fimum appellatur. De cuius medico effectu Plinius sic etiam tradit: Scabiem hominis asininæ medullæ maxime abolent. Vrinæ eiusdem cum suo luto illitæ. *Bucula.*) Bucula cum simplici c. paruus bos est seu uacca. Vergilius Georgicon libro 1. Aut bucula cælum Suspiciens patulis captauit naribus auras. Et Georgicon. 4. Aut errans bucula campo Decutiat rorem. Et huius fimus eadem ratione qua aliorum scabiei prodest. Buccula uero per duplex cc. diminutiuum est à bucca, quæ aliquando pro ore accipitur, aliquando uero pro oris lateribus. Cicero: Et quicquid in buccam uenerit, ad te scribam. Horatius, ut Iupiter ambas inflatus buccas. Sunt autem, ut Plinius ait, infra malas hilaritatem risumq; indicantes buccæ.

Fimus asini. *Lib. 28. c. 10.* *Bucula.* *Fimus bouis.* *Buccula.* *Buccæ.* *Lib. 11.*

Stercoris ex porco cinerem confundito lymphis,
Sic pauidum corpus dextra parcente foueto.

Stercoris ex porco cinerem.) Hoc est, puluerẽ fimi suilli. Porcus enim suem significat, estq;, ut Varro rei suæ rusticæ libro 2. scribit, Græcum nomen antiquum, sed obscuratũ, quod nunc eum uocant χοῖρον. De cuius fimi medicina sic tradit Plinius, Pustulis suilli fimi cinis aqua illitus medicatur. Et exinde etiam scabiei in qua pustulæ sunt, ut dictum est. *Lymphis.*) Lympha dicitur aqua. Et inde uinũ

Fimus porci. *Porcus.* *χοῖρον.* *Lympha.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

lymphatum, hoc est aqua dilutum, & morbus lympha- *Lymphatum*
ticus, id est, aquosus, qui aqua intercus etiam & hydro- *uinum.*
pisis dicitur. Quamuis etiam lymphati et lymphatici pro *Lymphaticum*
furore perculsis, uesanis & bacchabundis accipiantur. *malum.*
Vnde Vergilius lymphatam uocat reginam, pro mente *Lymphati.*
commotam. Et Catullus in argonautica, Qui tũ alacres *Lymphatici.*
passim lymphata mente furebant. Item à lympha fit uer- *Lymphor.*
bum lymphor, quod est lymphatico furore corripio uesa
numq́; facio. Valerius Flaccus, Deus ancipitem lympha
uerat urbem. Priscianus, à lympha uerbum fit lymphor.
Nam quicunq; effigiem nymphæ, à qua lympha dicitur,
uiderit, furere non cessat. Quos Græci Νυμφολήπτους, La- Νυμφο-
tini lymphatos uocant. Plinius fatuos, & animos uo- λήπτοι.
cat lymphantes libro 27. cap. 12. dũ ait, Natrix uocatur her
ba, cuius radix euulsa uirus hirci redolet. Hac in Piceno à
fœminis abigunt, quos mira persuasione fatuos uocant. *Fatui.*
Ergo species lymphantium hoc modo animorum esse
credimus, qui tali medicamento iuuentur. *Pauidum.*) Ti-
midum, formidulosum. Corpus enim ulceratum ad le-
uem quidem tactum, deinde etiam ad suspitionem tactus
condolescit & expauescit. Dum enim refricatur & pustu
læ uelluntur, ad uiuamq́; carnem dilacerãtur, dolor qui-
dam inducitur, cuius impatiens, pauidum ac timidum
formidulosumq́; redditur, fricationem et ortum inde do
lorem expauescens. *Dextra parcente.*) Manu leuiter tan-
gente, et ita ut pauci sint manuum circumactus, qui nullo
compressu sint graues, & modice celeres, sed blande inni
tantur, medium inter molle & durum seruãtes modum,
quatenus neq; coactum constrictumq́; corpus fit, neque
ultra quàm par est laxum remissumq́; fiat, sed legitimum
naturæ modum seruet: tum inducendum imponendũq́;
medicamentum. *Foueto.*) Fouere, calefacere est et calida, *Fouere.*
tum humida tum sicca corpori adplicare medicamenta. *Fomenta.*
Indeq́; fomenta dicuntur & fotus, calidorum et humido *Fotus.*
rum siue calidorum & siccorum ad corpus læsum appli- *Fomites.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

cationes. Celsus libro 4. cap. 5. de dolore stomachi: Prosunt sicca & calida fomenta. Idem libro eodem cap. 3. de rigore & morbis ceruicis: Deinde opus est fomento humido & calido. Et hinc etiam fomites dicuntur, flammæ nutrimenta, & assulæ ex arboribus, & scintillæ ex ferro candenti malleis excussæ.

Proderit ex oleo puluis, quem congerit altum
Dulcibus è latebris patiens formica laborum,
Conuenit hinc tepido lita tradere corpora soli.

Oleum.

Oleo.) Presertim omphatio, seu quod ex oleastro fit, quod maiore adstringendi ui est & abstergit, furfuresq́ & manantia capitis ulcera, scabies & lepras exterit, ut autor est Dioscorides. *Puluis.*) Hoc est, aceruorum à formicis è cauernis suis egestorum terra puluerulenta. *Altum.*) Nomen est aduerbij uim obtinens. *Dulcibus latebris.*) Suauibus cauernis et domicilijs, quibus hyeme condũtur et à frigoris uiolentia defendũtur. *Patiens formica laborum.*) Frequẽs & assidua, laboriosaq́ in opere. Horatius, Exemplo est nobis magni formica laboris, Ore trahit quodcunq; potest, atq; addit aceruo. Plinius libro 11. cap. 30. de sedulitate illarum inter alia sic infit, Iam in opere qui labor? quę sedulitas? silices itinere earum attritos uidemus, & in opere semitam factã, ne quis dubitet qualibet in re quid possit quantulacunq; sedulitas. Apuleius libro asini aurei sexto, ipsam ruricolam uocat, quasi ruris cultricem diuinam & operariam sedulam, cum ait, Tunc formicula illa paruula atq; ruricola certatim difficultatis tantæ, laborisq́ miserta. *Tradere soli.*) Insolare, & æstiuo calori, solaribusq́ radijs exponere, ut malus humor desiccetur & discutiatur.

Puluis aceruì formicarum.

Formica.

Feruentes papulas sapyro curato liquenti,
Aut acido baccho miscebis farra lupini,
Atq; hoc in calido percurres membra lauacro.

Fer

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Feruentes papulas.) Ardentes: pruritu enim ſęuiunt ac u- *Papulæ.*
runt. Vergilius georgicon libro 3. Ardentes papulæ atq; *Lichenes.*
immundus olentia ſudor Membra ſequebatur. Galenus
λειχῆνας uocat, quæ ſi diu perſeuerauerint, tandem in le-
pram conuertuntur, in qua maior eſt cutis fœditas & de
ſquamatio quàm in lichenibus. *Sapyro liquenti.*) Succo *Sapyrus.*
liquido herbę ſapyri. Sapyrus, ut exponit Pandectarius,
eſt brionia, ſiue ut aliqui codices habent, duabus ultimis
detractis literis, bryon. Vtrunq; enim in diuerſis codi-
cibus ſcriptum repperitur. Verum utcunq; ſit, certum
eſt utraq; re papulas & congenera cutis mala paulò ante
tractata ſanari. Siquidem brioniam & præſertim ſemen
ipſius pſoris & lepris utiliter inungi & emplaſtri modo
imponi tradunt Plin. & Dioſcorides: bryon uero ſimili
modo adhibitum lichenas ſanare teſtantur ijdem. Porrò
quid bryon, quid brionia, paulò altius repetendũ. Itaq;
brionia duarum eſt ſpecierum: Vna, quam ampeloleu- *Brionia.*
cen Græci, Arabes feſceram, Latini uitem albam uocant: *Ampeloleuce.*
cuius ſarmenta longis & exilibus internodijs geniculata *Feſcera.*
propinquos frutices & arbores implicando ſcandunt & *Vitis alba.*
clauiculis apprehendunt: folia pampinoſa ad magnitu-
dinem hederæ diuiduntur ut uitium, piloſiora tamen: ra
dix, quam quidam cucurbitã reptilium uocant, alba eſt *Cucurbita rep*
et grãdis raphano ſimilis initio, ex qua prima informatio *tilium.*
ne caules aſparagi ſimilitudine exeunt, cuius ſuccus ante
ſeminis maturitatem colligi debet: ſemen in uua quam *Vua lupina.*
lupinam uocant aliqui, raris acinis dependent, ſucco ru
bente, poſtea croci, quo coria depilãtur. Altera eſt quam *Ampelos mela.*
Gręci ampelon melan, Arabes feſcereſin, Latini uitem ni *Feſcereſis.*
gram dicunt: ſimilis priori præterquam colore: ſemen *Vitis nigra.*
nigrum, aſparago ſimile: radix foris nigra, intus buxeo
colore: naſcitur maxime in frutetis & arundinetis. Am-
barum folia, fructus & radix acrimoniã habent, meden-
turq; ſcabiei, lichenibus, id eſt papulis et impetigini, ac re
liquis conſimilibus cutis malis inuncta. Verum alba ma

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di
Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Bryon. *Muſcus.* ioris efficatiæ eſt in hoc quàm nigra. Hactenus de brionia: nunc de bryo. Eſt autem bryon muſcus, & hic in tripliçi differentia. Vnus qui in arboribus. Alius aquaticus quo lapides in fluminibus ueſtiuntur & muſcantur, ut Columellæ uerbo utar. Tertius eſt herboſus, qui in ſaxis humectis & umbroſis locis naſcitur, eſtq́ aquatico illo craſſior & procerior, & tum à Græcis tũ à Latinis quod cognomini malo medetur lichen uocatus: de quo ſic tra- *Lichen herba.* dit Dioſco. Lichena petris adhærentem ſunt qui bryon, id eſt, muſcum, Romani pariter Græcis lichena dicunt. Muſcus roſcidis petris adhęrens lichen eſt. Hic emplaſtri modo impoſitus ſanguinis eruptiones ſiſtit: inflammationes compeſcit & lichenas ſanat. Inungitur idem utiliter ęx melle ictericis: & in os linguãq́ deſtillationes cohibet. Hæc ille. Plinius duplicẽ lichena faciens lib. 26. cap. 4. de eiſdem inter alia lichenis mali remedia ſic ſcribit: Lichen uero herba hijs omnibus præfertur, inde nomine inuento. Naſcitur in ſaxoſis folio uno ad radicem lato, caule uno, paruo, longis folijs dependentibus: hæc delet & ſtigmata. Teritur cum melle. Eſt aliud genus lichenis petris tantum adhærens, ut muſcus, qui & ipſe illinitur. Hic & ſanguinem ſiſtit uulneribus inſtillatus, et collectiones illitus. Morbum quoq; regium cum melle ſanat ore illito & lingua: qui ita curantur, aqua ſalſa lauari iubentur, ungi oleo amygdalino, hortenſibus abſtinere. Hactenus Plinius de lichene, cui uis eſt mediocriter ſiccans et refrigerans, exterendoq́ purgans et abſtergens. Hãc quod *Hepatica.* hepati utilis eſſe debeat comeſta, nunc hepaticam uocãt, ſed falſo, non enim hepati utilis eſt, quamuis ictericis qui plurimum hepatis uitio laborant, medeatur. Non enim intus ſumpta cum melle morbum ipſum tollit, ſed extra potius illita colorem naturalem ipſis reſtituit. Verum ſi qua herba eſt quę ob excellentem iuuandi hepar proprie- *Eupatorium.* tatem, hepatica dici debeat, tunc illam eupatorium eſſe dixerim: non quidem illã quæ paſſim in foſſatis naſcitur,

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

& nunc pro eupatorio accipitur, ſed eam quam nunc, li-
cet falſo, agrimoniam appellamus: cuius ſemen & herba *Agrimonia.*
ipſa utiliter bibitur cum uino iocinoroſis, teſte Dioſcori-
de. Nam, ut ſexto de ſimplici medicina tradit Galenus, he
pati bona eſt, & obſtructiones eius expurgat, ipſumq́ cō
fortat. Et idem in libro de antidotis, affectum hepar ſæ-
pius hac herba efficaciter adiutum aſſerit. Sed de hoc tan
tilla ſufficiant. Demum ne id prætercam, ſcriptus qui mi-
hi eſt codex, non Sapyro, ſed Oleo ſcriptum habet. Quæ
lectio minus mihi arridet, quoniam uti Galenus tradit,
oleum per ſe inimicum eſt ulceribus, in papulis uero ex- *Oleum.*
ulceratio eſt, quæ cum exiccatione indigeat, & oleum per
ſe tale non præſtet, ſed contrarium potius, inutilis etiam
erit eius adminiſtratio. *Acido baccho.*) Vino acetoſo & *Acetum.*
aceto ipſo uini, quod ut Dioſcorides tradit, ad lepras &
lichenas facit, cum aliquo eorum, quæ his malis accom-
modata ſunt, mixtum. Et Plinius libro 23. cap. 1. Contra
lichenas, inquit, & bibitur & imponitur. *Farra lupini.*) Fa
rinam lupini. Far antiquitus de omni fructu dicebatur, *Far.*
quoniam id terra ferat. Et ab eo farina dicta eſt. Lupinus *Lupinus.*
autem leguminis genus eſt, compreſſæ figuræ, amari ſa-
poris: quod, ut Plinius libro 18. cap. 14. tradit, cum ſole, he
liotropij more, quottidie circumagitur, horasq́ agrico-
lis etiam nubilo demonſtrat. Huius medicam uim, quam
hic tradit Serenus, comprobat Plinius libro 22. cap. 25. di-
cens, Lupinorū farina aceto ſubacta, papulas prurituſq́
in balneis illita cohibet, & per ſe ſiccat ulcera. Dioſcori-
des uero lupinorum farinam ſimpliciter cutem purgare,
& ipſos in cæleſti aqua decoctos uſq; dum in ſuccum len
teſcant faciem exterere dicit, papularum uero eruptiones
utiliter foueri decocto eorum, ſed additis pipere & ruta.
Percurres.) Perduces, peruolues atque perunges. *Laua-* *Lauacrum.*
cro.) Balneo. Lauacrum locus eſt ubi lauantur homines,
balneum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Pruritus autem salsos leuat humor aceti,
Siue maris rapidi sudor, cochleæq; minutæ,
Quarum contactu perimetur acerba libido.

Pruritus salsus. *Pruritus salsos.*) Hoc est, ex humore acri & salso generatos, materia enim ex qua fit pruritus, phlegma est, siue pitui- *Pituita.* ta, non omnis, sed quæ acredine & salsedine participat. Sunt enim plures pituitæ differentiæ. Verum pituita, ut Auicenna finit prima primi, sanguis est incoctus. Sed melius Galenus libro 1. præsagiorum Hippocratis, Pituita, inquit, excrementum est semicocti alimenti. Et de locis *Pituitosi.* affectis libro 3. cap. 5. ait: Cum simpliciter dicimus, pituitosos quidem eos nominamus, in quibus humiditas simul atq; frigiditas dominatur, quamuis magnæ peculia- *Pituitæ differentiæ.* resq; interim differentiæ eius inueniantur. Pituitæ enim unum genus est, quod quottidie uel screando uel uomendo uel emungendo educitur, uaporoso scilicet spiritu plenum, ut ne sensum quidem lateat, ipsum esse dissimilare. Aliud uero genus, similare quidem uidetur, licet fortasse non sit, qualis est crudus humor, qui in urinis substat, à Praxagora uitreus appellatus. Atq; ex hoc genere esse ui- *Saliua.* detur saliua, quæ neq; fluida admodum est, neq; aquosa. Verum saliua non unica duntaxat qualitate gustum afficit, nedum uniuersa pituita. Sæpenumero enim & acrem & acidam & salsam in ore saliuam manifeste deprehendimus, ueluti cum sani degimus, nulla qualitate infecta sed perinde quasi aquosa, saliua gustui offertur. Item de differentijs febrium libro 2. cap. 6. tradit se & eos qui Hippocratem imitari, & tum ueterum tum aliorum scriptorum consuetudinem seruare uoluerint, pituitam appellare humorem, quisquis in corpore frigidus simul & humidus fuerit. Cuius plures sunt species. Vna multũ frigida, quæ calido conclusa loco, maximos ac uehementissimos dolores concitet: & talis humor fuso uitro similis uidetur. Altera uero species pituitæ, est quàm excreantes sæpe ex-

puunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

puunt quidam, ſenſibilem obtinentem dulcedinem: & hæc haud exacte frigida eſt. Tertia autem ſpecies eſt, alia quidem ipſis expuentibus acida apparens, quæ minus quàm uitrea, magis quàm dulcis frigida eſt: quemadmodum altera ſalſa habetur, aut ob putrefactionem, aut ob permixtionem ſalſę ſeroſæ humiditatis. At uero uitrea pituita forſitã acidæ qualitatis particeps eſt, ita ut omnes differentiæ tres exiſtant: acida, dulcis, ſalſa. Verum uitreum humorem idem Galenus de locis affectis libro 2. ſic dictum tradit à Praxagna, eo quod fuſo uitro tũ colore tũ ſubſtãtia haud abſimilis ſit, et quia frigidiſſimus exiſtat: hoc aũt quod frigidiſſim⁹ eſt, haud obſcure percipi ſenſu tactus, tum ipſorum qui illum excernunt, tum aliorum quoq; qui confeſtim ipſum tetigerunt. Sed de pituita & differentijs eius ex Galeno hactenus. Ex quibus quinq; diſtinctæ inuicem pituitæ ſpecies ſic colliguntur autore Ioãnitio. Vna quæ ſalſa eſt cæteris calidior & ſiccior, cholerico humore infecta. Altera dulcis, humectationi & calori attinẽs, humore ſanguineo infecta. Tertia uero acris & acida, frigida & ſicca, humore infecta melancholico. Quarta, uitreus dictus humor, qui ex magna frigiditate & coagulatione naſcitur. Quinta autem, quæ nulla qualitite affecta & ſaporem non habens, propriam retinet frigiditatem & humiditatem. *Leuat.)* Tollit, diſcutit & ſanat. *Humor aceti.)* Acetum, quod autore Dioſcoride, pru ritus lenit & reprimit ac diſcutit. Aceto enim, ut Plin. tradit, cum ſumma uis ſit in refrigerando, nõ tamen minor eſt in diſcutiẽdo. *Maris ſudor.)* Hoc eſt, maris ſpuma, quę in extremis littoribus maris ac ſcopulis relicta inuenitur uirtutis ſiccæ detergentis & mundificãtis. Auerrois, Spuma marina uirtutem habet abſterſiuam & mundificatiuam cũ qualitate calida, quibus uiribus, pruritibus, pſoris, lichenibus et ſimilibus medetur affectib⁹. Et quod hic cõtra pruritũ de maris ſpuma traditur, id Dioſcorides et Plin. cõtra eoſdẽ pruritus & pſoras & lichenas de maris

Acetum.

Spuma maris.

Maris ſudor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Spuma. aqua testantur. Porrò quia de spuma nunc agitur, sciendum spumam quamlibet ex duarum substantiarum permixtione consistere: altera aëria & spirituosa, altera humida & pituitosa: mixtio autem earum fit, ambabus in multa perfractis, & multis mutuo complexu paruis ampullis ab ipsis effectis. Ambarum uero substantiarũ confractum & mixtionem facit nonnunquam motus uiolentus uel utriusq; uel alterius tantum, ut in mari ex uehementi & uiolento uentorũ afflatu in multas & exiguas partes attrita aqua: nonnunquam uero caliditatis copia & fortis calor id efficit, ut in polentis atq; lebetibus. Et hanc duplicem spumæ generationẽ non solum in exteris rebus, uerum etiam in animalium corporibus inuenire licet. Cũ enim adsunt ex morbo comiciali conuulsiones, uehemẽtia motuum solet spumã generare. In capris uero ira percitis, calor. In equis autẽ currentibus utraq; causa uigorem habet. Cæterum spuma solutu difficilis fit, aut ratione humoris, aut ratione humoris simul & spiritus. Quoties enim is qui perfringitur & quo spiritum circum plectente ampullas contingit generari, tenacem habuerit humor cõsistentiã, non facile solubilis sed stabilis perficitur spuma. Potissimum aũt quoties ambo cõcurrunt, tum humor qui spiritum intra se claudit, crassus ac glutinosus, tum aër seu spiritus etiam qui includitur turbulentus ac nebulosus. Autor Galenus in expositione aphorismorum & prognosticorum Hippocratis. *Rapidi.*) Aestuantis, furiosi, trucis et uesani. Horatius, Qui fragilem truci commisit pelago ratem. Catullus, Rapidum salum tulistis, truculentaq; pelagi. *Cochleæ minutæ.*) Idem testatur Plinius libro 30. cap. 3. dicens: Sedant pruritum cochleæ minutæ latæ cõtritæ illitæ. *Contactu.*) Attactu, approximatione & illinitione. *Acerba libido.*) Grauis & molesta scalpendi fricandiq; cupiditas, quam pruritus inducit. Est autem libido generale uocabulum omnis cupiditatis, autore Augustino. Plinius libro 17. cap. 18. Neq; enim

Cochleæ.

Libido.

anima

animalium tantum est ad coitũ auiditas, sed multo maior est terræ ac satorũ omnium libido, qua tempestiue uti plurimum interest conceptus, peculiare utiq; in insitis, cum sit mutua cupiditas utrinq; coeundi.

PHRENESI ET CAPITI PVRGANDO.

CAPVT VII.

Ex uitio cerebri phrenesis furiosa mouetur,
Amissasq; refert frendens amentia uires.

PHRENESI.) Per phrenesin intelligit omnem mentis uacillationem & alienationem, insaniæq; genera omnia. Sunt enim plura ipsius genera, præcipua tamen phrenesis, mania & melancholia. Quorum phrenesis proprie cerebri passio est, principales actiones eius lędens, mentemq; commouens & insanire faciens, à pallida seu flaua bile proficiscens. Suntq; differentiæ ipsius, ut tradit Galenus de locis affectis libro 3. cap. 1. simplices quidem duæ, & ex hijs composita tertia. Quippe sunt phrenetici quidam, qui de hijs quę oculis offeruntur, recte (quantum ad sensitiuam notitiam, et imaginandi potentiam pertinet) iudicant, cogitando uero et discernendo à naturali iudicio aberrant, animoq; desipiunt. Alij contra cogitatione & mente quidem non falluntur, sed imaginatione & sensibus difformiter mouentur. Tertij uero sunt qui ubi mens imaginibus addicta est, simul & sensus & cogitationis uitio laborant, & talium perfecta est phrenesis. Aliud insanię genus est Mania, cerebri etiam uitio contingens, furorem & ferina deliramenta inducens: taliter enim affecti, audaces, præcipites, tumultuosi & cõtumeliosi fiunt. Cuius causa est flaua bilis in cerebri corpore abundans, præassata ta-

Phrenesis.

Phrenesis species.

Mania.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

men & ad atræ bilis naturam accedens. Tertium cerebri uitium & insaniæ genus est, quod ab atra bile seu melancholico, frigido turbidoq; humore contrahitur, & melancholia appellatur, à Paulo Aegineta sic definitum, ἡ μελαγχολία, παραφροσύνη τίς ἐστιν ἄνευ πυρετοῦ ἐπὶ μελαγχολικῷ μάλιστα χυμῷ γενομένη, hoc est, Melancholia est insania quædam sine febre à melancholico maxime humore proueniens. Et taliter affecti melancholici dicũtur, quorum præter naturam uisa nõ semper eodem genere continentur, uariæq; sunt ipsorum imagines, timorq; nunquam illos deserit, sed timent omnes, mœrẽt, uitam damnãt, et odio habent homines, de quibus plura Galenus libri tertij de locis affectis siue de interioribus capite sexto. Et hęc de insaniæ generibus quatenus propria primariaq; cerebri affectione fiunt. Nunc de his quæ non primo & per seipsa sed per compatiendi rationem fiunt, quales sunt alienationes et deliria in febribus accidentia, quæ nec maniam, nec melancholiã aut phrenesim, sed paraphrosynen potius nuncupamus. Estq; delirium tale acutissimæ febris accidens, ex multis calidis ad ipsum cerebrum elatis uaporibus proueniens, unde etiam talium affectus subito accidunt & quiescunt, & quoties morbus declinat, delirium quoq; mitigatur, quod non fit in alijs. Mania enim & melancholia citra febrem accidunt, phrenesis uero quamuis cum febre fit, eius tamen delirium, etiam febrium mitigato uigore, non quiescit. Phreneticis enim, febris, unum quoddam accidens dispositionum cerebri censetur, nec subito etiam nec affatim, sed paulatim & accidit & quiescit hic affectus, & antequã inualescat, ipsum non pauca præcedunt accidentia, phrenetica uocata indicia, quorum copiosius meminit Galenus libro 5. de locis affectis. Vbi etiam docet quomodo phrenesis dignoscatur à delirio, quod ob septi transuersi affectum accidit, & à phrenesi non multum distat, iugiter enim infestat, quod ob nullius alterius partis uitium fieri solet: atque

Melancholia.

Alienationes per consensum.

Paraphrosyne.

Delirium à septo transuerso.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

adeo continuum delirium id eſt, ut hac parte inflamma-
tione affecta phreneticos euadere putauerint ueteres,
quare eam φρένας, hoc eſt, mentem appellauerunt, tanquã Phrenes.
ſapiẽti parti quid acciderit. Eſt et aliud delirij genus quod Delirium ab
ob oris uentriculi uitium accidit, uidelicet, ubi uitioſus ore uentriculi.
humor in eo exaugetur aut neruoſæ partes inflamman-
tur. Solet enim neruoſis partibus inflammatis prõptius
quàm reliquis, delirium ſuperuenire, idq; aſcendente ad
caput interdũ per cõtinuas partes ſolo calore, interdum
uero ſpiritu uaporoſo, uel fumoſo, aut fuliginoſo. Adhęc
ſunt & aliæ quibus per conſenſum caput afficitur, delirio
rum cauſæ, quas Serenus in textu recenſet, de quibus ſuo
loco mox dicemus. Demum ſolet à uentriculo proficiſci Hypochondria
hypochondriaca flatuoſaq; pręcordiorũ uocata affectio, ca affectio.
quam melancholica triſtitia, deſperatio & mœſtitia ſequi
tur, & quæ ad melancholiæ accidentia nihil reliqui facit.
In huiuſmodi autem affectu, uidetur quidem in uentri-
culo ipſo eſſe inflammatio: ſanguis autem in parte inflam
mata contentus, & craſſior & atræ bili magis conformis:
unde ſublata ad cerebrum ab atra bile euaporatione, me
lancholica eueniunt in mente accidentia, ceu metus &
mœſtitia. Sed de hijs nunc ſatis. *Capiti.*) Cerebro, cuius
phreneſis proprie affectio eſt, & reliqua inſaniæ delirijq;
genera ad idem referuntur. *Purgando.*) Emundãdo, eua Purgatio.
cuando & ſanando. Differt autem ab euacuatione pur-
gatio: quoniam hæc proprie alienæ materiæ & humorũ
qui ſua qualitate moleſtant & affligunt, eductio eſt. Eua- Euacuatio.
cuatio autem ubi propria materia quantitate exuperans
& humores omnes æqualiter uacuantur. *Ex uitio cerebri.*)
Hoc eſt, propter cerebri affectum et actionum ipſius lęſio
nem. *Phreneſis.*) Huius dictionis penultimam alij breuẽ, Phreneſis pe-
ut hic Serenus, alij uero longam proferunt. Iuuenalis: nultima ſyllaba
Cum furor haud dubius, cũ ſit manifeſta phreneſis. Mar- anceps.
tialis: Declamas in febre Mathon, hanc eſſe phreneſim. Deſipientia
Furioſa.) Quæ furit ſeu furorem inſaniamq; facit. Nullus omnis pericu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

enim furor, nulla insania, nulla desipientia non furiosa, nulla secura, nulla nõ periculosa est: alia tamen alia leuior est & securior: minus enĩ periculosa est, quę cũ risu est: periculosior uero, quæ serio fit & cum studio: & omniũ periculosissima, quæ temeraria. Vnde Hippocrates in aphorismis ait, Desipientiæ quæ cum risu fiunt, securiores: quæ uero cum studio, periculosiores. Fiunt autem omnes (ut ibidem Galenus docet) patiente cerebro, siue primo & per seipsum, siue per compatiendi rationem. Differunt autem inuicem per causas ipsas efficientes. Alia enim ex sola fit caliditate sine humore uitioso, similis quodammodo ei quæ ex ebrietate contingit: alia uero ex flaua bile, cum studio perficitur: alia uero satis furiosa ex flaua bile multum exusta, ut iam ad atræ bilis naturam accedat. Vbi animaduertendum est, quod atra bilis quędam ex flaua bile superassata gignitur, quę omnino molestissima est. Quædam uero ex sanguinis fece, quę crassior quidem est illa secundum substantiam, sed plurimum differens prauitate qualitatis. Et hanc quę est ueluti fex sanguinis, cum quis proprie loqui uoluerit, nondũ atram bilem, sed humorem melancholicum nominabit: ex nominum uero abusu & improprie aliquando atra bilis uocabitur: quoniã si non prius euacuetur, paulo post atra futura est. *Mouetur.*) Agitatur, concitatur, furit & insanit: seu causatur, oritur & generatur. *Amissas uires.*) Virtutes animales tum motus cõpotes tũ imaginatiuã, cogitatiuam & memoratiuã facultates deperditas. *Refert.*) Reuocat & renouat: id tamen apparenter solũ: nã reipsa omnibus tum corporis tum animi uiribus sanis destituti sunt: quamuis aliquando et agiles et prudentes sibi uideantur cum tamen nihil horum illis firmum & sanum sit. *Frendens.*) Fremens, tumultuans & stridens. Tales enim furore & rabie perciti, dentibus aliquando frendere solent: quo signo præsente, mors haud procul abesse dignoscitur, uel Hippocratis testimonio præsagiorum lib. 1. cum ait,

Lib. 6. Aphor. 53.

Atra bilis duplex.

Humor melancholicus.

ait, Si quis delirans dentibus ſtrideat, admodum exitioſum iam eſt, hoc eſt, uti Gal. ait, ualde exitioſum, quod eſt quidem non multo poſt, ſed cito moriturum ægrum. *Amentia.*) Dementia, furor, inſania, alienatio, uehemens mẽtis commotio et perturbatio. Sic dicta ab A priuatiua particula, quaſi ſine mente, hoc eſt, ſine conſilio, diſcretione, & quo ſapimus animo. *Amentia.*

Siue calens febris iactatos exedit artus,
Siue meri guſtus, ſeu frigoris efficit aura.

Calens.) Ardens. Eſt enim calida & ſicca paſſio febris. Nã ad igneam natiuę caliditatis conuerſio. *Febris.*) Inter inſaniæ, quæ non primaria cerebri affectione ſed per compatiendi rationem accidit, cauſas, una eſt febris ipſa. Et hoc bifariam: Primo quia per eam calidi uapores ad cerebrum aſcendentes, ipſum perturbant & animæ actiones corrumpendo, furorem & inſaniam faciunt. In confeſſo autem iam eſt tum apud medicos tum apud philoſophos etiam ſummos, quod & humores & omnino corporis temperatura, animæ actiones uariare poſſũt: & quod animæ potentię, corporis temperaturam ſequuntur. Et non modo febris, ſed alij plurimi quoq; morbi calidi & bilioſi, phreneſim, inſanias atq; furores efficiunt, quando ſcilicet multos uapores ad caput tranſmittunt & eiſdem cerebrum conturbant. Secundo, quia calor in febribus prę ſertim ardentibus & cauſone, omnium membrorum humiditates deſiccat atq; conſumit, per quarum & maxime earum quæ in cerebro ſunt, conſumptionem atq; deſiccationem, ſæpius etiam deſipientiæ cõtingere poſſunt, præ ſertim ubi uigiliæ adſunt. Vigiliæ enim, uti Galenus in aphoriſmorum expoſitione teſtatur, ex hijs ſunt quę maxime euacuant & exiccant, atq; ideo deſipientiam faciũt, immodicæ ſiccitatis ratione, & quia in longis etiam uigilijs bilioſior redditur ſanguis. Ex quibus manifeſtum eſt non omnes inſaniarum ſpecies à repletione fieri, ſed ali- *Febris quid.* *Febris inſaniæ cauſa.* *Vigiliæ inſaniæ cauſa.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quando etiam ex defectu. *Iactatos artus.*) Membra inquieta & hinc inde mota. Solēt enim in huiuſmodi febribus ardentibus & calidiſſimis, membra quoq; inardeſcere, & inde inquietari, ex qua inquietatione inordinate mouentur & iactantur. Vbi uero febris non fuerit talis, & æger nihilominus membra non ex more componit, ſed inæqualiter diſpergit, hoc non inquietationis modo, ſed & malitiæ ſignum eſt, teſte Hippocrate præſagiorum libro 1. ubi infit: Vbi pedes nudat æger, & hos non admodum calidos, ac ubi manus, ceruicem, & crura inæqualiter diſpergit, malum eſt, & angoris, inquietationiſq; ſignum. Et paulo poſt ſic ait, De manuum motione huiuſcemodi notas perpende. In acutis febribus, in peripneumonia, phrenitide, capitis dolore, ſi quis manus faciei admouerit, ut inde quippiā ſuperuacue uenetur, aut feſtucas carpat, aut à ueſte floccos, aut à pariete ſtipulas auellat, id omne malum & exitiale eſt. In phrenitide quidem quia princeps ſedes affecta eſt, in alijs uero propter magnitudinem eorum. *Exedit.*) Depaſcitur, exhaurit & exiccat. *Meri guſtus.*) Hoc eſt, uini & prēſertim meratioris potus et ingurgitatio. Quod autem uini potus deſipiētiam faciat et mētem commoueat, teſtis eſt uel Hippocrates in aphoriſmis dicens: Ex multa potatione, rigor & deſipientia, malum. In cuius aphoriſmi expoſitione Gale. ait, Quod quidem multa potatio, non aquæ ſed uini potionē ſignificat, unicuiq; manifeſtum. Deſipiunt autem ex talibus potionibus aliqui capite oppleto plurimo ſanguine ac ſpiritu calido, ob hanc ipſam uero cauſam, & calidiores redduntur, præcipue quidem caput, ſed & corpus uniuerſum. *Frigoris aura.*) Hoc eſt, aēr & uentus frigidus. Et hoc eſt quod Hippocrates tradit libro aphoriſmorum tertio dicens: Autumno uero & plurimi, uel æſtiui morbi fiūt, & furores, & atræ biles. Quomodo autem id accidat, docet nos in eiuſdē aphoriſmi expoſitione Galenus dicens, in autumno & æſtiuorum morborum permultos fieri,

Vini potus inſaniæ cauſa.

Lib. 7. Aph. 7.

Frigus aeris, inſaniæ cauſa.

ma-

manente adhuc ęstiuo humore flaua bile ſcilicet in ipſo: frigidum enim exiſtit hoc tempus, & bilem ipſam æſtiuo tempore exaſſatam excipit. Neq;, ſicuti æſtas ueri ſuperueniens humores euacuat, ita & autumnus æſtiuos: ſed contrarium ex toto accidit. Nam ex partibus extimis, cutem duriorem efficiendo & ſubſtantiam eius condenſando, difflari prohibet & ad intimas ducit: qui deinde intus detenti, & cerebri actiones lædentes, phrenitides & alia inſaniarum genera efficiunt.

Conueniet calidis pecudum pulmonibus apte
Tempora languentis medica redimire corona.

Calidis.) Naturali calore adhuc pręditis. Accipitur enim ex ouillo genere ſiue mas ſiue fœmina fuerit pecus, & iugulatur, ſeminecię adhuc pectore aperto pulmo extrahitur, qui extractus natiuo calore nondum extincto ſed calēs adhuc capiti utiliter adplicatur & imponitur. Non quod actuali illo calore membrum & cerebrum calefieri debeat, cum aliâs ſit nimis calefactum, ſed quo meatuum capitis obſtructiones reſerando, facilior uirtutis medicamenti ad interiora fiat tranſitus. Si enim frigidus applicaretur, cutem condenſando, meatus occluderet, quo minus uirtus ſua ad interiora penetrare poſſet, pręſertim cum poteſtate frigidus ſit pulmo & humidus, ſoporiferusq; quibus uiribus maxime opus eſt in huiuſmodi ægritudinibus calidis, teſte Galeno qui, therapeutice libro 13. ſic ait: In phrenitide, ſopire ac ſtupefacere principem facultatem oportet, cerebrũ ſcilicet quod ſupra modum incaluit refrigerando. Cæterũ ſi talis cum natiuo calore pulmo haberi nõ poterit, tũc coquẽdo calefaciendus, qui habetur, in decoctione capitis & pedum ſuorum ſeu in aqua ſimplici, & ſic calens capiti imponẽdus, toties quoties opus fuerit iterando. Et dictæ decoctioni, ſi libitum fuerit, addi poterunt cortex papaueris albi, Hyoſcyami, flores uiolarum, roſarum, nymphεæ, & anethum. Et h[illegible]

Caloris uis.

Pulmonum natura frigida & humecta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

iusmodi remedio plurimũ utuntur tempore nostro medici Bononienses, & ego sæpius usum eius cõtulisse uidi. *Pecudum.*) Ouium. Pecus pecoris seu pecudis, utrunque enim dicitur, proprie omne animal quod sub hominis imperio è terræ pabulo pascitur, significat: quamuis aliquando etiam pro omni animali præter hominem accipiatur, autore Capro grãmatico. In pręsentia tamen pro ouilli generis animali accipitur. *Pulmonibus.*) Pulmones multitudinis numero dixit, non quod plures sint in animali: nam unicum tantum habet unumquodque: sed quia diuisus in duas fibras, quemadmodum ungula bubula: quam diuisionem nos etiam tum ex hominis ac reliquorum animaliũ anatome, tum ex Aristotelis & Auicennæ, ut alios interim omittamus, testimonio agnoscimus. Aristotelis uerba, quæ libro de historijs animalium primo scribit, hæc sunt: Bipartitus pulmo omnium, sed in animal generantibus distinctio non æque apparet, minimeq; in homine, est enim hic simplicior, nec ita multifidus ut nonnullorum generantium animal, est. Auicenna uero decima fen canonis libri tertij, Pulmo, inquit, duas habet diuisiones, quarum una tendit ad dexteram, & altera ad sinistram: et hoc ideo ne cesset anhelitus propter nocumentum adueniens uni duarum partium. Porrò quod ad multitudinis numerum & prolationem eius attinet, sic etiam eodem protulit Plautus in Curculione dicens: Pulmones distrahuntur, cruciatur iecur. Et Cato in lib. de re rustica, capite de brassica, Si bilis atra est, inquit, & si lienes turgent, & si cor dolet, & si iecur, aut pulmones, aut pręcordia, uno uerbo omnia sana faciet, quæ intro dolitabunt. Quod si quis ipsum nõ diuisionẽ hanc sed reipsa plures intellexisse uelit, id ita accipiendum erit, ut illi non unius sed plurium sint animalium, ut uno refrigerato, alius simili modo applicetur. Quod autẽ pecudis pulmo capiti sic applicatus phreneticis prosit, Plinius etiã non abnegat, sed confirmat potius, cum naturalis historiæ

Pecuus. Pulmones.

storiæ libro 30. cap. 3. sic ait, Phreneticis prodesse uidetur pulmo pecudum calidus circa caput alligatus. *Tempora.*) Tempora proprie partes sunt capitis oculos interiacentes & aures ac uerticem, ex quibus ut plurimum canities oritur, eo quod priores capitis partes posterioribus sunt humectiores & pituitosiores. Aliquãdo tamẽ, ut hic pro toto capite accipiuntur & pręsertim parte eius anteriore, & ubi sunt commissuræ cranei: quæ (ut supra dictum est) à natura creatæ sunt, tum ut per eas cerebri superflua expurgentur, tum quo medicamentorum uirtus necessitatis tempore ad penitiora penetrare possit. Sunt autem quinq; numero, quarum una fronti communicans, quia coronæ præfert imaginem, dicta est coronalis. Altera directe ab osse anteriore per medium in longitudinem ad os dictum lambda pergens, caput diuidit in duo media, & hæc à figura sagittalis nuncupatur. Tertia uero à Græcæ literæ figura lambda uocatur, quæ talis est Λ, & hæc inter occiput & basim ipsius communis existit, cuius puncto, cum sit secundum figuram anguli, extremitas sagittalis cõtinuatur. Et heæ tres, eo quod ab extimis ad intima directe per integram ossium spissitudinem producuntur, ueræ nuncupantur. Reliquæ uero duæ non ueræ & mendosæ uocantur, non quia ad intima non perueniant, sed quoniam directe ut priores non penetrant, nam quod extrinsecus ab imo exorditur, intus definit superne: & has Galenus alicubi uocat agglutinationes, suntq; inter ossa capitis lateralia atq; præcipua, & ossa petrosa, quæ superiacent eis, coherentq; corticis imagine quadam, unde & corticales & squamosæ uocantur, de quibus etiam therapeutice libr. 6. sic ait Galenus, Os quod sincipitis ossi protinus succedit, temporis os uocatur, in quo ipsas squamatim compactas cõmissuras esse accidit. Suntq; à sagittali æque distantes, quæ profunditate integra in ossibus non profundãtur, profundatione scilicet directa, uti priores. Quod non intelligens Mundinus, manifesto errore illas

Tempora.

Commissuræ siue suturæ cranei.

ad intima non penetrare adcredidit. Inquit enim in anatomice sua, Mendosę sunt duæ, scilicet in utroq; tempore una: & dicuntur mendosæ, quia non penetrant interius, sed tantum apparent exterius, hæc Mundinus, sed falso. *Medica.*) Medicante & salubritatem adferēte. *Redimire.*) Circundare & illigare & imponere.

Illotis etiam lanis suffire memento,
Cerritum, sæpe horrendi medicantur odores,
Atq; ideo sanos primum curarier est par.

Lana succida. *Illotis lanis.*) Lanis succidis, quę quales sint docet nos Varro rusticæ rei libro 2. circa finem dicens, Tonsuræ tempus inter ęquinoctium uernum et solstitium, cum sudare cœperint oues, à quo sudore recēs lana tonsa succida est appellata. *Lib. 2.* Quæ probatissima est, autore Dioscoride, quæ mollis est & ex collo, femoribusq; pecoris detonsa: talis enim adspergines facile combibit, & sordiū suarum pinguedine quæ œsypus est, egregie mollit. *Oesypus.* *Lib. 9. c. 48.* *Lib. 29. c. 2.* Estq; succidis omnibus, ut Plin. tradit, usus medicatus, plurimaq; præstant remedia. Quin ipsæ sordes pecudum, sudorq; fœminum & alarum adhærentes lanis, œsopon uocant, innumeros prope usus habent. Vnde si succidæ lanæ, cui magna propter œsypon in medicinis utilitas, non fuerit facultas, eius loco, ipsius œsypus accipi poterit, autore Galeno, *Simp. lib. 10.* & præsertim Atticus, qui cæteris præstat: melior tamen ad præsentem usum contra phrenesim est ipsa lana succida, quam cum Sereno Plinius etiam suffitu phreneticis prodesse testatur. Verū quia de œsypo agimus, sciendum quod & œsypus dicitur & œsypon. *Oesypus, œsypon, œsopon.* Ouidius libro de arte amandi 3. Oesopa quid redolent quamuis mittantur Athenis, Demptus ab immundę uellere succus ouis. Non autem dicēdum est Isopus, ut perperam nostri temporis medici faciunt, et ad differentiam hyssopi herbæ addunt dictionem humida, qua omnino nihil opus est si recte proferatur. *Error medicorum recentiorum pro œsypo, hyssopum humidam dicētium.* Quomodo autem fiat œsypus, docet

nos

nos Dioscorides medicinalis Syluæ libro 2. Plinius naturalis historiæ libro 29. cap. 2. & Mesue in suo Grabadin. *Suffire.*) Suffumigare, ut grauis odor ad ægri nares pertingat. A uerbo suffio fit suffitus, & suffimentum & suffitio, id est, suffumigatio. *Ceritum.*) Lymphatum, insanum, furore perculsum, et quasi Cereris ira uexatum, ceu laruatus dicitur qui laruarũ occursatione uexatur. Plautus, Certe laruatus es, aut ceritus. Horat. Ceritus fuit aut commotæ crimine mẽtis. Lymphatus uero dicitur quasi Nympharũ spiritu correptus, unde etiã lymphationes apud Plinium. Et huiusmodi insanos & commotę mentis homines Græci νυμφολήπτους uocant, de quibus iam antea dictum est, capite sexto. Qui tamen nõ ex morbo sed naturali intemperie tales fiunt, cum scilicet atra bile agitantur, quæ melancholia dicitur. Qualibus autem ingeniis huiusmodi intemperies accidere soleat, docet nos ex Phauorini sentẽtia A. Gellius Atticarum noctium lib. 18. cap. 7. cuius hæc sunt uerba: Scitote intẽperiem istã, quæ μελαγχολία dicitur, non paruis, nec abiectis ingeniis accidere, ἀλλὰ εἶναι σχεδόν τι τὸ πάθος τοῦτο ἡρωϊκὸν, & ueritates plerunq; fortiter dicere, sed respectum non habere, μήτε καίρου, μήτε μέτρου. *Sæpe horrendi odores.*) Quod prius speciatim de succidæ lanæ suffitione, id nunc generatim de omnium graueolentium rerum odore testatur medicamentum. Agunt autem id huiusmodi odores, non quia calefaciunt, sed potius quia meatuum obstructiones adaperiunt, & humores in cerebro congestos & commotos attenuant, dissipant & sternutamento educunt: quanq̃ id etiam haud perpetuo agant, præsertim ubi morbus firmas fixerit radices: quare etiam nõ perperam adiecit dictionem SAEPE. Contingit etiam aliâs aliquando ubi caput uel sanitatis tempore multum oppletum est humoribus, non modo graues odores, sed & aromatum quoq; & omnium satis calefacientium rerum odores ui sua calorifica caput petente & humores ac spiritus commouẽdo

Ceritus. *Laruatus.* *Lymphatus.* νυμφολήπτος *Melancholia quibus peculiaris.* *Ordo grauis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

perturbandoq́ꝫ, capitis grauitatem facere, ut in aphorismis testatur Hippocrates: cuius libro 5. uerba sunt hæc, Suffitus aromatũ muliebria ducit, sæpius uero & ad alia utilis esset, nisi capitis faceret grauitatem. *Sanos.*) Incolumes, non quidem simpliciter tales, sed qui sanitatis latitudinem egressi, iam ægrotare cœperunt, & in quibus ægritudinis initium factum est, nondum tamen confirmatum. Quot uero modis dicatur sanum, & ægrum, & si inter hęc sit medium, docet Galenus in libro μικροτεχνῆς, id est, artis paruæ. *Primum.*) Ab initio ęgritudinis, cum iam afficere & lędere incipit, nondũ tamen radices fixit. Nam ut paulo post inquit, Non semper præsens dolor est sanabilis: esto. Cura magis prodest uenturis obuia morbis. Quare Galenus, uti in libris de affectorum locorum notitia siue de interioribus refert, cum ardẽti febre correptus floccos euellere & festucas colligere se intelligeret ex amicis astantibus, timens ne ex delirio illo phreneticus euaderet, dixit illis, Ne phrenitis me accipiat, auxilio estote. Si enim in phrenitin transisset delirium, uix et cum difficultate curari potuisset. *Curarier.*) Curari. Adiecta est syllaba Er, per proparalepsin: quæ figura est, ut Diomedes grammaticus inquit, quando aliquid ad nouissimam partem dictionis accedit, ut admittier orat, pro admitti. *Est par.*) Par cum uerbo substantiuo & nullo sequente casu, idem est quod decens, idoneum, rationi consentaneum, utile & proficuum.

Er syllaba in fine adiecta.

Proparalepsis figura.

Par.

Purgatur cerebrum mansa radice pyrethri.
Vngitur & succis dederit quos parua sabucus.

Purgatur.) Vacuatur, exoneratur, alleuiatur et ab humoribus noxijs emundatur. Est aũt purgatio proprie, ceu iam paulo ante dictũ est etiã, humorũ sua qualitate molestantium euacuatio. Porrò cerebrum non una purgatur uia. Sunt enim purgandi ipsum meatus multi. Nam cum rationalis animæ sit ceu domiciliũ, uti Galenus de sanitate

Purgatio.

Cerebri purgãdi meatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tuenda libro 1. tradit, & osse solido undiq; sit septum, plurimis maximisq; canalibus expurgatur. Primum per nares & palatum. Secundo per utranq; aurem. Tertio per caluæ commissuras. Nec absimile est etiam aliquid ab eo confluere ad oculos. Verum insanientium cerebrum Serenus hic potissimum per nares, palatum, & caluæ commissuras purgare docet, quamuis auribus etiam medicamentorum aliqua instillari possint, per quæ cerebrum expurgetur. *Mansa.*) Masticata & dentibus confecta atque comminuta. Est enim mandere, cibum dentibus comminuere: unde nutrices pueris cibum præmandere dicuntur. Et cibus mansus, hoc est, dentibus confectus atque comminutus, ex quo digestionis initium sumere creditur. Mandendo autem res ad id idoneas, cerebrum per os, palatum & canales illos atq; meatus à superfluis et noxijs expurgatur humoribus. *Radice.*) Hæc enim plantæ pars sola nunc in medico usu est: unde Auicenna, Plurimum quod de hac planta administratur, est radix eius, melius autem est illud quod est acutum, mordicans linguam. Nam uis illi est feruens, masticatum ceu reliqua feruida, copiosam oris saliuã proritat: cerebri enim meatus obstructos aperiendo, & pituitam per palatum & os trahendo caput purgat, quemadmodũ cæteri caput purgantes apophlegmatismi, hoc est, medicamenta quibus per os capitis pituita purgatur. *Pyrethri.*) Pyrethrõ herba est, quæ, ut libro 3. tradit Dioscorides, caulem & folia agrestis dauci & fœniculi modo ex se profert. Vmbellam anetho similem et rotũdam habet, radicem pollicis crassitudine, longam, sapore maxime feruido: qua mansa, in ore saliua abundat, & capitis pituita purgatur. *Parua sabucus.*) Sabucus minor, humilis & humi depressa, quæq; in altum non surrigitur, unde & chamæacte à Græcis dicitur. Nam χαμαὶ humi depressam significat, ἀκτῆ uero sabucus est. Latini Ebulum uocant. Huius succus, ut Plinius etiam libro 24. cap. 8. tradit, cerebri collectiones, pri-

Mandere. *Radix pyrethri.* *Apophlegmatismus.* *Pyrethron.* *Sabucus parua.* *Chamæacte.* *Ebulum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uatimq́ membranæ quæ circa cerebrum est, lenit infusus. Vis illi siccans & refrigerans.

Expressusq́ hedera mandatur naribus humor.
Aut mixtum rutæ cerebro stillatur acetum.
Non semper præsens dolor est sanabilis, esto,
Cura magis prodest uenturis obuia morbis.

Hedera. *Hedera.*) Id est ex hedera succus præsertim ex folijs & corymbis eius: qui, ut Plinius tradit, naribus infusus caput purgat. *Mandatur.*) Immittitur, infunditur & instillatur.

Ruta. *Rutæ.*) Ruta duorum generũ est. Vna satiua & hortensis, cui latiora folia, rami fruticosiores: altera syluestris, quæ maiore acrimonia est & ideo in cibis damnata. Quæ fico arbori adnascitur, melior edendo est. Succus exprimitur tusa ea & aspersa modice aqua, & in pixide Cypria asseruatur. Feruentis naturæ utraq;, & in præcipuis medicaminibus, gustu acris & amara: meatus occlusos referans, humores discutiens & ex imis partibus euocans, unde & insanientibus medetur. Celsus, Conuenit etiam offerre naribus rutam ex aceto contritam. Plinius, Rutæ succus & phreneticis ex aceto tritæ instillatur in tempora & cerebrum.

Acetum. Admiscetur autem acetum, quoniam aliorum medicaminum ad membra, ad quæ aliâs pertransire sine eo non possent, uehiculum est atq; delator: prẹterea refrigerandi ui qua rutẹ feruori resistit, dotatum est. *Cerebro.*) Scilicet per nares, ut apertis meatibus sternutamenta moueantur, per quæ materia expurgetur. Plurimum enim prodest in hoc morbo sternutamenta mouere medicamentis in id efficacibus: quæ tamen facienda sunt in hijs, quibus, ut Celsus tradit, uires non desunt. *Non semper est sanabilis.*) Scilicet ubi nimia facta est impressio. Nã, ut Mesue dicit, cura huius ægritudinis si iam impressit, cassa est: si autem adhuc fit præparamentum ut imprimat, sed adhuc non impressit, curatur: sed non apud negligentes

Dolor. & stolidos. *Præsens dolor.*) Impressus etiam confirmatus

affe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

affectus. Dolor, uti Gal. ait, tristis est sensus. Aliquando uero dispositio ipsa in qua dolemus, & quæ cum dolore natura apta est fieri, quemadmodum Erisypelas, inflammatio, uulnus, fractio, ruptura, conuulsio & similia. Et in huiusmodi significato accepit dolorem nũc Serenus, & Hippocrates in libro epidemiarum sexto, ubi inquit, In Cranone dolores antiqui, frigidi, noui, calidi, sanguinolenti plurimi fuerunt. Et in aphorismis lib 2. Quicunquæ, ait, dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, his mens ægrotat. *Esto.*) Ponit curæ possibilitatem. *Cura obuia.*) Curatio & medicatio morbo imprimere & radicẽ figere uolenti occurrẽs, ipsumq́ præueniendo auertens. *Venturis.*) Futuris & firmam impressionẽ molientibus, cum scilicet adhuc est in principio, & nondum in uigore constitutus morbus: postq̃ enim omnino radices fixerit, tunc difficilis, imò, ut dictum est, impossibilis est curæ. Hinc Persius, Venienti occurrite morbo. Et Ouidius, Principijs obsta, sero medicina paratur, Dum mala per longas inualuere moras.

DE FLVORE CAPILLORVM ET MACVLIS CAPITIS TOL.

CAPVT VIII.

DEFLVIT expulsus morbo latitante capillus,
Seu raro ablueris, seu uis epota ueneni est,
Seu salamandra potens, nullisq́ obnoxia flammis
Eximium capitis tactu deiecit honorem.

DE FLVORE *capillorum.*) De casu & defluuio capillorum. Decidunt autem capilli uel uia naturæ ob alimenti inopiam, & fit caluicies, de qua nihil in præsenti, nam incurabilis est passio: uel propter uitium aliquod accidẽs in humoribus ex

Defluuij capillorum causa.

Caluicies.

quibus nascuntur. Qualis autem sit humor ex quo generantur, & ex cuius corruptione corrumpuntur, docet nos Galenus tuendæ sanitatis libro 1. ubi de corporis excrementis agens, dicit illorum unum esse siccum quod per aluum deijcitur: alterum humidũ quod per uesicam excernitur: tertium uero halituosum quod in singulis animalis nascitur particulis, ex ipso unde aluntur succo. Cui excremento quamuis nullus certus ut alijs à natura præscriptus est meatus, expellitur tamen ipsum partim actum per ipsa molliora corpora, quæ fluentis eius uiolentiæ cedunt, potissimum cum à spiritu maiore impetu irruente, impellitur: partim etiã per exiguos omnes quos poros Græci uocant, corporis meatus, quorum non modo reliquum corpus uniuersum, sed etiam tota cutis plena est. Porrò huiusmodi generis excrementum tenuissimum facile sanè eijcitur, partim quidem in speciem halitus ab insito calore solutum, partim uero uiolento motu confertim erumpens. Cæterum quod ita excernitur, SVDOREM appellant. Alterum uero cui nullũ publice nomen est, & quod uulgo etiam quoniam uisum pre tenuitate effugiat, haud cognitum est ab ijs qui id ratione contemplati sunt, Grece ἄδηλος ἀισθήσει διάπνοη uocatur, hoc est, insensibilis & sensum latens trãspiratio, in qua etiam crassioris excrementi nonnihil excernitur, cui tamen & uehementiore calore, & fluoris impetu maiore opus est, ne ante itineris finem sistatur, saltem ad cutim: à quo excremento etiam tum sordes quæ circa omnium cutim semper adseruantur, tum pili ipsi originem habent. Et non solum ab huiusmodi per cutim transpirante excremento, à principio pili gignuntur, sed & de cætero ueluti succrescendo, utidem therapeutice libro 14. scribit, augentur. Cæterum quoties id uel prorsus perijt, uel redditum est uitiosum, toties pilos corumpi est necesse: quemadmodum & stirpes ipsę aut nutriente succo destitutæ, aut non idoneo usæ, corrumpuntur. Verum quan do

Corporis excrementa triplicia.
Sicca.
Humida.
Halituosa.
Pori.
Sudor.
Insensibilis transpiratio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

do prorsus deperditur qui pilos alit succus, caluities oritur, passio insanabilis. Quando uero uitiatur, tum ophiases tum alopeciæ proueniũt: in quibus omnibus particulæ quæ utilis fuerat, amissio est. Vtraq; uero ab animali nomen adepta est. Alopecia quidem quod uulpina sit passio, id est, quæ uulpibus sæpeaccidere consueuit. Ophiasis uero à serpentis similitudine nomine ducto. Quorum malorũ alopeciam Galenus in diffinitionibus suis dicit esse natiui coloris in capillo mutationem, qua ad aurum inclinato colore capillus à radicibus fluit. Ophiasim uero similem huic in capillo natiui coloris in magis uarium et uersicolorem mutationem, quo uitio circumactis & obliquis spatijs capitis partes glabrescunt. Celsus hæc mala Areas uocat, & de ijsdem libro 6. sic scribit: Arearum duo genera sunt. Commune utrisq; est, quod emortua summa pellicula pili primum extenuantur, deinde excidunt: at si ictus is locus est, sanguis exit liquidus & mali odoris, increscitq; utrũq; in alijs celeriter, in alijs tarde. Peius est quod densam cutem & subpinguẽ & ex toto glabram fecit: sed ea quæ alopecia nominatur sub qualibet figura dilatatur, fit & in capillo & in barba. Id uero quod à serpentis similitudine Ophiasis appellatur, incipit ab occipitio, duorum digitorum latitudinem non excedit, ad aures duobus capitibus serpit, quibusdã etiam ad frontem, donec se duo capita in priorem partem committãt. Illud uitium in qualibet ætate est, hoc ferè in infantibus. Illud uix unquam sine curatione, hoc per se sæpe finitur. Hæc Celsus. *Maculis.*) Capillorum et capitis defedationibus, areis, glabretis & inanitatibus, pręsertim ijs quę in ophiasi fiunt. Nã quod serpẽtinis maculis sit assimilis, ophiasis dicta est. *Defluit morbo latitante.*) Ponit primo fluoris capillorum causas, quarum una est aliquando morbus. Solet enim post morbum ferè semper capillorum contingere defluuium, humores enim sub cute latentes à quibus nutriuntur, & subinde succrescunt capilli, tunc maxime cor

Caluities.

Alopecia.

Ophiasis.

Areæ.

Morbus defluuij causa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

2 Sordes & rarior capitis lotio.

rumpi solent: quamuis etiam citra morbos id aliquando fiat. *Seu raro ablueris.*) Alia fluoris capillorum causa est rarior capitis lotio, cuius intermissione sordes circa cutim aceruantur, qui tandem putrescentes capillorum radices etiam corrũpunt, unde & decidunt. *Vis epota ueneni.*) Inter

3 Venenum.

defluuij capillorũ causas una etiam est uel assumptum uenenum: cuius signum est, coloris in uniuerso corpore mutatio, aut enim liuens est, aut nigricãs, aut uarius. Nec refert siue in cibo siue in potu fuerit assumptum: quãuis facilius fallere, celeriusq; in uenas & uniuersas corporis partes permanare, pręcipueq; cor ipsum pertingere possit in potu quàm in cibo sumptum. Est autem uenenum

Venenũ quid.

quicquid assumptum aut attactum nocet, & naturã eius cui approximatur, immutat. Quod, ut Auerrois docet, in corpore operatur, aut qualitatibus primis, aut à tota substantia, aut fortitudine attractionis, aut uitæ calorem remouendo *Salamandra.*) Alia fluoris capillorum causa & efficax quidem est, ut inquit, salmandræ attactus. Est autem salamãdra, ut Dioscorides tradit, ignauum animal, in lacertarum censu & genere, colore uario. Et ut Plinius scribit libr. 10. Salamandra animal est lacerti figura, stellatum, nũquam nisi magnis imbribus proueniens, & serenitate deficiens. *Potens.*) Efficax in nocendo et præsens. Estq;, ut Plinius libro 29. cap. 4. tradit, inter omnia uenenata salamandræ scelus maximũ. Cætera enim singulos feriunt, nec plures pariter interimunt, ut omittam, quod perire conscientia dicuntur homine percusso, neq; amplius admitti ad terras. Salamandra populos pariter necare improuidos potest. Nam si arbori irrepserit, omnia poma inficit ueneno, & eos qui ederit, necat frigida ui, nihil aconito distans, quinimo si contacto ab eo ligno uel pede crusta panis incoquatur, idem ueneficium est, uel si in puteum cadat. *Nullis obnoxia flammis.*) Hoc est, ignis calori & consumptioni non subiecta, sed ab igne, in quo uiuit, inuicta: imò tantus huic rigor est, tradente Plinio libro

4 Salamandra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

bro 10.cap.67.ut ignem tactu extinguat, non alio modo quàm glacies. Quamuis alibi, libro scilicet 29. idem neget uerum. Inquit enim, Ex ipsis quæ magi tradunt contra incendia, quoniam ignes sola animalium extinguat, si forent uera, iam esset experta Roma. Sestius negat restingui ignem ab hijs. Hęc Plinius. Dioscorides item libro 2. igne non cremari salamandram, falsum esse dicit. *Capitis honorem.*) Capillos, qui à summo illo rerū opifice ornamenti & honoris causa in capite ueluti in eminente ædificij culmine procreati sunt. Non obstante quod Aristoteles capillorum rationem ad duas tantum referat causas, uidelicet ad necessitatem ipsam, & ad præsidij rationem: quarum necessitas est propter cerebri humiditatem ac caluæ commissuras: ubi enim plurimum est humoris atq; caloris, ibidem pilorū ortus ut copiosior sit, necessum est. Pręsidij autem ratio est, ut pilorum copia caput à nimio tum frigore tum calore defendat. Et quamuis heæ duæ præcipuę capillorum sint causæ, nihilominus tamen et in ornatu est tertia, qui uelut in ædificij culmine miri decoris speciem ostentat. Vnde Charilaus aliquando interrogatus, cur comam nutriret? respōdisse fertur, Quoniam ex omni ornatu is pulchrior, uenustiorq; ac minimi sumptus esset. Sed de hijs antea quoq; dictū est ca.4. Cæterum hominis caput inter cętera animantia cuncta maxime pilosum esse, rei ipsius indicio satis cōstat, nec argumētis ad id opus est. *Tactu.*) Præsertim saliuæ. Nam, ut Plin. lib. 10. ait, Eiusdē saliua quæ lactea ore uomitur, quacūq; parte corporis humani contacta, toti defluūt pili, idq; quod contactum est colorem in uitiliginem mutat. Et libro 29. Quippe cū saliua eius quacunq; parte corporis, uel in pede imo respersa, omnis in toto corpore defluat pilus. *Capillorum causæ.*

Nonnūquam uariant maculæ, paruisq; parumper
Orbibus aspersum ducit noua uulnera tempus.

Nonnunquam uariant.) Ostensis Alopecię & defluuij capillo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

rum causis, describit nunc alteram arearum speciẽ, quam ophiasin siue tiriam uocant aliqui. *Variant maculæ.*) Areæ & depilationes uarie & tortuose fiunt & serpunt. Vnde Abinzoar libro 1. Theizir ait, Tiriam à serpentis nomine ita nominari, eo quod depilatio cutis fit per uiam tortuosam. Et Galenus in primo memiri capite primo, demonstrat alopeciam non differre à tiria (quam ipse serpiginem uocat) nisi in sola figura. Alopecia enĩ, ut Celsus tradit, sub qualibet figura dilatatur, non sic autem altera ut iam patuit. *Orbibus.*) Circuitibus & tortuositatibus maculosis in orbis formam factis. *Noua uulnera.*) Vlcera recẽtia, per quę tiria siue ophiasis differt ab alopecia. Vnde Auicẽna canonis libro 4. dicit: Et differentia quidem inter alopeciam & tiriam est, quod in tiria non tantum cadunt pili, imò excoriatur cum ea cutis tenuis, sicut accidit serpenti, & fortasse accidit in ea figuratio proueniens sicut figura serpentis. *Tempus.*) Ophiasis enim, ut Celsus ait, ab occipitio incipiens, ad aures duobus capitibus serpit, quibusdam etiam ad frõtem, donec se duo capita in priorem partem committant. Tempora autem partes sunt capitis oculos ac aures interiacentes.

Tiria. *Tempora.*

Vipereæ pellis cineres his addito rebus,
Roboreásue pilas ursino iungito seuo,
Vel testudineo mala permulceto cruore.

Vipera. *Viperea.*) Vipera serpẽtis genus est, sic dicta, ut aliqui uolunt, quod ui pariat, non obstante quod & reliqua animantia fermè omnia ui quadam partum suum edere soleant. Aliȷ hanc nominis rationem ueluti frigidiusculam refutantes, uiperam, eo quod uiuum, hoc est, animal pariat, quasi uiuiperam dictam aiunt, idq́ꝫ ex feræ proprietate colligunt. Nam, ut Aristoteles & Plinius tradunt, sola uipera ex omni serpentium genere animal parit. Sunt & aliȷ qui ideo dictam uolunt uiperam, quod ui pereat, eo quod tum mas in coitu, tum fœmina in partu pereat. Sed

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quæ potior ſit ſententia, iudicent alij. Verum uiperam Græci, marem quidẽ Echin, fœminam uero Echidnam Echis. uocant, ſicq́ꝫ dictam uolunt παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν Echidna. ἄχρι θανάτου, quod ad interitum & mortem uſqꝫ fœtum intus contineat. Nam dum pariendi tempus adeſt, fœtus exeſo parentis utero in hæc uitalia prorumpit: idq́ꝫ pœna, ut uolunt, iuſtiſſima, quo ſcilicet talionem reddat. Nam coëuntibus mare & fœmina, hæc coëuntis maris præ dulcedine caput abrodit. Quod & Nicander teſtatur dum inquit, Vipera ſæua caput lætali dente mariti Mordicus abſcindit, ſed nata è ſemine proles, Viſcera dilaniat matris, lucemq́ꝫ requirit, Sic patris interitum ſub primo ulciſcitur ortu. Et Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem ex Nicandri ſententia ait, Vipera præ alijs animalibus omnibus caput ad perniciem habet idoneum: nam, ut ferunt, maris ſemen aperto ore excipit, quo deinde ſuſcepto, eiuſdem caput abſcindit: tali uiperarum exitiali exiſtente complexu, demum ex ſemine geniti catuli quodam naturæ inſtinctu uterum matris abrodunt, atque in lucem erumpunt patris mortem uindicantes. Sed contra hæc Appollonius apud Philoſtratum, Viperam eſſe uiſam refert, ſerpentes, quos peperiſſet, lambentem quaſiq́ꝫ expolientem. Non enim aſſentior, inquit, impudenti eorum ſermoni, qui uiperarum fœtum abſque matre prodire autumant: id natura non patitur, nec recipit experientia. Sed hijs omiſſis, ad alia progrediendum. Itaqꝫ quam nos uiperam, Græci echidnam uocant, Arabes ex Græcorum lingua detorto & corrupto uocabulo Tyrũ appellant, generis nomine ſpeciei impoſito. Nam uipera theriu ſpecies eſt. Theriõ θηρίον autem Græcis & θηρίον. pręſertim poëtis, fera eſt & noxia beſtia, ceu lupus, leo, urſus. Apud medicos uero pro uenenata beſtia accipitur, quæ morſu aut ictu uenenum relinquunt, & ueneni ſui ui & maleficio nocent, maximeq́ꝫ uiperam ſignificat: & in hoc ſignificato peculiariter utitur Gal. Et quę de Tyro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tradit Serapio, eadem de uipera ſcribunt Dioſcorides, Paulus atq; Galenus. Et quos hij trochiſcos, ſeu, ut Plin. uocat, paſtillos appellant theriacos, quoniam ex therio, id eſt, uipera componuntur: eoſdem Auicenna in mentione theriaces Andromachi, trochiſcos uocat tyri. Verum quæ medicorum uulgus narrat hodie de ſerpente quodam alio à uiperis & peregrino, qui proprio nomine Tyrus appelletur, & quẽ nõ niſi peregre ex Aegypto uſq; petitum, nobili illi antidoto theriacæ addere oporteat, fabuloſa ſunt, & à ueritate maxime aliena. Vipera enim eſt quæ theriacæ admiſcetur, & non modo in Aegypto, ſed & uniuerſo orbe reperitur, quare etiam ex ubique reperta confici poteſt theriaca: quamuis nõ inficias eam, uno in loco repertam efficatiorem & utiliorem eſſe quàm in alio. Nam, ſi Theophraſto credimus, plurima ſunt quæ tum loci in quo agunt, tum uictus quo uiuunt cauſa, uiribus aut efficatiora aut deteriora redduntur. In Arabia enim ſi quem momorderit uipera, uulnus facit, ſed ac ſi ferro illatum fuerit, citra ueneni timorem, quod cibi ratione quo alũtur contingit: cum enim odoratis ac medicatis ceu balſami ſucco, qui ubertim illic naſcitur, plurimum alantur, uirus aliâs letale, mitiore permutant poteſtate. Alimenta enim uim habent non minimã tum mitigandis tum accendendis uenenis. Vnde etiam in Phœnicia, uti tradunt, uel halitu ſolo uiperæ pernecant hominem, ob radicum quæ illic naſcuntur uim atque uenenoſitatem. Quare non mirum eſt, unam theriacam altera meliorem credere & eſſe, ob uiperas, uipereòſue paſtillos aliunde conquiſitos & additos. Neq; uipera quæ trochiſcos theriacos ingreditur, pro alijs accipitur ſerpentibus, quàm de quibus paulo ante dictum eſt ex ſententia Galeni atq; Nicandri: quamuis diuerſum manifeſto errore tradat Gẽtilis haud paruę autoritatis medicus, dũ in expoſitionibus ſuis in quintũ Auicẽnæ librum ſic ait, Vt apparet Vipera ſumitur pro communibus ſerpentibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tibus, non pro illis quæ caput maſculi in ſpecie ſua præſcindũt quando coit cum ea, unde filij facientes matris uindictam eas ſcindũt. Sed erroris cauſa, reor, fuit, quod eoſdem ſerpentes aliquando uiperas aliquãdo tyros nominauit Auicenna. Cæterum ſunt qui uiperam non alium credant quam quem uulgo maraſſum uocãt, à Marſorum populis ducta nomenclatura, quia id genus maxime conſectarentur, circumferrentq; Marſi. Quod & Galenum ſignificare dicunt in libro ad Glauconem, et libro de ſimplicibus. 11. Et Plinium quoq; qui libro 7. Marſos à Circes filio ortos teſtatur, & ob id ingenitam cõtra ſerpentes uim illis fuiſſe. Cuius ſententiæ autores ſunt cum primis Nicolaus Leonicenus medicinæ dècus præcipuum & parens optimus, qui primus labefactatã funditusq; euerſam medicinam reparare & è tenebris Aeſculapij more reuocare aggreſſus eſt, barbaramq; illam medicinã Latinitati reſtituit. Alter huic ſubſcribens eſt Ludouicus Cælius, uir eruditus & in omni diſciplinarum genere exercitatus. Quorum permulta de uiperis & de illarum in pariendo natura, & an Plinius & Ariſtoteles de hoc inter ſe concordent, diſcordéntue, tradit uterq;, hic quidem in antiquarũ lectionum libris, ille uero tum in proprijs tum in his quos de Plinij & aliorum medicorum erroribus conſcripſit: cuius tamen ueracia ſcripta mordere haud puduit Pandulphũ quedã Collenutium, uirum & ſi aliâs non indoctũ, tamen, ut eſt in prouerbio, ἑαυτὴν αὐλήν. Sed de his ſatis. Nunc quia theriacæ facta eſt mentio, ſciendum theriacam proprie dici ἀπὸ τῶν θηρίων, hoc eſt à feris uenenatis quæ ictu aut morſu uenenum relinquunt. Et hoc aut quia aduerſus theria, id eſt, feras uenenatas præſens ſit remedium: & ſic accipit Plinius libro 20. cap. ultimo, ubi theriaces compoſitionem deſcribit, nulla uiperæ facta mẽtione, qua magnus rex Antiochus aduerſus omnia uenena uſus traditur. Et libro 29. cap. 1. dicit: Theriace uocatur excogitata compoſitio luxuriæ: fit

Theriaca.

ex rebus externis, cum tot remedia dederit natura, quæ singula sufficerent. Aut dicitur theriaca, quoniam therion, id est uipera, compositionem eius ingreditur: unde quoque eandem ob causam trochisci siue pastilli theriaci uocantur: de quibus Plinius libro iam dicto cap. 4. sic scribit, Fiunt ex uipera pastilli, qui theriaci uocãtur à Græcis, quaternis digitis utrinq; amputatis, exẽptisq; interaneis & liuore spinę adhęrente, reliquo corpore in patina ex aqua & aneto discocto, spinisq; exemptis & addita similagine, atq; sic in umbra siccatis pastillis, quibus ad multa medicamenta utuntur. Significandum uidetur ẽ uipera tantum hoc fieri. Hactenus Plinius. Quod autem ad extremarum partium amputationem attinet, fatentur id etiam medici, sed in amputationis causa adserẽda non conueniunt: aliqui enim id fieri debere uolũt, quoniam in his partibus & in ore potissimum uenenum gestitent: quod tamen tanquam fabulosum non acceptat Dioscorides, sed eò causam reĳcit quoniam partes illæ sint osseæ & sine carne, quare etiam inutiles. Verba eius libro secundo, sunt hæc: Oportet detracta pelle caput & caudã, quod nulla in hĳs caro est, amputare. Fabulosa enim ad mensuram extremarum uiperæ partium amputatio est. Sed hoc ultimum Dioscoridis dictum ad amputationis causam tantum, quia uenenũ in hĳs partibus lateat, referendum est, non simpliciter ad amputationem ipsam in qua omnes conueniunt. Demum theriaces nomine uocantur aliquãdo sine permixtione id genus simplicia quoq; uenenis aduersantia, ut apud Auicennam canonis libr. 2. cap. de opopanace, Cum aristolochia pota, theriaca est. Et capite de Scylla, Theriaca est, inquit, aduersũ uenenosa. Plinius item libr. 32. cap. 4. Et algam maris theriacen esse Nicander tradit. Sed de uipera & theriaca satis superq;. Pellis.) Membranę & cutis exuctæ ac aridę et inanis, quam renouando iuuentam, quottanis exuunt, & exuuium spoliumq; dicitur. Plinius senectam, senium

Exuuiũ Spoliũ Serpẽtis.

Senecta,

&

& senectutem appellat: interdum uero quia uerno tempore potissimum hanc exuunt, uernationem. Græci lebe rida & aliquando syphar dicunt. Huius cremati cinerem alopeciam sanare testatur etiam Plinius libro 29. cap. ultimo dicens, Pellium uiperinarum cinis alopecias celerrime explet. *Cineres.*) Cinis combustę materiæ puluis est. Modus uero cõmunis cremandi res omnes præter ligna est, ut in testaceum & fictile uas conijciantur & operculentur, tum carbonibus obrutæ dimittantur usq; dum exustæ sint. *His addito rebus.*) Areis, alopeciæ et ophiasi apponito & inungito. *Roboreas pilas.*) Idem medicamentum hoc testatur etiam Plinius libro 24. cap. 4. dicens, Roboris pilulæ ex adipe ursino alopecias capillo replent. Est autem Robur glandifera arbor, de qua inter alia idem Plinius libro 16. sic scribit: Robur præter fructum plurima alia gignit. Nanq; fert & gallæ utrũq; genus, et quædam ueluti mora, ni distarent. Nascuntur in eo & pilulæ nucibus non absimiles, intus habentes flocculos molles, lucernarum luminibus aptos: Nam & sine oleo flagrant sicuti galla nigra. Fert & aliam utilem pilulam cum capillo uerno tempore tamen. Gignunt & alij ramorum eius pilulas corpori non pediculo adhęrentes. Necnon & è folijs conuolutas pilulas. Ferunt robora & cachryn: ita uocatur pilula in medicina urendi uim habens. Continet nucleum pineis similem, is crescit hyeme, aperitur uere pilula tota: cadit cum folia cœperint crescere. Et hæc pilula est aduersus capillorum defluuia efficax. Qualis autem hæc ipsa seu cachry sit, & quæ eius forma & figura, clarius nos docet Theophrastus de plantarum historia lib. 3. hijs uerbis: Harum unaquæq; ex paruis particulis squamarum modo deinceps constat eadem qua pineæ nuces forma, eousq; ut non dissimilis nouæ & uiridi pineæ nuci figura sit, oblongior tamen forma & æqualiter per totũ crassa. Augetur hoc hyeme, uere aperitur: flauescuntq; tunc squamæ illæ, & in trium digitorum longitudinem

Senium.
Senectus anguiũ.
Vernatio.
Leberis.
Syphar.
Cinis.
Adustionis rerum modus communis.
Robur.
Pilulæ roboris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Vrsi adeps. extenduntur: & cum uere folium prodierit, decidunt. Hactenus Theophrastus. *Vrsino seuo.*) Adipe ursi, qui, ut Dioscorides tradit, capillos nutrit, & auget, alopeciasque emendat & explet. Et Plinius libro 8. Vrso, inquit, sunt adipes medicaminibus apti, cõtraque defluuium capilli tenaces. Quod autem ad seuum attinet, sciendum quod quemadmodum Dioscoridi unum & idem totius anima- *στέαρ.* lium omnium pinguis nomen est στέαρ, ita Sereno sub diuersis, seui, adipis, & pinguis nominibus, unum & idem pingue est, idque à renibus potissimum detractum, à quibus omne laudatissimum. Quamuis Aristoteles libro de historia animalium tertio, seui & adipis ex animalium genere & eorum partibus corporumque temperamentis & pinguium ipsorum habitu, sua fecerit discrimina. Quo- *Seuum. στέαρ.* rum alterum apud Græcos στέαρ, alterũ πιμελὴ uocatur, hoc Latine adipem, illud seuum seu mauis sebum dixeris. Quorum seuum pinguedo est durior, plusque terrestris naturæ participans, & cum refrixit glaciatur & fragilis est, & in fine carnis semper existit, & in animalibus alteræ tantum parte dentatis, & naturæ temperamento magis terrestribus repperitur: adhæc seuum ægre liquefit, liquatum uero celerrime densatur, duriusque adipe uel sensu *Adeps. πιμελὴ* ipso deprehenditur. Adeps autem contrario modo se habet. Nam liquidior est, minusque duratur, ac inter carnem & cutem inuenitur, & in animalibus utrinque dentatis & naturæ temperamento humidioribus, celerrimeque liquatur. Et hæc seui ac adipis autore Aristotele differentiæ. Nec obstat quod Plinius libro 11. tradit adipem concretum & cum refrixit fragilem, semperque in fine carnis. Sed quàm bene id dicat, iudicent alij. Vulgus hodie Aristotelis sententiam sequitur, & differentiam illam ab eo præ- *Sanguis testudinis.* scriptam obseruat. *Testudineo cruore.*) Sanguine testudinis. Caper grãmaticus sanguinẽ dicit, dũ manat: effusum *Sanguis. Cruor.* uero, cruorẽ. Sed nõ obseruatur hęc proprietas. Testudo *[T]estudo.* autẽ animal est quadrupes, ut Pacuuius illã describit, tar-

digrada,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

digrada, agrestis, humilis, aspera, capite breui, ceruice anguinea, aspectu truci. Et ut Græci dicunt ἀμφίβιον, hoc est, aqua terraq; ceu rana uictitans. In quibus & naturæ spectabilis potẽtia est, ut Plinij uerbis utar, qui etiã lib. 32. post castorũ medicinas & obseruationes de testudine sic quoque ait: Geminus similiter uictus in aquis terraq; & testudinũ, effectusq; par in honore habendo uel propter excellẽs in usu pretiũ naturęq; uere proprietatem. Et paulo post in medicinæ ipsius obseruatione, Testudinum, inquit, marinarũ carnes ammixtæ ranarũ carnibus contra salamandras pręclare auxiliãtur. Neq; est testudine aliud salamandræ aduersius. Sanguine alopeciarũ inanitas, & porrigo, omniaq; capitis ulcera curantur. Inarescere aũt eum oportet, lẽteq; ablui. Dicta est autẽ testudo, ut Varro sentit, quod testa tegatur. Suntq; genera ipsius plura, de quib⁹ dictũ est supra. *Permulceto.*) Permollito & inũgito. ἀμφίβιον.

HVMORIBVS ET PERFRICTIONIBVS MEDENDIS.

CAPVT IX.

SAEPE ita peruadit uis frigoris ac tenet artus,
Vt uix quæsito medicamine pulsa recedat.
Si ranam ex oleo decoxeris, abijce carnem,
Membra foue, parili pellet ratione rigorem
Vrticæ semen, perceptaq; frigora uincit.
Et ceruina potest mulcere medulla rigorem.



HVMORIBVS.) Scilicet frigidis et crassis, qualis est pituita crassa & uiscida in corpore collecta & concreta, cuius exuperantia & superfluitatis redundãtia fiunt capitis, stomachi & artuum dolores, debilitates, grauitates et dispositiones ægritudinesq; alię. *Perfrictionibus.*) Id est, algoribus & fri *Frigoris noxæ.*

goribus & ex hijs neruorum ac artuũ cõtractionibus. Frigus enim neruis & mẽbris neruosis inimicũ, illa cõgelãs et cõtrahens ac meatus constringendo spiritibus transitũ intercipiens, unde à soliti muneris functione destituit, & sensus aut motus aut utriusq; difficultatem inducit, aut horum alterum uel utrunq; simul auferunt. Acciduntq; ægritudines qualis est paralysis, spasmus, stupor & id genus si quæ sunt aliæ. *Peruadit.*) Pertrãsit ac penetrat. Vergilius, Penetrabile frigus adurit. *Vis frigoris.*) Violentia & acuties ipsa frigiditatis & aeris ambientis frigidi. Horatius, Geluq; flumina constiterint acuto. *Tenet.*) Detinet & congelando contrahit, et per hoc ultra frigoris noxam, duritiem quoq; neruorum nobis insinuat et motus difficultatem. Nam quæ frigent membra, horrent etiam et durescũt quodam modo, subindeq; sensu et motu non nihil destituuntur. *Artus.*) Artus proprie dicuntur partes corporis inter iuncturas connexæ: sic dictæ quod inter se arctentur: & per diminutionem articuli partes minores ceu digitorum. Differuntq; à membris, quoniam artus dicuntur ossa cum neruis et uenis: membra uero caro quæ artus tegit. Silius, Et uenis male iuncta trementibus ossa, Extant cõsumptis uisu deformia membris. Sed ista sæpius confunduntur nec semper isthæc obseruatur proprietas. *Quæsito.*) Conquisito & requisito atq; exquisito. *Ranam ex oleo.*) Hoc est oleum in quo coctæ sunt ranæ. Coquuntur autem donec caro ab ossibus separetur, quibus deinde proiectis, quod reliquum est, usui seruatur. Tale uero oleum neruos refrigeratos calefacit, & induratos mollit, dolores lenit, & membris sensum ac motum restituit, imò ut inferius tradit, articularijs morbis et neruis contractis est quàm utilissimũ. *Carnem.*) Totam ranarum materiam crassam, scilicet, carnem, ossa, & quicquid crassioris est substantiæ. *Membra.*) Artus, ubi ab externo frigore fuerint affecti. Nam ubi ab interiore causa ceu humoribus superfluis propter obstructionem meatuum

Artus. *Articuli.* *Membra.*

Oleum ranarũ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tuum cerebri & originis neruorum acciderit affectio, tūc alibi applicanda erunt medicamenta, ceu in occipite, nucha et primis uertebris. *Rigorem.*) Frigus et duritiē: Nam quæ frigent membra, horrent etiam & durescunt quodammodo. Rigorem pro frigore accipit M. Cato in libr. de re rustica cum ait, Ni rigore peruratur. Pro duritiæ uero Vergilius inquiens, Tū ferri rigor. *Vrticæ semen.*) Vrtica omnibus nota herba est, qua quamuis nihil inuisius nascatur ob igneum pruritum quo urit & unde nomen habet, tamē nihilo secius plurimis etiam scatet remedijs, multisq́ medetur morbis: & semen quidem quod efficatius est, ex oleo membris frigore rigentibus inunctum: calorificum enim est & discussorium. Nec modo rigentibus algore membris, sed & articularibus morbis te podagricis cum oleo uetere plurimi imponunt, ut refert Plinius. *Ceruina medulla.*) Medulla ceruina omnium probatissima est & laudatissima, mox uitulina, post hanc taurina, tum caprina & ouilla, ut tradit Dioscorides. Sed Plinius post uitulinam proximam laudat hircinam & deinde caprinam. Est autē medulla, pingue id quod in ossium medio latet, de quo sic scribit Dioscorides, Crassescit medulla omnis ultima æstate appetente iam autumno, reliquis temporibus sanguineo colore & ueluti fluida caro in ossibus inuenitur. Cognitu difficilis medulla est, nisi aliquis à seipso exossatam roposuerit. Molliunt medullæ omnes, rarefaciunt, calefaciunt & ulcera explent. Curantur, ut Plinius docet, ante autumnum recens lutæ, siccatæq́ in umbra per cribrum, deinde liquatæ per lintea exprimuntur ac reponūtur in fictili locis frigidis. *Mulcere.*) Delinire, mollire & mitigare.

Rigor.

Vrtica.

Medulla ceruina.

Medulla.

Decoctum raphini semen cum melle uorabis.

Decoctum raphani semen.) Pituita & noxij humores capitis & totius corporis, quoniam sæpiuscule uentriculi ratione proueniunt, ideo nūc autor ante capitis purgationem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

docet mederi uẽtriculo iuxta doctrinã Galeni, qui micro technes libro tertio unum commune præceptum obseruandum sub oculos nobis proponit: scilicet, ut unamquanq; prius quæ efficit causam rescindamus: deinde ita ad illam quæ ab eadem causa facta est, ægritudinem accedamus. Cũ itaq; à uentriculo & excremẽtis eius uapores quidam subleuantur ad caput & id implendo aggrauãt, necessum est in primis uentriculum à talibus excremẽtis purgari. Quod bifariam fieri potest: aut uentrem subducendo, de quo nulla est ambiguitas: aut uomitũ ciendo,

Vomitus. de quo Auicẽna quarta primi dicit, quod uomit⁹ euacuat pituitam et bilem: ipse nanq; nõ habet quod ipsum mundet, sicut intestina habent bilem ruffam quæ ad ea descendit et mũdat ea, et remouet grauitatẽ quę accidit capiti, & aufert fastidium, & confert lassitati corporis, & epilepsiæ stomachicæ & tremori et paralysi. Est autẽ maxime post cœnã utilis, ut Celsus tradit, hoc est, post assumptũ cibũ. Vnde nostri temporis medici fermẽ omnes in hoc consentiunt, & præcipiunt, uomituros primo uentriculum uarijs replere cibarijs, deinde uomitum ciere: quod tamen periculosum est, multi enim hoc pacto strangulantur, sæpiusq; mors inde sequitur: id quod sæpiuscule se uidisse testabat̃ præceptor noster LEONELLVS VICTORIVS, æui sui BONONIAE medicus clarissimus: quare ab huiusmodi uomitus prouocatione semper dehortari solebat discipulos. Sed unusquisq; quod rationi cõsentaneum & sine periculo fore censuerit, id sequatur.

Rhaphnus. *Rhaphani.*) Raphanus duũ generũ est. Vnus satiuus, qui etiã

Radix, Radicula. radix uocatur & radicula. Celsus libro 3. cap. de resolutione linguæ. Nonnunquam multam esse radiculã oportet, deinde uomere.

Armoracea. Alius uero agrestis est, armoracea dictus. Dioscor. Agrestis raphanus quã Romani armoraceã uocant. Palladius libro 11. Item betã locis siccioribus nec nõ armoraceã seremus, uel transferemus ad culta, ut melior fiat, nam hæc agrestis est raphanus. Raphano uis

&

& natura est, ut tradit Dioscorides, colligẽdi flatus. Calefacit, in cibo gratus ori, sed stomacho parum accommodatus, ructus cit, bonam facit aluum, sed oportet à cibo eum sumere, sic magis digestioni conferentem: præsumptus enim cibum in stomacho supra se suspendit. Præsumptus itidem uomitionibus accommodatus est, sensus exacuit. Cortex raphani ex aceto mulso sumptus, maiore efficacia ad uomitiones est. Et hæc de plantæ radice dicta sunt: de qua Plinius etiam libro 20. sed cõtra quàm hic, ait: Vomituris summo cibo esse raphanos utilissimũ est: purgant enim stomachum, pituitamq; extenuant raphani. *Semen.*) Quod, ut Gale. lib. simpl. 8. tradit, fortius est omnibus partibus plantæ, & agrestis quidem fortior est domestico: cuius uirtus est calida & sicca atq; attenuatiua, quæ in uomitu prouocando desideratur. Et de semine Dioscorides ait, Vomitorium etiam semẽ raphani est. Et Auicẽna quarta primi, Res quoq; quę uomitus sunt præparatoriæ, sunt eruca & raphanus cum melle, & quæ sunt eis similia, & eorum semina. *Vorabis.*) Deglutíes. *Vorare.* Vorare est cibum non confectum dentibus deglutire.

Siue fel ursinum tepefacta dilue lympha,
Proderit hoc potu. Seu cassis ostrea testis
Vsta dabit cinerem, qui pro sale sumptus in escis,
Decutiet gelidum calefacto uertice uirus.

Fel ursinum.) Ponit nunc uentris subductiuũ medicamentum. Est autẽ fel nihil aliud quàm pessimi sanguinis purgamentum. Et inter omnia communia animalium prestantius in effectu: habetq; omne acrimoniã, et calefacit: differtq; hoc ab illo maiore tantum minoreue efficatia. Proritat omne fel deijciendæ alui cupiditatem: imò & solutiuum est, ita etiamq; fel porcinum, quod inter alia est debilius. Curatur omne hoc modo: Sumito recens & filo crasso ore eius præligato in feruentem aquam demit *Fel ursi.* *Fel quid.* *Fellis curandi modus et ratio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tito: finitoq; illic semihora, seu tandiu dum trium stadiorum spatium quis decurrat: deinde extractum ex aqua mox sine sole in umbra, & sine humore locis siccatũ seruato. Quod uero fel oculorũ medicinæ seruandum erit, filo pariter præligatum in uitreum uasculum melle plenum demittito, filiq; capite ex uasculi ore religato operculatum reponito, autor Dioscorides, Auicenna, Plin.

Thera. lib. 10. Aqua calida. *Tepefacta lympha.*) Aqua calida. Nam, uti Galenus testatur, neq; ipsam frigidæ substantiam (scilicet per se solam) neq; eius qualitatem omnino integram, usq; ad uiscera pertingere, est salubre. *Dilue.*)

Luere. Reluere Diluere. Luere est soluere. Inde reluere, resoluere: et diluere, dissoluere: ac, uti Agretius inquit, temperare est. Persius, Diluis helleborum. Vergilius,

Georg. lib. 1. Cui tu lacte fauos, & miti dilue baccho. Hinc uinum dilutum, id est, aqua dissolutum & temperatũ. Martialis, Diluti bibis unciam falerni. Celsus uinum pręcipit pueris dilutius, senibus meracius esse bibẽdum. *Cassis testis.*)

Ostreæ. Inanibus, uacuis & amotis tegumẽtis. *Ostrea.*) Ex aquatilium & siliceo conchiliorum genere sunt & ostreæ, sic dictæ quod scabram & asperam habent testam. *Vsta dabit*

Cinis ostreæ. *cinerem.*) Per adustionem nanq; omnis fit cinis: qui calefacit, siccat & secundum rerum ex quibus fit diuersitatem diuersificatur, ut tradit Auerrois. *Pro sale.*) Loco salis cibo inspersus & comestus. Est enim & ipse salsedinis particeps, terrestrium partium naturæ calidæ & desiccantis. *Gelidum uirus.*) Hoc est, frigus et humores capitis frigidos.

Virus. Virus multa significat, proprie tamen asperitatẽ odoris, ut uirus alarum: aliquando uero asperitatem saporis. Plinius lib. 31. Aqua marina uetustate uirus deponit. Et lib. 34. Stannum illitum æreis uasis saporem gratiorem facit & compescit æruginis uirus. Item coloris asperitatem. Idem de sanguine purpuræ: Tum superadditum decoquitur uirus. Significat & geniturã. Idem libro 28. Virus uerrinum è scropha à coitu exceptum priusquam terram attingat, contra dolores aurium ualet. Accipitur etiam inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

interdum pro ui naturali. Idem libo 34. cap. 14. ut legit Perottus: Sola hæc materia uirus ab eo lapide accipit retinetq; longo tempore, aliud apprehendens ferrum. Nisi malis pro uirus hoc loco legere uires, ut aliqui codices habent. Demum accipitur etiam pro ueneno & quicquid humanæ naturæ cōtrarium est, ut hic. Vergilius, Ille malum uirus serpentibus addidit atris. *Calefacto.*) Morbus frigidus calefactione indiget, si abigi debeat. Contraria enim contrarijs curantur. Vnde Galenus microtechnes lib. 3. Curatio, inquit, unam præcipuam, ac communissimam habet intentionem, ad id quod est dispositioni auferendæ contrarium. Ex hoc siquidem genere sunt causæ illæ omnes quæ sanitatem efficiunt. Secundum partem uero, ex unicuiq; dispositioni contrarijs. Calido igitur affectui, causa frigida contraria existit, frigido autem calida, eademq; in cæteris proportione. Etenim si omne immoderatum est præter naturam, moderatum uero secundum naturam, necesse est omnino, ut immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigatur. At manifestum est quod secundum potentiam, non autem imaginationem, & calefaciens, & refrigerans, & quæcunque alia huiuscemodi oportet assumere. Voco autem secundum potentiā, quod reipsa uere tale existit, quale esse dicitur. Secūdum imaginationem aūt, quod ex prompto quidem sensu tale esse imaginamur, cum tamen uere tale non sit. Hæc ille. *Vertice.*) Vertex, autore Quintiliano, est contorta in se aqua, seu quicquid aliud similiter uertitur: unde summum capitis ob capillorum flexum, uertex quoq; dicitur, & pro ipso toto capite nonnunquam accipitur, ut hic. Adhęc montium & herbarum summitates, uertices appellantur. Vergilius, Accipiens sonitum, saxi de uertice pastor. Columella de lactuca, Tertia quæ spisso, sed puro uertice pollet.

Secundum potentiam. *Imaginationē.* *Vertex.*

Nonnullus liquidum sumit mulsumq; sinapi,
Atq; palato agitat, pariter retinensq; uomensq;.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Liquidum.) Molle, tritum & liquore solutum. *Mulsum.*) Hoc est, melle seu mulso temperatum & contritum liquatúq;. *Sinapi.*) Sinapi uis & natura est, ut tradit Diosco. calefacere, extenuare & extrahere. Commanducatum pituitas capitis per os ducit & purgat Et Plinius, Sensus, inquit, atq; sternutamenta capitis purgat. Item, Contra pituitam tenetur in ore donec liquescat, aut gargarissatur cum aqua mulsa. Amplius Auerrois, Sinapi, ait, calidum est & siccum, mundificat humiditates quæ sunt in capite, & est de medicinis aperientibus colatorij oppilationem. Corn. Celsus item libro 5. sinapi inter ea quę gargarissando humores euocant, connumerat, dum inquit: Gargarissationes autem, aut lauandi causa fiunt, aut reprimēdi, aut euocandi. Lauant lac, cremor uel ptisanæ uel furfurum: Reprimit aqua in qua uel lenticula uel rosa uel rubus uel cotoneum malū, uel palmulæ decoctæ sunt: Euocant, sinapi, piper. *Palato agitat.*) Ore mouet & gargarissat. Palatum oris pars est. Aristoteles de historia animalium libro 1. Oris partes sunt palatum, fauces, lingua, tonsillæ & dentes. *Retinens.*) Detinens in ore dum mouetur & gargarissatur in eo. *Vomens.*) Euomens et expuens scilicet post gargarissationem.

Sinapis. *Gargarissationum causæ.* *Oris partes.*

Allia nonnulli mandunt, oleiúe liquore
Perfundunt calido cerebrum, nasíq; latebras.
Quidam lactucæ credunt prodesse sapores,
Curandi modus hic & suauis & utilis idem est.

Allia.) Allium omne acrimoniam habet, unde & cerebri pituitas purgat masticatum non minore utilitate quàm sinapi. Prodest & comestum contra pituitas, eo quo Plinius docet modo præparatum, uidelicet, sub pruna coctum potum & cum mellis pari modo sumptum. *Olei liquore.*) Hoc est, oleo ipso. Plinius libro 12. Arbores postea grandioribus fruge succis hominem mitigauere: ex hijs recreans membra olei liquor: qui etiam, ut Dioscorides tradit

Allium. *Oleum.*

tradit, calefaciendi & discutiendi uim habet, præsertim uetus. *Perfundunt cerebrum.*) Caput in quo cerebrum situatur, inungunt. *Nasi latebras.*) Narium intima & foraminum nasi profunda, quo facilius per colatorij meatus uis eius ad cerebrũ ipsum pertingat. *Lactucæ.*) Lactuca nota planta est, sic dicta, ut Palladius ait, quod abundantia lactis exuberet: seu, ut Dioscorides tradit, quod lactis abundantiam facit. Suntq́ plura eius genera, de quibus in sequentibus. Virtus omni lactucæ refrigeratrix & humectans, soporiferaq́ & ebrietati aduersa: unde capitis grauitates quas Græci καρηβαρίας dicunt, & à nimio uini potu ac ebrietate propter uapores eorum sursum leuatos & caput opplentes contingunt, insita frigiditate sua illos prohibendo, retundendo & discutiendo sanat, uel Ruffo teste, qui ait: Lactuca curat ægritudines quæ fiũt ab ebrietate, quando sumitur: succus enim eius in detentis à crapula, humores qui uinosi crudiq́ existunt, in aluum detrahit, ac corpus refrigerãs eosdem discutit, uinum enim humidum est & calidum, replens & obstruens, Lactuca uero inter acrepala connumeratur, hoc est, ea quæ ebrietati obluctantur, eamq́ prohibent: et ideo quoq; antiquitus in cœnæ fine sumebatur: post uero ad conciliandam appetẽtiam in cœnæ principio sumi cœpta est. Vnde Martialis inquit, Claudere quę cœnas lactuca solebat auorũ: Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes? Diuersas itaque ob causas, diuerso etiam tempore fuit eius usus. In tantumq́ commendata est olim post diuum seruatum Augustum, lactuca, ut seruari etiam in alienos menses eam oxymelite repertum sit, ut tradit Pli. Fuit autẽ uarius condituræ eius modus & operosus etiam. Nam ut Columella rei suæ rusticæ libro. 12. cap. 9. docet, Caules lactucæ ab imo depurgatos eatenus, qua tenera folia uidebuntur, in alueo salire oportet, diemq́ unum, & noctẽ sinere, dum muriam remittant, deinde muria eluere, & expressos in cratibus pandere, dum assiccescant, tum substernere ane-

Lactuca.

καρηβαρίαι.

Acrepala.

Lactucæ conditura qualis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

thum aridum, & fœniculum, rutęq; aliquid & porri concidere, atq; ita miscere, tum siccatos coliculos ita componere, ut faseoli uirides integri interponantur, quos ipsos ante dura muria die & nocte macerare oportebit. Similiterq; assiccatos cum fasciculis lactucarum cōdi, & superfundi ius, quod fit aceti duarum partium, atq; unius muriæ: deinde arido spissamento fœniculi sic comprimi, ut ius supernatet: quod ut fiat, is, qui huic officio præerit, sæpe suffundere ius debebit, nec pati sitire salgama, sed extrinsecus munda spongia uasa pertergere, & aqua fontana quàm recentissima refrigerare. Et hunc condiendi modum breuibus innuere uidetur Dioscorides cum ait, Condiuntur lactucæ muria, seruanturq; aliorum salgamorum modo. Sed nostro tempore raro in alienos menses illas condimus, sed recentibus simpliciter & sine impendio in acetarijs utimur cum sale, oleo & aceto, adiunctis aliquando nasturtio, buglosso, mentha aut alijs herbis, aut succidijs, aut ouis duris insectis, piscibúsue assatis, & alijs rebus cōpluribus. *Sapores.*) Sapor gustus obiectum est, & sic ab Aristotele describitur: Sapor est à terreo sicco in humido facta passio, alteratiua gustus de potentia ad actum. Estq; nunquam non coniunctus humori sapor, neque sine ipso percipi potest. Si quid enim gustandi sensum afficere debet, necessum est, ut humidum sit illud aut actu aut potentia. Et hinc etiam sapores dicuntur condituræ & salsamēta, quæ liquore aliquo aut sale condiuntur, ut uel in alienum tempus seruari possint. Item succi & humores siue liquores quibus panem uel obsonia quo commendatioris suauiorisq; sint saporis, intingimus. Vnde etiam à tingendo, id est, inficiendo & madefaciendo immergendoq; intinctus dicuntur: Græci embammata uocant, ἀπὸ τοῦ ἐμβάπτειν, quod intingere est: qua dictione Latini quoq; utuntur. Columella libro 12. Hoc sinapi ad embammata non solum idoneo, sed etiam specioso uteris.

Sapor. *Sapores.* *Intinctus.* *Embammata.*

Ele-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ELEPHANTIASI PROPELLENDAE.

CAPVT X.

EST elephas morbus, triſti quoq; nomine dirus,
Non ſolum turpans infandis ora papillis,
Sed cito præcipitans funeſto fata ueneno.

ELEPHANTIASI.) Elephantiaſis apud diuerſos autores, diuerſos etiam morbos ſignificat. Raſis etenim, Auicenna & Arabes, & hos ſequuti medici recẽtiores, morbum ita uocãt, eum in quo pedes & crura ſupra modum intumeſcunt: ſed de hoc nihil in præſentia. Galenus uero, Paulus Aegineta et Grȩci & Latini uetuſtiores, ceu Plinius, Celſus & noſter Serenus, eum intelligunt morbum, quem Arabes & medici iuniores uocant lepram, qui ex craſſa pituita & atra bile ortum traxit, nomen uero ab animalis ſimilitudine. Nam ut in libro de cauſis accidentium ſexto ſcribit Galenus, Hoc morbo laborantes carnem habent nigram, & tuberibus plenam, qualis eſt cutis elephantum. Aliqui tamen ſic dictum putant ob morbi magnitudinem, qui nulli ferè remedio ſuccumbit. Alij uero ob id, quod ſicut elephas præ cæteris animalibus diutiſſime uiuit, ita hic humor longiſſimus eſt. Eſt autem non ſolius cutis, ceu λέπρα uocata à Græcis, paſſio, ſed in eo cutis, carnes & oſſa quoq; uitiantur: quod uel Celſus ipſe teſtatur medicinæ libro 3. ita ſcribens, Ignotus penè in Italia, frequentiſſimus aũt in quibuſdã regionibus is morbus eſt, quẽ elephantiam Græci uocãt: isq; longis annumeratur. Totum corpus afficitur, ita ut oſſa quoq; uitiari dicãtur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosq; tumores habet. Rubor harum paulatim in atrum colorẽ con- Elephantiaſis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uertit. Sũma cutis inæquabiliter crassa, tenuis, mollisq; quasi squamis quibusdam exasperatur, corpus emacrescit, os, suræ, pedes intumescunt. Vbi uetus morbus est, digiti in manibus pedibusq; sub tumore cõduntur. Pli. item nat. historiæ libro 26. cap. 1. eundem morbum sic describit: Diximus Elephantiasin ante Pompei magni ętatem non accidisse in Italia, & ipsam à facie sæpius incipientem. In nare prima ueluti lenticula, mox inualescente per totum corpus maculosa uarijs coloribus & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura ceu scabie aspera, ad posterum uero nigrescente, & ad ossa carnes apprimente, intumescentibus digitis in pedibus, manibusq;. Aegypti peculiare hoc malũ, & cum in reges incidisset, populis funebre. Quippe in balneis solia temperabãtur humano saguine ad medicinam eam. Hic morbus quod eo affecti faciem habent similem Satyris, nasum simum, crassa labra, aures leuigatas, Græce Satyriasis etiam uocatur, ut scribit Galenus de causis morborum libro 2. suntq; tales, ut idem in lib. de tumoribus præter naturam dicit, aspectu horribiles, & male olentes. Porrò Satyriasis non sem per hunc morbum illis significat, sed & priapismum aliquando. *Est elephas.*) Describit elephantiasin. Dicitur autem & elephas & elephantia & elephantiasis. *Tristi.*) Hoc est, tristitiam adferente. *Dirus.*) Crudelis, funestus & quasi deorum ira missus. Horatius, Crescit indulgens sibi dirus hydrops. *Infandis.*) Nefandis, turpibus & fedis, quibus uel quęcunq; mors præferenda sit: qui enim huiusmodi morbo affecti sunt, tanquam à communi hominum conuersatione seiunguntur, ne alios quoq; inficiant, cum morbus sit contagiosus. *Ora.*) Vultum & faciem in qua primum sese ostentat, quamuis per totum corpus serpat. Est enim, Paulo Aegineta autore, cancer totũ corpus occupans, à facie tamẽ sępius incipiens, quã obrẽ & inter capitis affectus de illo nũc agit Serenus. *Papillis.*) Tuberculis & paruis papulis, tumoribusq;, quibus

Satyriasis.

Elephantiasis est cancer uniuersalis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

bus plenum est corpus. *Funestus.*) Funestũ dicitur triste, cruentum, funebre & mortiferum, hoc est, quod funeris ac mortis causa est. *Fata.*) Mortem diuina prouidentia destinatam & ineuitabilẽ. Est enim morbus ubi radices fixerit, incurabilis, sed non acutus, imò potius inter longos et diuturnos cõnumeratus: de quo Paulus Aegineta libr. 4. cap. 1. sic tradit, Si cancer unum tantũ membrum infestans, tamen secundum sententiam Hippocratis insanabilis est, quanto magis elephas, qui cancer quidam est uniuersalis, omnem curationem superabit. Et hoc intellige de eo qui iam confirmatus est. Nam qui primum incipit morbus, non omnino desperatus est. *Veneno.*) Humoribus per uniuersum corpus corruptis & putridis, imò & toto corpore putrefacto: et pernicie uitę. Quicquid enim naturæ & uitæ contrarium est & aduersatur, ipsis perniciem adferens, id eorum uenenum est. Funestum. Venenum.

Huic erit aduersus cedri de cortice succus.
Mustelæue cinis, uel fusus sanguis ab illa.
Nonnulli dixere serum prodesse bibendo.

Aduersus. Cõtrarius, amolitur enim & ut hostis propulsat ac abigit morbũ. *Cedri de cortice succus.*) Hoc est, cedrinus liquor, qui per corticis incisi cauernas ex arbore defluit, seu cruda cedri lachryma quę per se ex arbore gumi modo per corticẽ fluit et cedrea siue cedrium uocatur, de quo dictum est supra cap. 3. & 5. De hoc sic tradit Dioscorides, Illinitur elephantijs, & linctu ijsdem pariter medetur. Plinius etiam libro 24. cap. 5. In elephantiasi ulcera sordida & excrescẽtia in ijs, si cedrio illinãtur, facilius persanari testatur. *Mustelæ.*) Mustelarum duo sunt genera, magnitudine distantia. Vnum uulgare & minus, quod domesticum uocatur, quia in domibus nostris oberrat, & catulos suos (ut autor est Cicero) quotidie transfert, mutatq; sedem. Vnde Plautus in Sticho ait, Certum est mustelæ posthac nunquã credere, nam incertiorem nul- Cedrium. Mustela.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Gale.

lam noui beſtiam, quin & ipſa decies in die mutat locum. Græci γαλήν galen uocant: hæc felium modo mures uenatur. Plinius libro. 8. cap. 27. Muſtela ruta in muriũ uenatu cum ijs dimicatione conſerta. Homerus in libello cui titulus βατραχομυομαχία, id eſt, ranarum & murium pugna, idem teſtatur, ubi pſicharpax mus de ſe ſic refert: Ἀλλὰ δύω μάλα πάντα τὰ δείδια πᾶσαν ἐπ᾽ αἶαν, Κίρκον καὶ γαλέην. οἵ μοι μέγα πένθος ἄγουσιν, Καὶ παγίδας στονόεσσαν ὅπου δολόεις πέλε πότμος, Πλεῖστον δ᾽ ἢ γαλέην περιδείδια ἥ τις ἀρίστη, ἢ καὶ τρωγλοδύνοντα κατὰ τρώγλην ἐρεείνει: hoc eſt, At duo ualde ſunt omnia quæ timeo in uniuerſam terram, circũ ſiue accipitrẽ & galen, qui mihi magnũ luctum inducũt, Et decipulam ſuſpirioſam, ubi doloſa ineſt mors. Plurimum uero galen pertimeo, quæ optima eſt: quæq́ foramen ingredientem me in foramine inueſtigat & quęrit. Alterum genus eſt ſylueſtre, domeſtico longe maius.

Ictis.

Græci uocant ictides. Ariſtoteles: Ictis ſylueſtris muſtelæ genus eſt magnitudine meliten ſis. Sylueſtrium etiã duo genera ſunt. Vnum quod ſub uentre ruffeſcit, martem appellant.

Mars animal.

Martialis, Venator capta marte ſuperbus adeſt. Suntq́ huius pelles hodie magno in precio. Alterũ candidius eſt, quod uiuerram uocant: cui magna propter leporum uel cuniculorum uenatum gratia eſt, ut Plinius lib. 8. refert: Inijciunt eas in ſpecus qui ſunt multifores in terris, unde et nomen animali, atq; ita eiectos ſuperne capiunt. Meminit eiuſdem animalis Ariſtoteles quoq; lib. de naturis animantium 9. cap. 6. quanquam leporibus inſidiari nõ indicet, ſed auibus & aluearibus. Itẽ Suidas idem animal piſcibus inſidiari tradit.

Viuerra.

Cinis muſtelæ.

Sãguis muſtelæ

Cinis uel ſanguis.) Idem teſtatur Plinius lib. 30. cap. 3. Elephantiaſin curat ſanguis & cinis muſtelę. *Vel.*) Diſiunctiua coniunctio eſt. Accipitur tamen interdũ pro etiam. Vergilius, Carmina uel cœlo poſſunt deducere lunam. Et ſic etiam accipere potes hoc loco.

Vel.

Serum.

Serum.) Serum eſt aqua lactis. Dioſcorides, Habet omne lac cõiunctum ſibi ſerum, quod à lacte ſepara-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſeparatum efficatius in purgãdo eſt. Datur hijs quos ſine acrimonia purgare uoluerimus: quales eruntatra bile laborantes, comitiales, lepræ, elephantiaſes, & toto corpore papularum eruptiones. Datur autem bibendum heminis per interualla temporis uſq; ad quinas. Verum à potu eius ſpatiari bibentes per interualla illa temporis oportet. Plinius de eodem ſero libro 28. cap. 9. ſic quoq; ſcribit: Bibitur efficaciſſime heminis per interualla ſingulis uſq; ad quinas à potu illius ſolitis geſtari. Datur comitialibus, melancholicis, paralyticis, in lepris, elephãtijs, articularibus morbis. Et Meſue, Aqua lactis eſt medicina bona infectionũ cutis, quarũ materia eſt cholera, & humor aduſt⁹, ſicut eſt impetigo, & ſerpigo, & ſcabies ſicca, & puſtulæ, & pruritus, & ulcera mala ſicca, & lepra, et ſimilia. Per lepram autem intelligit morbum quem Græci & hic Serenus noſter uocãt elephantiam. Melior eſt autem ſumpta ex lacte iuuenum caprarum & nigrarum & boni paſtus & recenter fœtarum. Poſt iſtam uero eſt ouium: & cum primis recens, boni odoris & ſaporis, in quam nulla cecidit corruptio.

Mentaſtri folium potu appoſituq; ſalubre eſt.
Nec fruſtra bulbos & ſulphura iungis aceto.
Præterea nitrum debes cum melle iugatum
Spargere lacte bouis, uarias ſic ungere frontes.

Mentaſtri.) Plinius naturalis hiſtoriæ libr. 20. cap. 14. Mentaſtrum, inquit, ſylueſtris mentha eſt, differens ſpecie foliorum quaſi figura ocymi, pulegij colore, propter quod quidam ſylueſtre pulegium uocant, ijs commanducatis & impoſitis ſanari elephantian, ſicut Magni Pompei ætate fortuito cuiuſdam experimento propter putorem in facie illita compertum eſt. Apuleius, Ad elephantioſos, Herbę mentaſtri folia frequenter commanducato, ſanare certum eſt. *Nec fruſtra.*) Imò cum profectu & commodo maximo. *Bulbos.*) Bulborum, qui ex ceparum genere

Mentaſtrum.

Bulbi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſunt & illis ſimiles, plura ſunt genera, quæ differunt magnitudine, colore & ſuauitate. Alicubi enim, ut Theophraſtus tradit libro de plãtis octauo, adeo dulces naſcuntur, ut per ſe ſine condimento alio edantur, quales in Taurica Cherſoneſo ſunt. Poſt quos maxime laudant in Africa nati, et cum primis à Catone celebrati Megarici, à Megaris ciuitate Græciæ. Et hij præ cæteris Venerem maxime ſtimulant. Columella: Quęq́ uiros acuunt, armantq́ puellas, Iam Megaris ueniant genitalia ſemina bulbi, Et quę ſicca legit Getûlis obruta glebis. Et hinc pluribus in locis ſalaces eos uocat Martialis, quod demortuam excitent Venerem. Et eandem ob cauſam in nuptijs edendos præcipit Varro, cui & Apicius ſubſcribit: ſed is nucleos addit pineos, erucę ſuccum & piper. Sic enim ſeptimo culinariæ artis libro ſcribit: Varro ſi quid de bulbis dixit iniquum, qui Veneris hoſtium quęrunt, deinde ut legitimis nuptijs in cœna ponuntur, ſed & cum nucleis pineis, aut cum erucæ ſucco & pipere. Pythagoras philoſophus tanti fecit bulbos præſertim Megarenſes, ut de ipſis & uiribus eorum in medico uſu, uolumen condiderit. Habent omnes acrimoniam, & quam nunc cum reliquis ſibi iunctis uim eorum ad elephantiam tantum contrahit Serenus, illam generalius & ſimpliciter contra faciei uulnera efficacem tradit Plinius dicens: Bulbi ex aceto et ſulphure uulneribus in facie medentur. Sed hæc de bulbis priuatim ſic dictis ſufficiant. Alioqui bulbus generaliter pro omni radice rotunda accipitur, quales lilij, croci, narciſſi & cannarum bulbos legimus. Et Cornelius Celſus medicinæ libr. 2. bulbos innuit uocari omnia olera capitata, uel quorum radices eſui dantur. De alimentis nanq; pertractans, poſt ualentiſſimorum, hoc eſt, in quibus plurimum alimenti eſt, ciborum enumerationem, In media, inquit, materia numerari ex oleribus debere ea, quorum radices uel bulbos aſſumimꝰ. Et paulo poſt, Ex oleribus, ait, ualentior rapa, napiq́, & omnes bulbi, in quibus cepam

pam quoque & allium numero, quàm pastinaca, uel quæ specialiter radicula appellatur. *Sulphura.*) De sulphure et generibus eius dictum iam est in præcedentibus. Vis illi discutere & siccare: lepras, impetigines, scabros ungues, uitiligines & omnes corporis exulcerationes tollit, autore Dioscoride. *Nitrum.*) De hoc dictum est etiam supra cap. 5. Plinius libro 31. In facie, inquit, exulcerationes sanat cum melle & lacte bubulo nitrum. *Melle.*) Quæ mellis natura sit, docet nos Plinius libro 22. dicens, Mellis ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, iucundo sapore atq; non aspero, alia quàm salis natura. Et Columella libro 12. Ea mellis est natura, ut coerceat uitia, nec serpere ea patiatur, qua ex causa etiam exanimum corpus hominis per annos plurimos innoxium conseruat. Dioscorides, Melli uis & natura est exterere, aperire, & humores in summum proritare. Ideoq; sordidis ulceribus & sinibus utiliter infunditur. *Lacte bouis.*) Lac medicatius est bubulum, maxime recens: quod cum melle crudo & modico sale prurigines, papularum eruptiones, & omnes malos corporis humores medicatur. *Varias.*) Hoc est, uariis maculis & exulcerationibus uariegatas et defœdatas. *Frontes.*) Faciem. Frontem aliqui à ferẽdo dictam uolunt, quod animi indicia pręse ferat. Nam frons, ut Plinius libro 11. ait, homini tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index in assensu eius. Varro tamen dictam existimat à foraminibus potius oculorum.

Sulphur. Nitrum. Mel. Lac bubulum. Frons.

Cerussam & chartam quam gens Aegyptia mittit
Tunde simul, misceq; oleum quod flore rosarum
Conditum est, line sic faciem, sic redde salutem.

Cerussam.) Cerussa color est quem Gręci ψιμύθιον uocant, hoc quondam meretrices, nunc honestæ etiam, si dicere fas est, matronæ sese fucant, faciemq; oblinunt, quo senectam ac formæ uitia dissimulent, quemadmodum & purpurisso eandem ob causam sese fucant, sed hoc ruborem

Cerussa. Psimythion.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

adduntuultui, ceruſſa uero candidant ipſum. Eſt autem factitia res Ceruſſa. Nam ut libro 34. Plinius tradit, Pſimythium hoc eſt ceruſam plumbariæ dant officinæ. Fit autem ramentis plumbi tenuiſſimis ſuper uas aceti aſperrimi impoſitis atq; ita diſtillantibus, quod ex eo cecidit in ipſum acetum arefactum molitur & cribratur, iterumq; aceto mixto in paſtillos diuiditur, & in ſole ſiccatur æſtate. Fit & alio modo addito in urceos aceti plumbo obturatos per dies 10. deraſoq; ceu ſitu ac rurſus deiecto, donec deficiat materia: quod deraſum eſt teritur & cribratur & coquitur in patinis, miſceturq; tudiculis, donec ruffeſcat, & ſimile ſandarace fiat: deinde lauatur dulci aqua, donec nubeculæ omnes eluantur: ſiccatur ſimiliter poſtea, & in paſtillos diuiditur. Eſt autem letalis potus, ſicut ſpuma argenti. Palladius libro 9. Ceruſa plumbo creatur attrito, quæ corporibus nocet humanis. Nam ut Dioſcorides teſtatur, letalis eſt, & ueneni maleficium habet pota. Cæterum in uſu medico Ceruſa, tradente therapeutices libr. 3. Galeno, ſiccat & adſtringit modice, uulneribusq; medicatur, ſi emplaſtici ſimilis ſit, uel etiam humidioris cuiuſquam medicaminis: humiditatem enim deſiderat, qua uis eius ad ima pertrãſeat: cineris nãq; ritu ſi circa uulnus eam inſperges, nihil proficies: non enim ad fundum medicamenti uis peruenit, quod ita ſit ſiccũ. *Chartam.*) Scilicet aduſtam & incineratam. Charta ex papyro fiebat, ut dictum eſt ſupra in proœmio. Ipſa cremata inter cauſtica eſt, ut Plinius tradit libro 24. cap. 11. Eandem combuſtam inter ea quæ adurunt, ponit Celſus, Dioſcorides. Poteſt crematæ papyri cinis quæ in ore aliiſq; partibus paſcendo ſerpunt cohibere: ueruntamen in eo efficacior factæ ex eo crematæ chartæ cinis eſt. *Quam gens Aegyptia.*) Hoc eſt, quæ ex Aegypto, ubi papyrus, ex qua fit, naſcitur, ad nos uenit. Nã quæ alibi naſcitur papyrus, chartis & huic medico uſui minus eſt habilis aut efficax. Eſt autem Aegyptus Aſiæ pars prima inter Catabathmõ et Arabas, ut

Charta uſta. *Lib. 5.* *Aegyptus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tradit Pomponius Mela: quamuis Ptolemæus illam tribuat Aphricę. Sed latius de hoc uide Plinium lib. 5. cap. 9. Strabonem libr. 17. & Herodotum libro 2. *Oleum rosarum.*) Simplex hoc est rosaceum: quod, ut tradit Dioscorides, sic fit: Rosæ (desectis prius forfice unguibus, quæ in imo folio candida pars sunt) insolatæ pondere unciarum sex in olei sextarium demerguntur, dimissæq́ in eo diebus octo madere, mox quadraginta diebus tertia rosarum adiectione insolatę sic reponuntur & seruantur. Et tale oleũ cataplasmatis etiam utiliter miscetur, nedum quod per se tantum adspergitur & illinitur. Estq́ uis illi adstringẽdi, refrigerandiq́, & ulcera malefica, quæ cacoëthe uocant, mitigandi. *Conditum.*) Confectum & compositum.

Oleũ rosarum. *Vngues in folijs.*

CVTIS ET FACIEI VITIIS PROPELLENDIS.

CAPVT XI.

LIVIDA si maculat faciem lentigo decoram,
Nec prodesse ualent naturæ dona benignæ,
Erucam atq́ acidum laticem simul illine malis.


VTIS *& faciei uitijs.*) Cutis & faciei uitia & defœdationes, de quibus hoc capite agit Serenus, sunt cum primis lẽtigo, quam Celsus lenticulam uocat, liuores, cicatrices, impetigo siue papula leuis, & hijs similes cutem ac faciem deturpantes maculæ. *Liuida lentigo.*) Macula nigricans aut rubicunda, liuoreq́ perfusa, qualis color esse solet plumbi aut qui ex percussione fit, & ad lentis similitudinem prouenit, unde & nomen habet: cui non absimiles sunt uari & ephelides, omnes in fœminis præcipue se depromentes. De quibus Celsus medicinæ libro 6. sic scribit: Pene ineptiæ sunt, curare uaros & lenticulas & ephelides,

Cutis uitia. *Lentigo.* *Lenticula.* *Vari.* *Ephelides.*

ſed eripi tamẽ fœminis cura cultus ſui non poteſt. Ex hijs autem quas ſupra propoſui, uari lenticulæq́ uulgo notæ ſunt, quamuis rarior ea ſpecies quã φάκον Græci uocant, cum ſit ea lenticula rubicundior & inæqualior. Ephelis uero à pleriſq; ignoratur, quæ nihil eſt, niſi aſperitas quędam & durities mali coloris. Cætera non niſi in facie, lenticulæ etiam in alia parte nõnunquam naſci ſolent. Hæc ille.

Facies corporis ornatus.

Faciem decoram.) Facies in homine tum capitis tum uniuerſi corporis ornatus eſt uel præcipuus: hac nihil pulchrius, nihil ornatius, magisúe decorum: hac mẽtis arcana produntur. Facies ipſa, Caſſiodoro in lib. de anima tradente, quemadmodum prudentiæ ſuæ patefecit indicia, in effigiem noſtram exeunt occultę cogitationes, & ex parte cognoſcitur, qualis intus animus uoluntasq́ uerſetur. Vultus ſiquidem noſter, qui à uoluntate nominatur, ſpeculum quoddam eſt animæ ſuæ, & quod ſubſtantialiter non cernitur, per eius habitum euidentiſſime declaratur. Et quia ſolus omnium animalium, teſte Ariſtotele, erectus eſt homo ac ſolus anteuerſus proſpicit, uocemq́ mittit: hinc Græce πρόσωπον dicta eſt facies, ut uolunt, nomine ab re indito. Adhæc uultus & facies aliquando pro rerum apparentia, & ſpecie ſiue forma, poſita repperiũtur. Columella, Nec omnibus annis eodem uultu uenit æſtas aut hyems. Plinius, Parum eſt ſingulas herbarum ætates pingi, cum quadripartitis uarietatibus anni faciem mutent.

Cap. 11. — *Vultus.* — *De part. lib. 4.* — *Proſopon.* — *A. Gell. lib. 13 cap. 18.*

Nec prodeſſe ualent.) Facies enim deformis & uitiata neq; decori neq; uoluptati eſt homini, ſed labori potius & faſtidio & deſpectui. Integra uero & pulchra, decor eſt corpori & honos non paruus.

Pulchritudo naturæ donum.

Naturæ dona benignæ.) Inter naturæ dona non minimum eſt ipſa corporis forma integra & pulchritudo ipſius decora, iuxta illud, πρῶτον εἶδος ἄξιον τυράννιδος, hoc eſt, primum ſpecies digna eſt imperio. Hanc autem non noſtro merito, ſed liberaliter ſua ſponte & gratuito nobis largitur conſummatiſſimam. Cum enim nihil faciat fruſtra, ſemper quod

quod optimum est & perfectissimum, operatur, non prę pedita. *Erucam*) Eruca herba est calida, frigorum contemptrix, & diuersæ quam lactuca naturæ, quare & illi in cibis ferè iungitur, ut nimio frigori par feruor immixtus temperamentũ æquet. Est item Veneris concitatrix. Columella, Excitet ut Veneri tardos eruca maritos. Dioscorides, Stimulat Venerem multus crudæ erucæ cibus. Potest idem & semen, quod confectionibus etiã additur διὰ σατυρίων, id est, dia satyrion uocatis, hoc est, quæ ex Satyrij radice, à qua nomen habent, ad Venerem excitandam componuntur. Huic in cõdiendis obsonijs tanta est suauitas, ut Græci εὔζωμον appellauerint. Cuius semen etiam cutis uitia in facie cum melle illitum arcet: lentigines ex aceto: cicatrices nigras reducit ad candorem cum fele bubulo, ut autor est Plin. *Acidum laticem.*) Hoc est, humorem & liquorem acidum & acetum ipsum, cui nequitiæ inest uirtus. Nam uini uitium est: fitq́ ex uino. Si enim uini, quod calidum est, uas uacuum fuerit, nec clausum, aër uim eius ex uacuo elicit, quare uapidum fit & in uitium transit, quod acetum dicitur, hocq́ in remedia, magnosq́ ad usus, & sine quo uita mitior degi non posset. Cibos enim & sapores non alius magis succus cõmendat aut excitat. Plurimum fotu medetur post uredines, item lepris, furfuribus, ulceribus manantibus. Contra lichenas & impetigines et bibitur & imponitur. Quo modo autem arte conficiatur acetum, docet Columella lib. 12. cap. 5. Cæterũ latex propriè dicit de aqua, eo quod intra terræ uenas lateat. Consequenter uero & de omni alio liquore, sed cum adiũcto, ceu hoc loco, cum acetum dicere uellet, acidum dixit laticem. Et Vergilius, Regales inquit, inter mensas, laticemq́ lyeum: uinum intelligens. Ouidius item Palladios latices uocat oleum. *Malis.*) Faciei quæ lentigene infecta est, Malæ faciei pars sunt infra oculos homini tantum, quas prisci genas uocabant. Pudoris sedes: ibi maxime ostenditur rubor: infra eas hila-

Eruca.
Plin. lib. 19. cap. 5.
Διὰ σατυρίων
Εὔζωμον.
Lib. 20. cap. 13.
Acetum.
Pli. lib. 24. ca. 1
Latex.
Malæ.
Genæ.
Buccæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ritates risumq́ indicantes buccæ. Autor Plinius libro 11.

Proderit & bulbus mellis dulcedine uictus.
Crudáue dulcacido miscebis rapa liquori.
Sanguine uel leporis morbus delebitur oris.
Frons salicis cum flore suo contrita medetur.

Bulbus. Mel. *Bulbus.*) Idem testatur Plinius dicẽs: Bulbus in melle contusus, & faciei illitus, lentigini medetur. *Mellis dulcedine.*) Hoc est, melle cui dulcedo inest, & in omni genere quo dulcius, eo probatius: estq́ illi uis exterere, qua in hijs uitijs opus habemus. *Victus.*) Superatus & mitigatus dulcoratusq́ per admixtionem mellis: habent enim acrimoniæ nonnihil bulbi etiam qui edendo sunt. *Cruda.*) Coctura enim nõnihil abstersionis illi adimit. *Dulcacido liq.*)

Dulcacidus liquor. Dulcacidus dicitur liquor, qui dulcissimis rebus est conditus & acidis ceu melle & aceto, è quibus duobus & aqua & sale potus conficitur, qui oxymel dicitur, id est, acetum mulsum.

Oxymel. Acetũ mulsum. Quod sic conficitur, ut tradit Dioscorides, Sumito aceti sextarios quinq; marini salis pondo unum: mellis pondo decẽ: aquę hemias totidem, mixtaq́ simul omnia coquito usq; dum decies inferbuerint, tum refrigerata omnia in dolia diffundito. Sunt & alij conficiendi oxymelitos modi & rationes, de quibus uide Gal. libro de sanitate tuenda quarto, & Plinium libro 14. cap. 17. & libro 23. cap. 3. *Rapa.*)

Rapum. Congyle. Rapum siue rapam: utrunq; enim dicitur, Gręci à rotunditate congylen uocant: ipsis enim γόγγυλον significat στρόγγυλον, id est, rotundum. Vtitur dictione Columella, Gõgylin illustri mittit quam Nursia campo. Sunt autẽ duo raporum genera. Vnum satiuum in latitudinem fusum aut in rotunditatem globatum. Alterum agreste, in aruis maxime nascens, fruticosum, radice in longitudinem procurrente raphani similitudine, semine foris nigro, intus albicante, duplo maiore quàm papaueris. Cæterum quod hic simpliciter de crudis rapis dicit Serenus, id de satiuorum radice, quæ in communi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

communi uitæ uſu eſt, intelligendum eſt: non obſtante quod Plinius & Dioſcorides eundem effectum de ſylueſtris ſemine teſtentur, & aliter etiam medicinam illam inſtruant. Dioſcorides ſiquidem de ſylueſtri loquens, Additur, inquit, ſemen id his quæ ad exterendam faciem reliquumq; corpus, lupinorum, triticiúe, aut lolij, aut erui farinis conficiuntur. Plinius uero, Semine, ait, ad albicandam cutem in facie, totoq; corpore utuntur mixta urina pari menſura. *Sanguine leporis.*) Idem teſtatur Dioſcorides libro 2. cap. 18. de utroq; lepore, dicens: Vitiligines, lentigines, ephelides, id eſt, aſpera & diſcolor ceu ab æſtiuo ſole cutis, calido leporis ſanguine utiliter inũgũtur. Idem eiuſdem libri cap. 70. de ſanguinibus: Emẽdat leporinus ſanguis lentigines, ephelides, ſi calente eo inungantur. Sextus item Platonicus, Leporis, inquit, ſanguis, lentigiges de facie purgat perunctus. *Oris.*) Faciei. Vergilius, Os, humerosq; deo ſimilis. Ouidius, Os homini ſublime dedit. *Frons.*) Frons frondis arborum et herbarum folia ſignificat. *Salicis.*) Adſtringunt ſalicis flores, folia, ſemẽ, cortex et ſuccus: eſtq; omnium uirtus deſiccans ſine mordicatione, ualidior tamen cortici, quemadmodum & omnium corticum natura eſt: foliorum & florum ſuccus lentiginem cæteraq; cutis in facie uitia purgat & emendat: imò & corticis è ramis primis cinis, magisq; admixto ſucco ſuo, ut tradit Plinius libro 24. cap. 9. Eſt autem trium generum. Vnus quem arbor ipſa exudat gumi modo. Alter, qui manat in plaga cum floret exciſo cortice trium digitorum magnitudine. Et tertius, qui detruncatione ramorum à falce diſtillans eſt.

Sanguis leporis. *Frons, dis.* *Salix.* *Salicis ſuccus triplex.*

Sepiolæ cineres ex oſſibus, omnia ſanant.
Cycneos adipes hilari miſceto lyeo,
Omne malum propere maculoſo ex ore fugabis.

Sepiolæ.) Sepiola diminutiuum eſt à ſepia, quę piſcis eſt inter eos qui ſanguine carent connumeratus. Quorum ut

Sepiola. *Sepia.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

libro nono tradit Plinius, tria sunt genera. In primis quę mollia appellantur: deinde contecta crustis tenuibus: postremo testis conclusa duris. Mollia sunt lolligo, sepia, polypus & id genus reliqua. Hijs caput inter pedes & uentrem situatum est. Pediculi octoni omnibus, sepię & lolligini, pedes duo ex hijs longissimi & asperi, quibus ad ora admouent cibos, & in fluctibus se ueluti anchoris stabiliunt, cæteri cirrhi quibus uenantur. Mares sepiarum generis, uarij & nigriores, constantiæq; maioris. Percussis tridente fœminis auxiliantur. At fœmina icto mare fugit. Ambo autem ubi sensere se apprehendi, effuso atramēto, quod pro sanguine hijs est, infuscata aqua abscondūtur. Quod & Oppianus halieuticωn libro 3. testatur dum inquit: Quin & natiua fœcunda est sepia fraude. Est liquor in tumida concretus turbidus aluo, Qui fuscus piceam superat caligine massam, Conditus hic humor nutritur corpore, præsens Auxiliū miseræ, subita formidine capta Atras emittit guttas, & polluit æquor, Obscuratq; uias ponti tenebrosa cruore Permixto sanies piscantis lumina turbans Auertit uisum & prospectum surripit omnem, Hæc facili cursu pertinctas æquoris undas Effugit horrendos pisces hominemq; sagacem. *Ossibus.*) Sepia duabus constat partibus. Vna quæ duriore testa clauditur: & altera quę hanc foris claudit testa. Cuius etiam duplex rei substantia, una interior pumicosa & tenera, qua aurifabri ad formarum insculptiones utūtur: altera exterior silicea, durior, crustacea, & in qua cū asperitate aliqua est lenor: & hui⁹ cinis est qui lentiginē et alias similes corporis defœdationes purgat & exterit. Plin. Medetur lentigini, cæterisq; uitijs ex ossibus sepiarum cinis: idem & carnes excrescentes tollit, & humida ulcera. *Cygneos ad.*) Cygnus Græce, Olor Latine, Auis est candida atq; canora, quæ instante morte mirandos quosdam edit cātus, quod uel omnium poëtarum literis est celebratum. Martialis, Dulcia defecta modulatur carmina lingua Cantator cygnus

Os sepiæ. *Sepiæ partes.* *Cygnus.* *Olor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

gnus funeris ipse sui. Etiamsi nemini contigit hunc audire cantum. Nam Lucianus negat se uel uidisse cygnos cum in Pado flumine nauigaret. Aelianus addit eos non canere, nisi flante Zephyro uento, qui & Fauonius dicitur. Cuius rei causam etiam philosophi reddere conantur, aiuntq; id accidere propter spiritus per collum procerum & angustum erumpere laborantes. Vnde prouerbium etiam fertur, Κύκνειον ᾆσμα, hoc est, cygnea cantio, de his qui suprema senecta facunde disserunt, aut suauiloquentius scribunt. Et alterum quum indocti & ἄμουσοι falsæ doctrinæ iactantia, uiris eruditis & ἐυμούσοις imprudenter obstrepunt, Anser inter olores. Vergilius: Sed argutos interstrepere anser olores. Cæterum de cygnis ad medicum usum idoneis sic etiam tradit Plinius libro 30. cap. 3. Præcipue faciem purgat atque erugat cygni adeps. *Adagio.*

Hilari.) Ab effectu, hilares enim ac lætos reddit bibentes uinum. Horatius, Natis in usum lætitiæ scyphis. Et, Ades lętitię Bacchus dator. Tibullus: Adde merum, uinoq; nouos compesce dolores. Propercius: Curarūq; tuo sit medicina mero. *Lyeo.*) Baccho & uino, quod omnis ulceris, qua ulcus est, optimum est medicamentum, autore Galeno, detergit enim & mūdat. Dictus est autem Lyeus à uerbo λύω quod est soluo, eo quod & corpus & mētem dissolutam reddat uinum. *Vinum hilare.* *Lyeus. λύω.*

Si liuor torrebit atrox, aut nigra cicatrix,
Attritos appone genis, purgare memento,
Rutarum succos lentisci mastiche tundens.

Si liuor torrebit atrox.) Intelligit ephelidas quæ proprie cutis uitium sunt, ubi ipsa multo sole tosta candore & leuore suo amisso, nigritiam & aspredinem contraxit: quarum nigrorē Serenus per liuorem, qui nihil aliud quàm cutis macula liuida & nigricās est, intelligit: aspredinem uero per uerbū torrebit. Quæ enim torrentur, dura fiunt & aspera. Ephelides itaq; dictæ sunt à sole, quasi ἐφ' ἡλίου, *Ephelides quid.* *Liuor.* *Ephelides unde dictæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

id est, sub sole: & hæc prima nominis origo fuit & causa: licet postea etiam de similibus à quacunq; causa contractis cutis uitijs dictæ sint ephelides. Hoc uitio à sole adustos Plinius aliquãdo solatos uocat. *Cicatrix.*) Cicatrix stigma est & nota quæ curato uulnere uel ulcere remanet in corpore, hoc est, membrana & tegumentum carnis cuti quàm simillimũ: cutis enim non est, quando & densior ea uisu tactuq; sentitur: & ratione, ex eo quod pilos non edit, intelligitur. Vnde ad cicatricem ducere ulcus, ut tradit Galenus, est tegere carnem naturali aliquo tegumento, hoc est, cutem generare, aut summã carnem cuti similem efficere. Est autem duum generum cicatrix. Vna simplex & plana: altera quæ in tumorem excreuit & callum duratum, cuiusmodi sunt uari, qui tubercula sunt et exigui ac duri tumores siue calli ex male curatis puerorũ cum in toto corpore tũ in uultu pustulis relicti. *Purgare memento.*) Hæc uerba per parenthesin interiecta sunt, & medicamẽti uim, quæ est purgare & mũdare, exprimunt. Est autem parenthesis, diuisæ sententiæ interposita ratiocinatio, autore Diomede grammatico. *Rutarum succos.*) Hanc rutæ contra cicatrices uim, radici eius maxime tribuit Plinius dicens, Radix rutæ sanguinem oculis suffusum, & in toto corpore cicatrices aut maculas illita emendat: exterit enim & attenuat. Sunt autẽ duo rutæ genera: de quibus et quomodo succus illarum exprimatur, dictũ est in præcedentibus. *Lentisci mastiche.*) Lachrymo quod ex arbore lentisco gumi modo sudat. Nam ut in naturalis historiæ libro 12. cap. 15. tradit Plinius, gemina est mastiche; quoniã in Asia Græciaq; herba repperitur è radice folia emittens, & carduum similem alo, seminis plenum, lachrymaq; erumpit incisa parte summa uix ut dignosci possit à mastiche uera: nec non & tertia in Ponto est bituminis similior. Laudatissima autem Chia cãdida. Adulteratur thure aut resina. Verum mastiche lentisci uera, miscetur, autore Dioscoride, hijs quæ exterendis dentibus con-

Solati. *Cicatrix.* *Ad cicatricem ducere ulcus.* *Cicatrix duplex.* *Vari.* *Parenthesis.* *Ruta.* *Mastiche lentisci.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

conficiuntur & circumlitionibus uultus nitorem adferens. Et Plinius libro 24. cap. 7. Mastiche lentisci, inquit, ad exterendam cutem in facie & stygmata adhibetur.

Si uero uitium est, quod ducit ab impete nomen,
Hoc matutina poteris cohibere saliua,
Seu folio platani quod mansum mane uorabis.

Si uero uitium.) Docet nunc mederi impetigini, quæ Celso leuis est papula, Græcis lichen, & si serpere ceperit, serpigo dicitur: de quibus dictum iam est supra capite 6. *Ducit ab impete nomen.*) Hoc est, uocatur impetigo, ab impetu & ortus sui celeritate: cito enim uenit. Dixit autem impete pro impetu, per antithesin, hoc est, per literæ commutationem, ut Impete nunc uasto ceu concitus imbribus amnis. *Matutina saliua.*) Saliua ieiuna quæ impetigini medetur illita. Auicenna, Fricatur impetigo cũ saliua hominis ieiuni. Celsus, Leuis papula etiã si ieiuna saliua quottidie defricatur, sanescit. Plinius, Credamus ergo & lichenas leprasq; ieiuno illitu assiduo arceri. Adhæc Paulus Aegineta sic scribit, Ad impetiginem fortis operationis est saliua famelici hominis, & ieiuni, & proprie cuius cõplexio est calida. Et interficit uenena omnia. Porrò duplex est saliua. Vna quę à capite destillat pituita, de qua nihil in præsenti. Altera quæ generatur in carnibus glandosis circa radicem linguæ, ubi multa principalium membrorum uirtus cõcurrit, estq; in ea magnum complexionis siue caloris, cuius est, uestigium, unde & ad cibi concoctionem iuuat: & ideo etiam quia unus homo habet complexionem alteri non conformem, propterea quoq; saliua unius respectu alterius est permutatiua, & habet rationem ueneni, nedum quod cæteris animantibus ceu scorpioni & aliis sit uenenum. *Cohibere.*) Ne longius serpat inhibere, & sanare. *Folio platani.*) Platanus insignis arbor est, sic dicta Græcis à latitudine, quod sit πλατύφυλλος, hoc est, latissimorum foliorum, quę umbram præstẽt

Impetigo. *Papula leuis.* *Lichen.* *Antithesis.* *Saliua ieiuna.* *Saliua duplex.* *Platanus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uel opaciſſimam: cuius gratia tantũ petita orbe eſt ĳs qui σκιατροφούμενοι dicuntur, ut autor eſt Theophraſtus. Et hinc etiam umbrantes platanos uocat Palladius. Tantæ autẽ magnitudinis aliquando repertæ ſunt, ut intra ipſas domicilĳ modo cauas, multi epulati fuerint, ramis menſas ac ſcamna præbentibus. Cuius rei non unum extat exemplum, & præſertim illud quod Caius princeps in Veliterni ruris platano, cuius tabulata, laxisq́ ramorum trabibus ſcamna patula miraculo fuerãt, epulatus eſt, quam cœnam ipſe Nidum appellauit. Sunt & alia huius rei exempla quæ apud Plinium repperies libro 12. Qui tantum etiam honoris increuiſſe platanis tradit, ut mero infuſo enutrirentur, quoniam compertum foret id maxime prodeſſe radicibus, ſicq́ edoctas uel arbores uina potare. Sed de foliorum large thoros etiam præbentium inſigni, & ramorum menſis ac ſcamnis idonea amplitudine, uiniq́ infuſione, paucis ſic etiam meminit Palladius, Inſignes folĳs platanos, fœlicia menſis Brachia, gaudentes uitis honore comas. Amplius de Platano Nicãder in theriacis ſic ſcribit: σφαίρητι θερειλεχέος πλατάνοιο, hoc eſt, Sphæraq́ thorum prębentis æſtate platani: ubi interpres, illud θερειλεχέος pro umbroſa accipi poſſe tradit, quoniam latiſſima ſint eius arboris folia, ut opaciſſime contegant æſtiuo tempore. Vel, inquit, quia thorus ex numeroſis folĳs confici abunde poſſit tempore eodem. Additq́ platani fructum eſſe ſphæria quædam trachea, id eſt, orbiculos aſperos, & propterea à Nicandro dici ſphæram. Plinius Latine pilulas reddidit. Præterea platanum Græci plataniſtum etiã uocãt: & ſic apud Homerũ ſemper accipitur: quandocunq; enĩ plataniſtũ nominat, platanũ intelligit: Eſtq́ paronymon ſiue denominatiuũ, primitiuo nihil plus minúsue ſignificans. Neq; eſt per diminutionem dictum, tũc enim in σκος exire deberet ſicut Satyriſcus, Calamiſcus, Pyrgiſcus & reliqua. *Manſum mane uorabis.*) Matutino tempore dum adhuc ieiunus eſt uenter dentibus con-

Platani fructus ſphæria, & ſpheræ, pilulæq; dicitur.
Plataniſtos.

confectũ & masticatum platani folium degluties & comedes, si impetigini & alijs cõsimilibus morbis consultum uoles: frigiditate enĩ sua platani folia sanguinis & humorũ ex quib⁹ fit impetigo, adustiones refrigerãt, desiccant & emendant, morbumq́ sanant: quemadmodũ et pilulę eius in uino potæ lentiginẽ curãt, teste Plin. lib. 24. cap. 8.

Fœda fluunt curui quæ purgamenta cameli
Vrentur, ciueremq́ dabunt, iungentur aceto
Mascula thura simul, diuinaq́ cura ualebit.

Fœda purgamenta.) Stercus fœtidũ quod à corpore excernitur atq; expurgatur cameli, quod ulcera cum alia tum impetiginosa & serpiginosa detergit & mundificat, imò quod plus est, uerrucas etiam magnas destruit, et resoluit scrophulas fortiter, autore Auicenna. *Curui.*) Camelorũ corpora quia distorta & gibbo montuosa sunt, curua dicuntur atq; praua. Prauum nanq; intortũ est. Hinc diuus Hieronymus in exhortatoria ad Exuperantium, Camelorum corpora prauitates appellat, cum ait, Ne quęras diuitias quę camelorum prauitatibus comparantur. *Cameli.*) Camelos inter armẽta pascit oriens. Quorum duo genera, Bactriæ & Arabiæ. Differũt, quod illi bina habẽt turbera in dorso: hij singula, & in pectore alterum cui incubant. Dentium superiore ordine ut boues carent in utroq; genere. Homines autem iumẽtorum in hijs terris dorso funguntur, atq; etiam equitatu in prælijs. Velocitas inter equos: sed sua cuiq; mensura, sicut uires: nec ultra assuetum procedit spatium, nec plus instituto onere recipit. Odium aduersus equos gerũt naturale. Sitim et quatriduo tolerant. Implentur cum bibendi occasio est, & in præteritum & in futurum, obturbata cõculcatione prius aqua: aliter potu non gaudent. Viuunt quinquagenis annis: quidam & centenis: autor Plinius historiæ suæ lib. 8. capite. 18. *Mascula.*) Plinius lib. 12. cap. 15. Quod ex eo rotunditate guttæ pependit masculum uocamus,

Stercus cameli *Prauum.* *Camelus.* *Thus masculum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

cum aliâs non ferè mas uocetur, ubi non ſit fœmina. Religioni tributum ne ſexu alter uſurparetur. Maſculum aliqui putãt à ſpecie teſtium dictum. *Thura.*) Inter principales Arabię diuitias, quæ cognomẽ illi fœlicis atq; beatæ dederunt, thus quoq; habetur: quod etiam, ut Plinius lib. iam dicto teſtatur, pręter Arabiam ipſam nullis, ac ne Arabiæ quidem uniuerſæ, ſed ei tantum parti quæ Saba appellatur, quod ſignificare Græci myſterium dicunt. Vergilius idem teſtatur dicens, Solis eſt thurea uirga Sabëis. Creditur nouellæ arboris candidius eſſe, ſed ueteris odoratius. Præcipua gratia eſt mãmoſo, cum adhærente lachryma priore conſecuta alia miſcuit ſe. Singula hæc manum implere ſolita. Græci ſtagoniam & atomon tali modo appellant: minorem autem orobian. Thuris concuſſionem & purgamentum ſiue puluerem & micas concuſſu eliſas antiqui thuris pollinem & mannam uocauerunt. Trifariam enim omnis thuris ſubſtantia diuiditur, in thus, corticem thuris, & dictam iam mannam: quæ magis quàm thus adſtringit, quamuis leuis etiã ſit mannæ uis adſtringens, quam à cortice habet, qui illi paululum admiſcetur, unde etiam thure ipſo ad nõnulla utilior exiſtit. Ipſe uero cortex thuris, tũ adſtringit, tum ſiccat inſigniter, ut tradit Galenus. Adulteratur autẽ thus reſinę candidę gẽma perquàm ſimili. Probatur candore, amplitudine, fragilitate, carbone ut ſtatim ardeat, item ne dẽtem recipiat potius quàm in micas frangatur. Vſus illi medicatus. Præterea de thure ſic ſcribit Dioſcorides, In Arabia quæ ob id thurifera dicta eſt, naſcitur thus. Primum bonitatis honorem maſculum habet: quod ſtagoniam quaſi ſtillicidiare uocant natiua guttę rotunditate, & atomon quod nullas ſectiones habet: candido præterea colore: fractumq́; intus pingue eſt: & incẽſum quàm primum ardet: Indicum ſubruffo & liuido colore eſt. Rotundum opere & artificio humano thus fit: ſectum enim in quadrangula fragmenta, tum coniectum in fictile aliquod

Thus in Arabia & Saba tantũ naſcitur.

Manna thuris.
Thuris pollin.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

aliquod, multa uolutatione donec rotundum fiat circum agitur. Vetustate quod tale fuerit ruffescit: uocátq; id stageron aut entomon. Secundæ bonitatis est quod Orobiam, & melioton appellãt: quantitate minimum, colore uero maxime ruffum. Vocatur & thus aliquod amomite: candidũ quidem, sed cũ fricatur masticheś modo lentenscens. Adulteratur omne thus pinea resina, & gumi artificiose conformatum: facillime tamẽ deprehenditur. Gumi enim incensum non agit flãmas. Resina in fumum euanescit. Thus uero quàm primum ardet. Indicat fraudem præterea & odor. Potest thus omnia hæc: calefacit, adstringit, purgat, explet, & ad cicatricem perducit. Incipiẽtes formicas et impetigines tollit, additis aceto & pice inunctum.

AVRIVM VITIIS SVCCVRRENDIS.

CAPVT XII.

QVVM sæuus teneras dolor alte sauciat aures,
Fraxinea in flammis fundit quem talea succum
Instilles, siue obscœnos ex uirgine rores,
Aut succum ex folio dederit quem populus alba.



AVRIVM *uitijs.*) Aures cartilagineę ac sinuosæ in sublimi corporis, et ut Auerrois tradit, in osse petroso collacatæ sunt, & ideo Arabum lingua uocantur Agari. Quarum pars infima, quam imam uocant auriculam & in qua memoriæ dicatus est locus, Lobus nuncupatur: quanquã superior portio etiam, & omnia summa ita nominari possint, ceu iecoris lobi, & ciceris uas aut fabæ, & quod Plinius ait, milij panniculæ. Aurium uero sordes, autore Plinio, mar-

Aures. **Agari.** **Auricula ima.** **Lobus.**

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Marmorata. Cerumina.

morata dicuntur, recentiores Cerumina uocāt: quę quia sudoris qui computruerit ratione censentur, amarulenta sunt. Alij biliosa cerebri censent excrementa, cuius indicium quoque uolunt colorem luteum: quemadmodum enim per oculos melancholicum expurgatur excrementum, & per os pituitosum atq; sanguineum, ita etiam per aures biliosum excerni dicunt. In auribus item primum rectus ac simplex est meatus, mox tortuosus & flexuosus, qui subinde iuxta cerebrum in multa & tenuia diducitur foramina, per quæ fit auditio. Tortuosus autem & non rectus est anfractus, ne, ut Auicenna tradit, subita aëris irruptio frigiditate uel caliditate cerebrum male afficeret, uel soni excessus neruum quo fit auditus oblæderet atq; disrumperet. Cum ergo peruenit unda uocalis, sic aerem sonum deferentem uocat Auicenna, ad illud quod est illic, comprehendit eam auditus. Ex quo colligitur Auditum non tātum exteriore aëre perfici, sed & interno quodam qui auribus inest congenitus, quod uel Aristoteles in libris de anima scriptum reliquit. Auditui enim connaturalis congenitusq; inest aer, qui exteriore aere moto excitus, meliorem præstat auditionem. Est enim aer ille internus & auribus insitus, de se immobilis, & cum mouetur, id ab aere fit exteriore, placide tamē & tranquille, citra turbationem aliquam et strepitum auris, ut non percipiatur quando mouetur, & quando non. Et hinc membra contectus & cōuolutus est, & auris iter cochleatum, flexuosum atq; anfractuosum factum est, ne lædatur aut turbetur, aut à tranquillitate sua dimoueatur. Cum enim membrana illa læditur, præpeditur auditio: ceu læsa cuticula pupillam obuoluente, præpeditur uisio. Incolumis autem auditus argumentum est, si auri admota manu aut cauitatibus illato digito, sonitus & tinnitus quidam aeris ceu cornu sonantis, introrsus auditur. Qui tamen sonus insito aeri non est proprius, sed alienus. Qui etiam si non auditur, læsi auditus indicium. Cæterum quod ad aures

Aurium meatus cur tortuosus.

Vnda uocalis.

Auditum dupli ci aere perfici.

Auditus incolumis argumentum.

Aures cur binæ.

aures etiam attinet, binæ à summo rerum opifice creatæ sunt, ne una oblęsa, auditus omnino præpediretur. In lateribus autem collocatæ & non in parte anteriore, propter uisum, gustum, & olfatum, qui commodissime in ea fuerunt positi: nec in posteriore, ne à sensu communi longius abessent. Et quamuis binæ sint aures, simplex tamen illis hauritur sonus: quemadmodum enim in uisu nerui optici coniunguntur, ne species appareat duplex, ita et in auditu, nerui ἀκουστικοὶ, in origine concurrũt, unde etiam formarum audibiliũ fit unio. Amplius aures, ut Plinius scribit, homini tantum immobiles. Quod si quis moueri dixerit, sciat perparuum quidem esse motum eiusmodi. In aliis tamen animantibus mirum in modum moueri aliquando uidentur. Ratio autem est non ex aurium motu intimo, sed per expulsionem musculi mandibulam mouentis, qui quandoq; ita auribus admouetur, ut contingat. Cæterum morbi & uitia, quæ auribus accidunt, sunt comprimis dolor & inflammatio, humores, pus & sanies profluens, ulcus sordidum, uermes in ipsis generati, foraminum compressio, auditus grauitas, auriũ intra se ipsas sonitus, & res quæ in ipsas ceciderunt ceu lapilli, aqua, pulices aut aliorum animalium quoddam: de quibus post capitis & faciei morbos nunc primum agit Serenus, subinde ad oculos transiens: non quod aurium usus sit potior, hunc enim natura, ut Celsus ait, proximũ à luminibus nobis dedit, sed quia maius aliquãto in hiis periculum est. Nam uitia oculorum intra ipsos nocent, aurium inflammationes, doloresq;, interdum etiã ad dementiam mortemq; præcipitant, quo magis inter initia protinus succurrendum est, ne maiori periculo locus sit. Quoniam, Auicenna teste, dolores eius quandoq; perniciosi sunt. Sed antequam ad localia medicamenta procedatur, ubi corpus nimiis & malis repletum fuerit humoribus, ipsum ab eiuscemodi prius alleuiandum est. Et si per consensum fuerit affectio, membro cui cõsentit prius

Aures cur in lateribus.

Nerui ἀκουστικοί.

Aurium mobilitas.

Aurium uitia.

Lib. 6. cap. 7.

Aurium usus proximus à luminibus.

Aurium dolor periculosior.

Canones generales circa curationem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſubueniẽdum, capitis etiam dolorem, ſi quis adeſt, prius mitigando. Quibus peractis localia tum demum adminiſtranda ſunt remedia, ſemper etiam à leuioribus inchoando, & ante medicaminis immiſſionem, aures à ſordibus aut prius impoſitis medicamentis, ſi quę inſunt, mundando. Nam, ut Paulus Aegineta tradit, Audiẽdi facilitatem præſtat in primis purgare meatũ à ſordibus. Adhæc præcipiente Celſo, medicamentum quod imponendum eſt, ſemper ante tepefieri conuenit, commodiſſimeq; per ſtrigilem inſtillatur. Vbi auris repleta eſt, ſuper lana mollis addenda eſt, quæ humorem intus contineat. Idem de calidis imponendis medicamentis teſtatur Meſue dicens, Poſt hæc autem non prætermittimus quod medicamenta quæ diſtillantur in oculis, ſemper actualiter frigida mittenda ſunt: quæ aũt in auribus, tepida aut calida ſunt apponenda, ſiue ſint ad ægritudines calidas ſiue frigidas. Primo tamen antequam quicquam in aures imponatur, ob periculum quod ex auditoriorum meatuum obſtructione contingere poſſet, cura prius tentanda eſt cum ſacculis, ſuffitibus & cataplaſmatis: quibus adhibitis, ſi nulla ſequatur ſalus, tum primum iniectiones & inſtillationes fiant, quæ poſt tertiam, ut aliqui uolunt, ſeu, ut alijs placet, poſt ſextam horam iterum ab aure extrahantur. Sint autem quæ inijciuntur quantitatis modicæ, utpote, unius aut duarum guttarum, ne meatus obſtruant. Sint item liquida. Nam, quod Celſus ait, illud perpetuum eſt, quotieſcunq; craſſius medicamentum eſt quàm ut in aurem inſtillari poſſit, adijciendum eum eſſe humorem, ex quo id componi debet, donec ſatis liquidum ſit. Vbi autem immiſſum eſt medicamentum, patiens per horæ ſpacium ſanam ſuper aurem iaceat. Tandem, operationes in auribus ob magnam auditiui nerui ſenſibilitatem, ſuauiter & citra dolorem fiant, ne læſio contingat. Nec illud omittendum, ubi exulceratæ ſunt aures, ſicciſſimis opus eſſe medicamentis, ut tradit Galenus therapeutice libr. 5.

quo-

quoniam audiẽdi locus etiam ſicciſſimus eſt. Cum enim particula cui medetur ſicciſſima eſt, neceſſe eſt ut ualentiſſime ſiccetur. Indicat enim ueluti uitium ipſum ut curetur, ſibi applicandum eſſe contrarium: ſic particula ipſa quod ſit ſibi ſimillimũ. *Sæuus.*) Crudelis, magnus & uehemẽs, qui uel ſomnum tollere ſoleat, ſiue calidus ſiue frigidus is fuerit. Vtriſq; enim medicari docet. *Teneras.*) Graciles, molles ac lenes. Eſt enim auris, ut Auicenna tradit, creata cartilaginea, habens cum conſeruatione figuræ lenitatem & reflexionem. *Alte ſauciat.*) Profunde, intime, et uehemẽter uulnerat & afficit. *Fraxinea talea.*) Hoc eſt, fraxini lignum & ligni ſectiones atq; præſegmina. Talea enim proprie ligni fruſtum dicitur quod ſerendi aut plantandi gratia præſcinditur. De fraxino uero, quæ inter arbores quas materiæ cauſa natura genuit, copioſiſſima eſt, Plinius libro 16. cap. 14. inter alia ſic ſcribit: Fraxinus procera arbor eſt, ac teres et pennata folio, multumq; Homeri præconio & Achillis haſta nobilitata: materies eſt ad plurima utilis. Græci duo genera eius fecere: longam, enodem: alteram breuem, duriorem, fuſcioremq;, laureis folijs. Alij ſitu diuiſere. Campeſtrem enim eſſe criſpam: montanam, ſpiſſam. Folia earum iumentis mortifera: cæteris ruminantium innocua Græci prodidere. In Italia nec iumentis nocent. Contra ſerpentes uero ſucco expreſſo ad potum, et impoſita ulceribus opifera, ac nihil æque repperitur. Tantaq; eſt uis, ut ne matutinas quidẽ, occidentésue umbras quamuis ſint longiſſimæ, ſerpens arboris eius attingat, adeo ipſam procul fugat. Experta prodimus. Si fronde ea gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignes potius quàm in fraxinum fugere ſerpentem. Mira naturæ benignitas, priuſquam heæ prodeant florere fraxinum, nec ante conditas folia dimittere. *In flammis fundit ſuccum.*) Hoc eſt, liquorem: &, ut Meſue uocat, oleum fraxininum, quod ignis ui ex conciſo ligno elicitur, hoc modo: Accipiuntur ollæ, iuſtæ magnitudinis,

Auris tenera et lenis.

Fraxinus.

Talea.

Oleum fraxininum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

binæ, una orificij arctioris, altera latioris: quarum hæc extra luto figuli bene inducta, in terræ foueam ponitur: illa uero conciso ligno impleta priori ollæ inuerso orificio superponitur, ita tamen ut ambabus interponatur lamina ferrea tenuis & multorum foraminum instar cribri triticei, quæq; amplitudine sua ollam latiorē undiq; cooperiat: sicq; præparatę ollæ, luto exacte ut nihil ex alterutra euaporare & exhalare possit circumliniātur: quo facto, lignorum congeries ipsi superposita accendatur, & duabus horis ardere sinatur: sic enim succus & oleum manabit, quod usui seruetur. Et eodem modo fit oleum iuniperinum: quod ego sic feci. Primo accepi ollam grandem ex una parte lati orificij, ex altera rotundatam & paruis foraminibus plenam, quam ligni frustulis paruis impletam cum cooperculo & luto circumlito bene clausi, deinde clausam alteri ollulæ paruæ in terram locatę cum parte perforata imposui: sicq; ambabus dispositis & undiquaq; luto ne quid exhalare posset, bene illitis, postea cum igne, ut dictū est, operatus sum. *Obscœnos rores.*) Hoc est, humorē corporis qui per partes obscœnas expurgatur. Et is quidem est lotium siue urina, quæ auribus frigore affectis opitulatur, maxime etiam si exulceratæ fuerint. Nam, ut Auicenna tradit quarta tertij, cum multiplicatur pus ualde, tunc necessariæ sunt distillationes ex urina infantium. Plinius hanc cōtra pituitas & uermes, sed cum porro utilem tradit libro 28. cap. 6. dum infit: Vrina impubium puerorum contra aurium pituitas, uermiculosq; si decoquatur ad dimidias partes cū porro capitato nouo fictili. Nec modo auribus sed & uniuerso corpori urinam impubium prodesse testatur Sextus Platonicus dicens: Pueri uel uirginis inuestis lotium infusum auriculis quę pus habēt, curat, et remediū est totius corporis. *Virgine.*) Per uirginem intelligit puerum siue masculus siue femella is fuerit, qui adhuc incorruptus est & Veneris usum nondum expertus. Dicitur autem & de alijs rebus

Lotium impuberis.
Vrina.
Cap. 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

bus illibatis, intactis & incorruptis uirgo: unde Martialis chartam nondum contrectatam inuulgatamq́ue uocat uirginem. Et Plinius terram uirginem dixit synceram & intactam, neq; à metallicis refossam aut attaminatam. *Succum ex folio pop.*) Diosco. lib. primo: Tepidus foliorũ succus cõtra aurium dolores utiliter instillatur. Item Plinius libro 24. cap. 8. Foliorum populi albæ succus calidus aurium dolori prodest. *Populus alba.*) Plinius lib. 16. cap 24. Populi tria facit genera, albam, nigram, & quæ lybica appellatur. Alba folio bicolor, superne candicans, inferiore parte uiridi. Mirũ in primis id quod ulmo, tiliæq́ue, & oleę, populo albæ & salici euenit. Circũaguntur enim folia earum post solstitium, nec alio argumento certius intelligitur sydus confectum. **Populus.**

Sæpe chelidoniæ rapidum sociatur acetum
Adiunctoq́ue nitro procedit cura salubris.
Mentastri liquor expressus conducere fertur.
Infectum uiolis olium bene consulit auri.
Annosa rubros si legeris arbore uermes
Ex oleo tere, sic tepidos infunde dolenti.

Chelidoniæ.) Qua ratione capitis, eadem et aurium dolori medetur chelidonia: cuius uirtutes dictæ sunt superius capite primo. *Rapidum acetum.*) Hoc est, citũ & quod uim suam cito exercet: quale est maxime quod forte est et acre. Scriptus codex habet SAPIDVM, hoc est, proprio sapore & saporis aciditate ualidum & efficax. Aceti calidi uaporatio, ut tradit Auicenna, confert difficulati auditus et acuit ipsum. Et, ut Dioscorides testatur, Acetum instillatum necat aurium uermes. *Nitro.*) Dioscorides, Nitrum medetur purulentis auribus, earũq́ue inflationibus & tinnitibus, cum calida aqua uel uino illis instillatum. Purgat & sordes cum aceto ijsdem instillatum. Plinius libro 31. cap. 10. Nitrum auribus purulẽtis uino liquato infun-

Chelidonia. **Acetum.** **Nitrum.**

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ditur. Sordes eiusdem partis erodit ex aceto. Sonitus & tinnitus discutit siccum additum. Et exinde doloribus illarum medicina est efficax, præsertim ubi humor est tenax & causa frigus. *Mentastri liquor.*) Succus mētastri aurium dolorē frigidum sanat: & maxime eum cuius causa sunt uermes, ipsos ui ignea & amaritudine sua occidēdo. Hinc Apuleius herbæ mentastri succum cum uino austero auriculis iniectum, uermes natos necare dicit. Et Plin. libro 20. cap. 14. Succus, inquit, auribus uerminosis instillatur. Porrò quem hij mentastro, eum Dioscorides calamentho tribuit effectum dicēs: Verminosas aures sanat enectis uermibus instillatus calamēthi succus. *Cōducere.*) Conducere inter alia significata sua aliquando idem est quod prodesse & utile esse, ut in hoc loco. *Infectum.*) Inficere proprie est tingere & colorare: μεταφορικῶς uero, polluere, maculare & corrumpere. Vnde oleum infici dicitur, quando per alterius rei admixtionem natura eius corrumpitur & admixtæ rei naturam accipit. Est autem & infectus quarti ordinis nomē, & tincturā significans. Plinius libro 8. De lanarū infectu suis locis dicemus. *Violis oleum.*) Oleum uiolarum, quod fit floribus earum in oleo maceratis & expressis: hocq; autore Auicenna, magis sedatiuū est doloris quàm oleum rosaceum, propter mollificationem quæ est in ipso: conuenitq; in dolore uehementi & à causa calida proueniente. *Consulit.*) Prouidet & opitulatur. *Annosa.*) Vetusta & cariosa. *Rubros uermes.*) Plinius libro 29. capite 5. testatur idem, dicens: Vermes ex arboribus rubri cum olio triti, exulceratis & ruptis auribus præclare mendētur. Detergunt enim & dolores permulcent, maxime ex oleo quod etiam mitigando lenit.

Mentastrum. *Conducere.* *Inficere.* *Infectus.* *Oleum uiolarū* *Vermes rubri arborum.*

Si uero obstrusa sensus moreretur in aure,
Lumbricos terræ, seuumq; ex ansere rauco
Excoque, uel ueterē poteris dissoluere morbum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Si uero obstrusa.) Docet nunc aurium dolori, quem auditus grauitas comitatur, mederi, ubi scilicet cum dolore grauius quis audire cœperit: quod maxime post lōgos & uehementes aurium et capitis dolores euenire consueuit ex meatuum auditoriorum obstructione, quę uel à sordium coitu accidit, uel ab humorū copia, uel à crusta qualis sup ulcera innascit. *Lumbricos terræ.*) Vermes terrenos, quos Dioscorides γῆς ἔντερα, id est, terrę intestina uocat, traditq; cū anserino adipe elixa auriū uitijs utiliter instillari: quod Plin. etiam libr. 29. cap. 5. testatur inquiens, Constat deplorata aurium uitia sanari si terreni uermes adipe anseris decocti infundantur. Celsus eosdem ex oleo coctos adhibere docet cum ait, Medicamentum est oleum in quo lumbrici cocti sunt. *Seuum.*) Seuū quid sit & quo pacto differat ab adipe, dictū est supra. Sed huiusmodi dictionum proprietas nō semper obseruatur, presertim in carmine, quod uel ex præsenti capite, ne longius testimonia conquiram, manifestum est. Nam quod nunc anseris seuum nominat, paulò post adipem uocat, dum inquit, Anseris aptus immittetur adeps. A seuo fit seuosum, quasi seuo plenum: et seuare, hoc est, seuo cōcinnare. Columella lib. 2. cap. 22. Ferijs ritus maiorum etiam illa permittit, far pinsere, faces incidere, candelas seuare: ni mauis dicere sebare, utrunq; enim dicitur, & seuum & sebum. Dicitur item sepaceum à sepo. Apuleius in asino aureo lib. 4. Nec mora cū numerosæ familiæ frequentia domus tota completur, tedis, lucernis, cereis, sepaceis, nocturni luminis instrumētis. *Ansere.*) Dioscorides, Adeps anserinus facit ad aurium dolores. Auicenna lib. 2. Adeps anseris sedat dolorem auris. *Rauco.*) Male sonoro, obstrepero. *Vel.*) Etiam. *Dissoluere.*) Discutere. Hinc medicamentum discussorium, quod Gręci diaphoreticum uocant, quod discutit atq; dissoluit humorum crassitudinem. Et diaphoresis discussio est, hoc est, digestio & euaporatio, humorumq; per insensibiles meatus eductio.

Lumbrici terræ
Intestina terræ.
Seuum.
Seuosum.
Seruare.
Sepaceum.
Medicamentū discussorium
Diaphoreticū.
Diaphoresis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Fella bouis surdis etiam prodesse loquuntur,
Si iungas olidæ graue quod minxere capellæ.

Fel bouis. Fella bouis.) Fella bubula uel taurina, quæ cæteris, testante Dioscoride, sunt efficatiora. Et Auicenna, Fortiora fella quadrupedum sunt, fel uaccinum siue taurinũ. Plinius libro 28. Si grauitas sit audiendi, fel bubulum cum urina capræ uel hirci, uel si pus sit. Surdus. Surdis.) Surdus proprie dicitur qui nihil audit, aut qui male audit. Dicitur etiam de eo quod non auditur. Iuuenalis, Surda nihil gemeret graue buccina: & herbæ surdæ, quorum nomina nõ audiuntur, quia non sunt. Transfertur autẽ & ad alia. Vitruuius Architecturæ libro 5. Etiam diligenter est animaduertendum, ne sit locus surdus, & ut in eo uox quàm clarissime uagari possit. Plinius libr. 35. Adhoc quibusdam incurrit umbra, surdusq́ue color fit. Et, Hebescunt ni color surdus repercussu angulorum excitetur. Persius, Seu spirent cinnama surdum. Horatius, Feruida quod subtile exsurdant Serm. lib. 2. uina palatum. Olidæ.) Fœtidæ. Sunt enim grauis ac fœtidi odoris capræ, quarum graueolentem odorem & uirus nunc tragum nunc hircum uocãt. Catullus aũt caprum, Tragus odor seu hircus, aut caper. Lædit te, inquit, quædã mala fabula qua tibi fertur Valle sub alarũ trux habitare caper. Graue quod minxere capellæ.) Lotium caprinum. Hoc est, excrementitium illum uesicæ caprarum humorem graueolẽtem, ac tetrum fœtidumq́ue odorem reddentem. Huiusmodi autẽ humorem & urinam aurium doloribus conferre, autor est Dioscorides, dicens: Vrina caprina aurium doloribus medetur instillata.

Si uero in patulas animal penetrauerit aures,
Proderit admixto pauidi fel muris aceto,
At si lympha potens peruaserit, anseris aptus
Immittetur adeps, ceparum non sine succo,
Qui grauis est oculis, sensum tamẽ auribus auget.

Patulas.) Semper enim aperti sunt aurium meatus & an-

fractus

fractus. *Animal.*) Ceu pulex, aut aliud tale animal paruum. *Pauidi.*) Trepidantis & periculum semper pertimescentis. Ad omnem enim sonitum & strepitum expauescunt mures & fugiunt. *Fel muris.*) Fella remedio esse si quod animal in aures ceciderit, testis est Auicenna fen quarta tertij. Et Plinius libro 29. cap. 5. Si quod animal, inquit, in aurem intrauerit, præcipuum remedium est murinum fel aceto dilutum. *Lympha potens.*) Aqua multa & copiosa. Solet enim nonnunquã aqua aures intrare quæ multitudine & frequẽtia sua potenter & uiolenter nocumẽtum eisdem adfert. *Peruaserit.*) Intrauerit & ad intima usq; penetrauerit. *Anseris adeps.*) Plinius libro 29. cap. 5. Si aqua intrauerit, adeps anserinus cum cepæ succo remedium est. Sextus Platonicus, Aqua in aurem si introierit, anserinus adeps cum cepæ succo mixtus bene, auriculæ infundatur, prodest. *Ceparum non sine succo.*) Hoc est, cum succo ceparum: cui tamen non anserinum sed gallinaceorum adipem iungit Dioscorides, dicẽs ceparum succum cum gallinaceorum adipe utilem esse ad grauitatem aurium, incertos earum sonos, purulentas ex eis destillationes, & exhauriendas quæ in eis coierunt aquæ. Quamuis per se etiam tum gallinaceum tum anserinum adipem ad aurium dolores facere testetur Auicenna. Distillatur, inquit, cepę succus in aurem, propter grauedinem capitis & tinnitum & putredinem in auribus & aquam. Plinius libro 20. cap. 5. Multos in auriculis sonitum & grauitatem emendantes, syluestrium ceparum succũ unà cum anserino adipe in easdem stillasse scribit. *Qui.*) Ceparum succus. *Grauis est oculis.*) Id est, oculis nocet præsertim sanis. Nam male affectis sæpenumero auxilio est. Nocet autem comestus quidem, quoniam uaporosus est. Omne autem uaporosum, oculis noxium. Vnde Iesus Hali dicit, Omnes concordati sunt, quod comestio salis debilitat uisum, lac, cepe, porri, caules, lentes, fabæ, & uniuersaliter omne uaporosum. Nocet etiam oculis imposi-

Fel muris.

Anseris adeps.

Cepa.

Vaporosa oculis nocentia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tus ui sua acri & exulcerante. Imò odor ipsius oculis noxius est, lachrymas ipsis excutiendo. Vnde quia lachrymas mouet, prouerbio etiam cepas edere aut olfacere iubemus eos quos flere iubere uolumus. Lachrymosam cepam uocat Columella. Et Plinius, Omnibus odor est lachrymosus, inquit. *Sensum auribus auget.*) Hoc est, aurium sonitus & surditatem auferendo, auditũ recuperat, iuuat, & corroborat, bonamq; facit auditionem.

Adagio.

Vis & phœbigenæ diuinam discere curam,
Sitq; uel annosis confecta doloribus auris,
Allia tum septem numero, septemq; lupinos
Muriceam dabis in testam, tum Delphica frondis
Addatur, mixto totum ferueſcat aceto,
Doctus eris tepidos illinc immittere rores.

Allium. Lupinus. Murex.

Phœbigenæ.) Phœbo geniti Aesculapij. *Confecta.*) Affecta, saucia & læsa. *Allia.*) Auicenna fen quarta tertij cap. 8. Oleum instillari iubet in quo coctum sit allium. Plinius uero libro 20. cap. 6. alliorum succum cum adipe anserino. *Lupinos*) Lupinus legumen est notum, cuius succum instillare iubet Auicenna. *Muriceam.*) Murex conchilijs adnumeratur ceu purpura, quorum sanguine uestes tinguntur infectu precioso. Per se autem, ut Plinius tradit libro 32. cap. 4. conchilio infecta lana magnopere prodest auribus. Inest autem & testis uirtus desiccans atque detergens auribus utilis, quam & medicamenta illis imposita ad se rapiunt, quare illa cum eadem coqui et pręparare iubet nũc Serenus. Ni pro testam legere malueris textam, ut lanam intelligas murice infectam, ex qua & fasciolæ fieri possunt quibus capilli in capite alligantur & textæ dicuntur. Et forte non male, ut Plinij sententiæ iam relatæ cõcordet. Verum in scripto codice pro muriceam legitur Puniceam: ubi per testam Puniceã intelligito malicorium quod Punici mali cortex est, & is quidem in magno usu. Et in quo decoctũ ex porri succo efficaciter sanat

Textæ.

aurium dolores, ut libro 30 ad finem tradit Plinius, & libro 23. ait, Ad aurium dolorē utile est ex Delphica oleum in mali Punici cortice tepefactum. *Delphica frondis.*) Folia laurus Delphicæ. Sunt enim duo genera laurus, ut Cato tradit: Vnum Delphicum, sic dictum quod eo uictores Delphis olim coronarentur, & est uiridior laurus: Alterum Cyprium, folio breui, nigro, per margines imbricato, crispum. Sed de lauri generibus plura Plinius libr. 15. ca. 30. Vis lauro excalfactoria & folijs & cortice & baccis: ualenterq́ siccant, molliunt, & discutiunt, ac contra aurium dolorem & grauitatem ualent. Vnde Auicenna inquit, Faciunt ad dolores auris frigidos & elongationem auditus & conferunt tinnitui. Plinius item libro 23. cap. 8. Aurium, inquit, dolori et grauitati instillatur succus cum uino uetere & rosaceo. Et, Ad aurium dolorem utile est ex Delphica oleū in mali Punici cortice tepefactum. Celsus porri succo cum laureo oleo utitur. Adhæc habet & contra uenena remedium laurus, unde in prouerbium abijt, ut qui fœliciter è periculo effugisset, & tutum se asserere uellet, is diceret, δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν, hoc est, Laureū gesto baculū. Et quia hæc arbor fulmine non icitur, ideo & aduersus fulmē uis eius tueri creditur. Vnde & Tiberius Cæsar, qui tonitrua, autore Suetonio, præter modum expauescebat, turbatiore cęlo nunqam non coronā lauream ceruice gestauit, quod fulmine afflari negetur id genus frōdis. Est autem Apollini sacra, uaticinaq́ arbor laurus. Nam quia nihil crepitantius uritur, unde etiam δάφνη daphne dicitur, ab particula δα quę intētionis uim habet, & φωνεῖν quod loqui est & canere, hinc ueteres rerum euentus ex crepitantis modo aucupabātur. Si enim crepuisset abunde & sonantius, fœlix auspicium existimabatur. Vnde Tibullus, Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni. Quod si tacita conflagrasset, infœlix habebatur. Hinc Propertius, Et tacet extincto laurus adusta foco. Alij uero laurum Apollinis tutelæ adscribunt, ideo

Laurus.

Adagio.

quia si noctu dormientibus ad caput puluillo subieceris, uera somnia uisuri sunt, uti Fulgentius recitat mythologiarum libro primo. *Frondis.*) Frondis in recto casu posuit, quemadmodum infra quoque capite 29. ubi ait, Persica frondis.

OCVLORVM DOLORI MITIGANDO.

CAPVT XIII.

SVMMA boni est, alacres homini contingere (uisus
Quos quasi custodes, defensoresq; pericli
Prospiciens summa natura locauit in arce,
Sic tamen ut nullos paterentur desuper ictus,
Atq; supercilio pauidi tegerentur opaco.

OCVLI. Libro. 11.


CVLORVM *dolori.*) Oculos humani corporis partem esse preciosissimam, ut qui lucis usu uitam distinguat à morte, scriptũ est à Plinio. Hos Galenus nunc uisiuæ potentiæ uocat organum lucidum, nunc solarẽ animalis particulam, & diuinum quoq; membrũ, ut cuius pręcipue inexplicabilis & mira sit subtilitas, si quid aliud in animantiũ natura. Vnde Auẽzoar theizir sui lib. 1. Oculus, inquit, membrum est subtile & delicatũ præ cæteris membris. Huius particulæ sunt humores contenti tres. Tunicæ uero continentes ab alijs aliter statutę. Sunt enim qui quatuor eas faciunt, quarum summam & extimam uocant Consolidatiuam, robustã, solidam & pinguem, quaq; oculi constitutio tueatur uniuersa. Alteram quæ huic subest Græci Ceratoidẽ appellãt, uulgo Cornea dicitur, eo quod pellucida sit ut cornu attenuatum, quo sit speciebus peruia. Tertiam uocãt Vueam, ab nigrore uuę, ut obscuretur in

Oculorum partes. Humores 3. Tunicæ 4. uel 7. 1 Consolidatiua. 2 Cornea. 3 Vuea.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ea humor in quo uisus facultas uiget, aliàs enim species
in eo se non ostentarent: estq; densa, ne si laxior esset, in-
clusus humor se promeret: habet tamen in anteriore par
te orbicularem pupillæ meatum, qua se uisibilium insi- 1
nuant species. At intra tunicam hanc humorẽ statuunt *Humor albu-*
albidum, ouorum albugini similem ac pellucidum. Gla- *gineus.*
cialis enim omnium humorum est intimus, glaciei assi- 2
milis: quem bifariam diuidunt, in partem scilicet anterio *Glacialis.*
rem & posteriorẽ, quam uitream uocant, quæ glacialẽ fo- 3
ueat & alat. Et hĳs circũiecta est tunica quarta tenuissima *Vitreus.*
quam araneã dicunt, & Herophilus arachnoiden nomi- 4
nauit. Et sic tres sunt in oculis humores, et tunicę quatu- *Tuni aranea.*
or. Alĳ tamen septẽ constituũt tunicas. Primam coniun- *Alia tunicarum*
ctiuam siue consolidatiuam. Corneã quam à dura matre *diuisio.*
oriri dicunt, bifariam diuidunt, & anteriorem corneã uo *Coniunctiua.*
cãt, interiorẽ uero scleroticã. Consimiliter uueam, quam *Cornea,*
à pia matre oriri tradunt, in duas secernũt, & partem an- *Sclirotica.*
teriorem uueam, posteriorẽ secundinam uocant. Idem in *Vuea,*
aranea faciũt, eandemq; bifariã diuidunt, & anteriorẽ ara *Secundina.*
neam, & posteriorẽ retinã appellant. Sicq; decẽ sunt quas *Aranea,*
intimas uocant oculorũ particulæ, uidelicet, tunicæ con *Retina.*
tinentes septem, & humores tres contenti. Diuidunt &
aliter tunicas quidam, sed illos nunc sinamus. Omnium
autem harum utilitatem & operationẽ difficile & quasi
impossibile est tradere. Vnde Abinzoar theizir libro 1.
sic scribit: Et scire debes oculi partes esse multas, & scire
atq; cognoscere utilitatem seu operationem cuiuslibet ea
rum difficile ualde tẽpore Galeni erat, adeo quod Galen.
in corde suo proposuit, nõ reddere rationem singillatim
de prædictis, nec earum causas & utilitates declarare in
libro suo de iuuamẽto membrorũ. Et Auerrois sui Col-
liget libro 2. maiorem partem iuuamentorum arbitrĳ iu
dicĳ esse scribit. Cęterũ uirtus uisuum, ut tertia tertĳ tra-
dit Auicẽna, & materia spiritus uisibilis procedit & pene
trat ad oculũ per uiam duorũ neruorũ cõcauorũ, quos *Nerui optici.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ὀπτικοὺς uocant Græci, ab eo quod uisiuum spiritum ad oculos per ipsorum spiracula deuehant. Qui nerui à cerebro ad oculos producũtur effigie in primis literæ Græcæ χ, qui in contactu ad crucis modum intersecare se uidentur, quod tamẽ neutiquam fit, si acrius atq; solertius quis inspiciat. Sed à cerebro exorientes ad eundem tendunt locum, donec iungantur ita, ut meatus, qui antea duplex uisitur, unus et communis fiat: mox iterum disiuncti resiliunt, & qui à dextris oritur, dextrum item oculum petit, & qui à leua, itidem ad leuum tendit oculum, autore Galeno de utilitate particularum libro 10. Vnde Auicenna prima primi ait: Ille qui à sinistra oritur, dextratur: & ille qui à dextra oritur, sinistratur: deinde sibi super sectionem cruceam obuiant: postea ille qui à dextra oritur, ad pupillam dextram penetrat: & qui nascitur à sinistra, ad sinistram pupillam: quorum adeo dilatantur orificia, donec humorem qui uocatur uitreus, comprehẽdant. Quoniam itaque utriusq; oculi ex neruorum illo congressu, unum fit deferẽs, & uisibilium species in communi coeunt cõceptaculo: hinc fit quod sensibile utroq; haustum oculo, simplex & non geminum se ostendat, quod aliâs dubio procul contingeret: hinc etiam quod spiritus uisiuus, altero oculorum oblęso, ad reliquum delabitur totus, & roboratur, ualidiorq; promitur in actum, ut clarum est, alterũ claudentibus oculum. Quod in oculi meditullio nigricans uisitur, pupilla dicitur, in qua qui sunt humorum medius est glacialis, & ipse quidem clarus sicut grando. Et situs est in medio, quoniam est dignior locis qui sunt cum custodia, autore Auicenna. Idem humor glacialis dicitur & crystallinus & grandineus. Et in hoc pręcipue uidendi facultas uiget. Vnde Abinzoar: Humor grandineus est radix & subiectũ sensus uisus, recipiens spiritum uisibilem per neruum opticum uenientem à cerebro. Et Iesus Hali: Humor crystallinus est nobilior partibus oculi, quia per eum fit uisus, et reliquæ

Visibile utroq; haustum oculo cur simplex & non geminum appareat.

Pupilla.

Humor glacialis, crystallinus, grandineus.

Videndi facultas in quo humore consistat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

reliquæ partes oculi ſunt paratæ ut ſeruiant illi humori nobili, aut expellant nociua aut prebæant ei utilitatem. Galenus item therapeutices libro 7. Ipſum uiſus inſtrumentum, inquit, eſt cryſtallinus humor. Et lib. 2. eiuſdem tractationis, Viſio, ait, non oculi totius, ſed cryſtallini in ipſo humoris eſt, cuius cauſa reliquæ oculi partes ſunt factæ, quarum etiam ſingulæ aliquam ſeorſum actionem ſunt nactæ. Ac uena quidem & arteria & neruus toti animanti communem: membranulæ oculi omnes, cum ſint nutrimenti participes, omnino naturalibus facultatibus ſunt prẹditæ, ac perinde etiam functionibus, quæ ab hijs proficiſcũtur. Sed qui perficiatur uiſus, an intus per aeris media ſuſcipiendo ſimulachra, an extra ab oculis profluẽtibus radijs, autorum inter ſe eſt diſcordia. Plato enim & Academici uiſum ab oculis emanare & extra prodire uolunt: contra quos pugnant Ariſtoteles & ipſi Peripatetici, qui uiſum fieri intus ſuſcipiendo dicunt. Sed quia harum opinionum ſcrutinium, &, ut inquit Auicenna, uerificatio certioris in his duobus ſermonibus pertinet ad ſapientes, non ad medicos, ideo de his nunc non plura.

Viſus inſtrumentum.

Quod reliquum eſt, Oculorum cuique duo ſunt anguli quos Lachrymalia uocant medici recentiores, Auicenna Almacheni, Græci uero Canthos: de quibus ſic ſcribit Ariſtoteles, Κοινὸμ δὲ τῆς βλεφαρίδος μέρος τῆς ἄνω καὶ κάτω, κανθοὶ, δύω μὲμ πρὸς τῇ ῥινὶ, δύω δὲ πρὸς τοῖς κροτάφοις, hoc eſt, Communis uero pars palpebræ ſuperioris & inferioris, canthi, duo quidem iuxta naſum, duo uero iuxta tempora. Quorum hos ſylueſtres uocant recentiores, illos uero domeſticos. Græci πηγὰς, id eſt pagas nuncupant, quaſi lachrymarum fontes quoſdam: hinc enim lachrymæ fluunt, ſingularis in homine admirationis. De quibus ab oculis emanantibus ſic ſcribit Plinius: Hinc illæ miſericordiæ lachrymæ, hinc fletus, & rigantes ora riui. Quis ille humor eſt in dolore tam fœcũdus & paratus, aut ubi reliquo tempore? Sunt autẽ nihil aliud lachrymæ quàm

Oculorum anguli, Lachrymalia, Almacheni.

Canthi, domeſtici, ſylueſtres.

Pagæ.

Lachrymæ unde fluunt.

Lachrymæ quid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

aquosus humor siue sudor quidam ab oculis profluens. Aristo. τὸ δὲ δάκρυον, ἱδρώς τίς ἐστι, διὸ καὶ γίνονται ὑπὸ θερμασίας ἄμφω ταῦτα, καὶ ἁλικά ἐστιν ὁμοίως, hoc est, Lachryma autem sudor quidam est, quapropter & à calefactione fiunt ambo hæc, & salsa sunt similiter.

Lachrymas quæ moueant.

Hinc etiam quæ acriorem ac mordaciorem odorem ex se reddunt, oculis quoq; lachrymas mouẽt, si cum acredine lentitiam quandam etiam habuerint, ceu de oleo cõstat & cepis. Oleum enim quamuis leniter mordeat, subintrans tamen suam ob lentitiam atq; subtilitatem, mouet dolorem, & subinde humorem ac lachrymas elicit. Cepe uero quod et humore & uapore est calido, tenui, & lento, acriter oculos mordendo, lachrymas commouet. Et hinc prouerbijs quoq; locum fecit, ut si cui fletum imperare uolumus, iubemus hunc cepas edere aut olfacere.

Allium cur lachrymas non itidem moueat ut cepe.

Sed dicet aliquis, Cur allium lachrymas nõ itidem mouet ut cepe, cum sit etiam calidum, acre, & humoris quid continens? Respondetur, quoniam lentitia illi non inest, quare et lachrymas mouere non potest. Nam, ut Aristoteles tradit, si quod lachrymas moueat, id mordax esse debet, humidum quoq; & lentum, quod ultimum allio deest. Sed hijs omissis ad oculorum affectiones & earundem curationes procedendum. Ingentibus autem, ut Celsus libro 6. ait, & uarijs casibus oculi nostri patent, qui cum magnam partem ad uitæ simul & usum & dulcedinem conferant, summa cura tuendi sunt. Affectionum autem oculos infestantiũ, quædam uniuersum oculum male afficiunt, quædam particulis quibusdam sunt propriæ: de quibus omnibus singillatim scribere prolixum esset, neq; Serenus omnium

Canones generales circa curationem.

sed paucissimarum tantum curam tradit. Quę igitur communis affectionum oculorum curatio requirit, subscribam. In primis autem, si cũ oculorum affectu capitis dolor affuerit, is prius sedandus est, ubi ab oculis non procedit, & oculorum dolor non sit uehementior. Item si alteri membro compatiãtur oculi, id quoq; prius medicandum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

dum. Amplius cognita ægritudine et ex medicamentis sa
lute non cito succedente, nihilominus continuanda cu-
ra est, accidit enim aliquando uel uentositatem aliquam
uel crassum difficilis resolutionis humorem in meatibus
contineri strictis. Duabus item ægritudinibus acuta &
chronica in oculo coniunctis, ab acuta inchoandum
quousq; remoueatur, chronicam non negligēdo, ne for=
tificetur, deinde redeundum ad causam chronicæ: autor
Iesus Hali. Adhęc, medicandi sunt oculi, ut inquit Cana=
musali, cum ferro & sine ferro. Qui uero medicandi sunt
cum ferro, cum maxima subtilitate & sapientia medican-
di sunt. Aliqui uero medicādi sunt cū puluere, aliqui cum
aqua, alij cū unguento, alij cū coctura, alij cū medicamini
bus, et alij cū purgationibus, & ita liberantur. Oportet au
tem, ut Iesus inquit, quod eligatur de medicinis quod fue
rit bonum, recens, non uetus, nō sophisticatum, & quod
teratur quælibet earum separatim, non simul, quia error
est: quia ex medicinis quædam sustinent longam tritura-
tionem sicut minerales, quædam modicum sicut succi, &
quædam teruntur magis quàm expedit & elongantur à
natura sua. Omnes autem terendæ sunt quatenus nulla
relinquatur in eis asperitas, qua oculis nocumentum in-
ferri possit. Est enim multi sensus membrum. Vnde Aui-
cenna etiam inquit tertia tertij: Oportet penitus ut nō sit
in medicina administrata in oculo & proprie in ophthal
mia asperitas, neque qualitas saporis acetosi aut acuti. Et
oportet quidem ut conterantur ualde, quatenus ipsius re
moueatur asperitas, & quanto tibi plus est possibile ut sis
contētus insipidis odore priuatis, nam illud est bonum.
Quod si tactus fuerit necessarius, oportebit ut sit cū facili
tate. Exigitur enim propter membrū ipsum superflua fa=
cilitas. Nam, uti Galenus therapeutices libro 13. tradit, ue
hementior etiam humoris casus in oculis non conducit,
nam quæ feriūtur in hijs membranosa quædam imbecil
laq; corpora sunt. Et quod feritur non est diuersum ab eo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di
Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quod curatur: ſed idem ipſum quod eſt curandum ualen
ter icitur. Adhæc oculus acerrimi eſt ſenſus, Ergo infun-
dere huic medicamenta oportet, primum ſuperiorem ge
nam blandiſſime attollentes, mox minime incutientes. In
ueniendi præterea humores mitiſſimæ minimeq́ʒ mor-
dentis naturæ, qui cum medicamentis ſint infundendi.
At mihi quidem magna cum conſideratione uidentur ue
Oui albumen. teres ad oui deueniſſe humorẽ, electo ſcilicet ex eo quod
& mordẽs minime eſſet, & glutinoſum. Nam ex eo quod
minime rodit, modo dictam indicationem ijs compleuit.
Ex lentore autem, ad indolentiam nonnihil confertur.
Quippe lenire eiuſmodi humores poſſunt, aſperitates
omnes, quaſcũq; acris fluctio excitat. Accedit quod craſ-
ſus ac lentus humor, conſtantius quàm tenuis & aquo-
ſus in loco permanet. Sane quod lentum id quod abſque
roſione ſit, cum modice incaleat, dolorẽ maxime leniat:
id profecto ex rodentibus in aluo deiectionibus didiciſti,
in quibus iniectum ſeuum illico dolorem mitigat. Quod
autem permanere quoq; in laborante particula eiuſmodi
humidum expediat, manifeſtum eſt. Siquidem in ijs quæ
in uentre accidũt, per clyſterẽ aſſidue infundere moleſtũ
eſt: in his quæ in oculis, genã attollere. At uero exquiſit⁹
membri ſenſus lene eſſe quod iniicietur, nihilq́ʒ in ſe aſpe
rum ſabuloſumúe habere omnino indicat. Hinc igitur
excogitatum commode eſt, tum humido oui utendum,
tum quæ terrea ocularijs medicamentis miſcenda ſunt,
ea eſſe cum ſumma diligentia ad unguem leuigãda. Quo
ties tamen dolores hijs accidunt uehementes, repetitis
hijs quæ de omnium dolorum generatione accepiſti, diſ
quires quo nam ex his affectu dolere oculos in phlegmo
ne contingat. Nã aut ex uehementis acris cõfluentis hu-
moris roſione, aut quod eorum tunicæ plenitudine di-
ſtendũtur, aut propter craſſorum humorum, flatuoſiúe
ſpiritus extenſionem, uehementes in his excitantur dolo
res. Hactenus Galenus. Huiuſmodi autem oculorum do

lores,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſores, ut Hippocrates libro aphoriſmorum ſexto prodidit, meri potio, aut balneum, aut uenæ ſectio, aut medicamentum epotum, ſoluit. Meri quidem portio, ut in eiuſdem aphoriſmi expoſitione tradit Galenus, ubi ſine plethorica in toto corpore diſpoſitione, ſanguinis copia craſſioris in oculorum uenulis continetur, ipſum diffundendo, & euacuando, ſuiq; motus uehemẽtia obſtructiones aperiẽdo. Balnei uero uſus dolorem ſedat, ubi humores acres ad oculos influunt, citra tamen corporis uniuerſi plenitudinem, quæ nec uinum, nec balneum, ingens citra detrimentum, tolerat. Et hæc fortia ſunt doloris oculorum remedia. Securiſſimum autem fomentum eſt, & omnino aliquam adferens utilitatem, uel tanquã ſignum ad dignotionem, uel tanquam cauſa ſanitatis oculorum. Quando enim nihil omnino influit in oculos, fomẽtum diſſoluens eam quæ in ipſis cõtinetur ſuperfluitatem, eis ſanitatem reſtituit. Adhuc autem influente humore, cum primum adhibetur ſuo calore, uſq; ad aliquid dolorem lenit et leuamen adfert mediocre, ſed paulo poſt dolorem auget, & alteram fluctionem attrahit, ex quo tanquam ſigno dignoſcitiuo qualis nam ſit diſpoſitio certius comprehendendo, ad uniuerſi corporis euacuationem peruenimus, ipſo quidem ſanguine redũdante, per uenę ſectionem, ſed humorum malitia infeſtante, per purgationem: neq; enim difficile admodum eſt diſtinguere alteram ab altera. Demum circa narcothicorum, quibus audaculi ſæpius utuntur, uſum, illud quoq; non omittendum, quod talia, uti Galenus loco iam dicto tradit, ab initio materia exiſtente influxu, ſunt ſuſpecta. Neq; enim uehementes reprimunt fluctiones, ſed excerni prohibent: atq; ideo ſi humores fluentes acres extiterint, corneam erodi contingit: ſi uero multi, magis irritari, ac uehementer extendi, ac ſi rũperetur, ex quibus niſi medicamentũ fuerit uehementer ſtupefaciens, dolores impatibiles excitantur. Si uero fuerit adeo uehementer ſtupefaciens, ut ex eo oculi

Narcothicis et ſtupefacientibus quando utendum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

maximam inflammationem nõ ſentiant, neceſſarium eſt ſimul quidem uim uiſoriam offendi, adeo quod ceſſante inflãmatione, uel debiliter, uel nihil omnino uideant, ſimul autẽ & quandam præduram diſpoſitionem & quæ difficulter ſanari poſſit, in oculorum tunicis derelinqui. Quare cauere oportet, ut Ieſus Hali pręcipit, ab huiuſmodi medicamentis ſtupefacientibus, quia uiſum debilitant & forte deſtruunt. Quemadmodũ contigit duobus Veltkirchij, quos noui, & quos huiuſmodi ſtupefaciẽtibus excęcauerat nobilis quidã impoſtor. Quare talibus nõ utẽdum eſt niſi in forti neceſſitate & in re medica. Maxima enim ſunt oculorũ pernicies, uti therapeutices libro 3. teſtatur Galenus, utpote quæ nulla re alia illius ad præſens leniminis ſpeciẽ pręſtant, quàm quod ipſum ſenſum enecant. Vtendum autem hijs, ut iam dictũ eſt, non niſi cum maxima neceſſitas urget. Illud minime ignorando, particulas ipſas nõ nihil lædendas, imbecillioresq́ in reliquã uitam ex frigore futuras. Cæterum ſaluti hominis in pręſens, ipſam futuram noxam poſthabendo. Siquidem nõ pauci eorum qui his utuntur, eò infirmitatis ueniunt, ut ferè nihil omnino uideant. Itaq; ſi quando cogimur his uti, poſtmodum in ſanitatis tempore, particulas ipſas ex calfacimus oculis collyria quæ tantum excalfaciant infundentes. Vnde Meſue quoq; ait, Si accidit nocumẽtum propter narcothicum, utendum eſt et embrocis ex rebus in quibus ſit uirtus maturans uirtutem narcothici. Vltimo illud etiam non omittendũ, quod medicamenta quę diſtillantur in oculos ſemper actualiter frigida immittenda ſunt, quemadmodum quæ auribus immittuntur, debent eſſe tepida, ut dictũ eſt capite priore.

Ther. lib. 12.

Summa boni eſt.) Inter bona naturæ & corporis nõ eſt maius neq; precioſius quod homini contingere poteſt, quàm oculi ſani & uiſus incolumis, qui ad uitam tranſigendam maximum pręſtant uſum & dulcedinem pręcipuam, uitamq́ à morte diſtinguunt. Cæterũ oculus ipſe nõ tanquã primatum

aliquem

aliquem inter partes obtinens, sed uelut qui purus esse omnino postulet, quo uidelicet probe munus suum obeat, per euidẽtes meatus eijcit, quicquid in eo excrementi gignitur, nempe per nares & genas, ut autor est Galenus de sanitate tuenda libro 1. *Alacres uisus.*) Oculos uegetos & uiuidos, incolumesq́;, qui uisiuę potẽtiæ sunt organũ & instrumentum, quorumq́; permagnus est usus. *Custodes defensoresq́; pericli.*) Stipatores & ministros obseruantes custodiam, ne quid aduersi & nocumenti accidat corpori. Vnde Iesus Hali lib. 1. Vtilitas, inquit, est cõseruare corpus ab occasionibus uenientib⁹ ab extrinseco, & dirigere illud quo uoluerit, & ideo positus est in superiori corporis parte sicut custos uiridarij. Operatio autẽ eius est cognoscere colores & figuras & corpora, & quod est minus & quod est maius, quia est membrum sensibile. Et Auicenna prima tertij, Comparatio, inquit, oculi ad corpus est propinqua comparationi speculatoris ad exercitum, & locorum quidem qui speculatoribus est melior & conuenientior locus est altus. *Prospiciens natura.*) Natura prouidens, & de rebus humanis sollicita, quæ nihil facit frustra, cum in contemplatione naturæ, ut Plin. ait, nihil possit uideri superuacuum. Et Aristoteles polyticorum libro 1. ἡ φύσις, inquit, οὐδὲν ποιεῖ περίεργον οὐδὲ μάταιον. Sed plus utilitatis causa genuit etiam quàm uoluptatis, autore Plinio. *Summa arce.*) Summo corporis loco & capite, quod corporis arx esse dicitur. Vnde etiam in libri procemio dicebat Serenus, Principio celsa de corporis arce loquemur. In alto autem constituti sunt, quod locus eiusmodi custodibus maxime cõueniens sit. Nam qui in sublimi constitutus est, undequaq; imminentia pericula melius præuidere potest. Et oculi custodum uicem gerunt. *Sic tamen ut nullos pat.*) Ea industria ut aduersus occursantia tuti essent. Superne enim superciliis & fronte prominentibus, inferne uero malis protuberantibus tanquam uallo obsepiuntur & sinuosa conualle re-

Oculorum utilitas et operatio

Natura prouidens.

Lib. 11. cap. 2.

Lib. 23. cap. 1.

Arx corporis caput.

Oculi cur in sublimi positi.

conduntur. Vnde Plinius naturalis historiæ libro 11. sic scribit de palpebris: Alia de causa hoc natura dederat ceu uallum quoddam uisus, ac prominens munimentũ contra occursantia animalia aut alia fortituto incidẽtia. *Desuper.*) Superne ab extrinsecus occursantibus. *Ictus.*) Casus & incommoda. *Supercilio.*) Supercilia, inquit Plinius, homini sunt & pariter & alterne mobilia. Et in his pars animi. Negamus, annuimus: hæc maxime indicant fastus. Superbia aliubi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, hic subit, hic pendet. Nihil altius simul abruptiusq́ inuenit in corpore, ubi solitaria esset. Subiacent oculi pars corporis preciosissima, & qui lucis usu uitam distinguant à morte. Hæc Plinius. Oculis autem superposita sunt supercilia, quo humores à capite demanantes aliorsum corriuent, uelut imbricamentum quoddam siue grunda uel γείσωμα: quanquam γείσομ proprie dicitur quod in superciliis prominet. Quod autem à capite ad oculos demanent humores, testis est Galenus de differentiis febrium lib. 2. dicens: Fluctio decumbens oculis, ut omnes concedunt, ab ipso capite decurrit. Et de sanitate tuenda libro 1. ait: Nec absimile est etiam aliquid à cerebro cõfluere ad oculos. Amplius Cilia quæ ab palpebris prominent, creata fuerunt, quo minutarum rerum ad oculos incursum tanquam stipatores quidam repellant, simulq́ uisiuum dirigant spiritum. Palpebræ autem oculorum sunt munimentum & membranæ oculos integentes, ad hoc cõstitutæ & creatæ à natura, ut, autore Auicẽna, expellant quod ad oculũ uolat & descendit ad ipsum de capite, & ut æquent lumẽ sua nigredine. Verum membranas huiusmodi, quas Celsus & Theodorus Gaza palpebras uocant, Plinius genas nuncupat, Græci uero βλέφαρα quasi ὀμματόφυλλα, hoc est, ocularia folia, παρὰ τὸ φάρος καὶ ἱμάτιομ εἶναι τῦ βλέπους, quod oculorum sint indumẽtum. Pilos uero de membranarum extremitatibus ortos, Græci βλεφαρίδας, Plin. palpebras uocat,

Supercilia. Libro. 11.

γείσομ.

Ciliorum ratio

Palpebræ.

βλέφαρα.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uocat, Theodorus uero cilia. Sed Cilium apud Plinium aliud significat. Nā extremū, inquit, ambitū genæ superioris antiqui cilium uocauere, unde & supercilia. *Pauidi.*) Timidi propter palpitationē & nictationē perpetuā, quæ timiditatis nota est, tradēte Aristotele libro priorum analyticorum 2. capite de syllogismo physionomico, dum inquit, Oculi nictantes nigri, ac cæsij, timidum significant. Et Plinius lib. 11. Plerisq; ait, naturale est, ut nutare non cessent, quos pauidiores accepimus. Et mox post, Lubrici sunt, inquit, et mobiles oculi, propter incursantia. *Opaco.*) Denso & umbratili, quod lumen opacitate & pilorum nigricia fouet egregiæ atq; contemperat. *Oculi nictātes.*

Sed dolor immeritum lumen si forte lacessit,
Lana madens oleo noctu connectitur apte,
Viuentisúe nepæ sumen gestatur amictum.

Sed dolor.) Quoniam sæpius in quàm plurimis dispositionibus, adeo uehemens excitatur dolor, ut curā ad se uertat, & affectui summouendo intentos esse non sinat, sed magis de se quàm de affectu ipso sollicitos nos reddat, ideo primum doloris oculorum uehementiam mitigare docet Serenus, ceu priori quoq; capite de aurium dolore fecit, mox ad alias trāsiens dispositiones. Si enim aliquando, Doctore Galeno, occasione aliqua prohibemur, ut affectui summouendo intentos esse non liceat, tunc uehementiam doloris mitigare debemus, ne maius succedat periculum. Dolor enim sæpius fluctiones proritat, & affectus ipsos adauget. *Immeritum.*) Quod nihil mali promeruit, imò quàm optume de nobis meritum est, utpote, quod à plurimis periculis nos defendit ac tuetur, et quod prius etiam dictum est non semel, lucis usu uitam distinguit à morte lumen & oculus. Neq; ulla ex parte maiora indicia animi cunctis animalibus, sed maxime homini, id est, moderationis, clementiæ, misericordiæ, odij, amoris, tristitiæ, lætitæ. Profecto in oculis animus inhabitat: *Oculi animi indices.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ardent,incenduntur,humectant,cohibent:hinc illæ misericordiæ lachrymæ;hos cum osculamur,animũ ipsum uidemur attingere;hinc fletus & rigantes ora riui. Quis ille humor est in dolore tam fœcũdus & paratus? aut ubi reliquo tempore? Animo autem uidemus: animo cernimus. Oculi ceu uasa quædam uisibilem eius partem accipiunt atq; transmittunt. Sic magna cogitatio obcæcat ab ducto intus uisu:autor Plinius. *Lana.*) Aut lota, aut succida. Lota in hoc confert quod materia est recipiendi humorem quando in eo infunditur, humores enim sine adminiculo aliquo minus apte applicari possunt. Verum si lanę facultas non est,linteolo excipi possunt. Nam,ut Celsus inquit, Linteolo an lana excipiatur medicamentum, nihil interest. Succida autem prodest, quia sordium ratione ad penetrationem faciliorem facit, & oculis contra inflammationes utilissima, doloresq; mitigans. Et hac etiam Plinius uti docet,qui oleo uinum etiam addit, dum infit: Superimponi oportet lanam succidam ex oleo et uino. *Connectitur apte.*) Commode,rite & conuenienter uti decet annectitur & superimponitur, extra quidem clausis palpebris,non autem intra oculos, potius enim obesset quã prodesset,si intra ipsos mitteretur. *Viuentis.*) Ad differentiam signi cœlestis hoc ponitur, quod inanime est,& nepa etiam dicitur. Columella, Sed trepidus profugit chelas & spicula phœbus Dira nepę. *Nepæ.*) Nepa scorpium significat. Cicero de finibus libro 5. Serpere anguiculos,natare anaticulas,uolare merulas,cornibus uti uideas boues, nepas aculeis, suam cuiq; naturam esse ad uiuendum ducem. Plautus item in Cassina, Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam. Est autem duplex scorpius,terrestris, & marinus,qui piscis est, & cuius fel oculorum suffusionibus,alburginibus & hebetibus oculis utile est,autore Dioscoride. *Sumen.*) Plinius in historia naturæ libro 11. Sumen, inquit, quod antiqui abdomen uocabant. Abdomen autem uentris pars est, quę ab umbilico

Lana lota, succida.

Nepa. Scorpius.

Sumen. Abdomen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

umbilico ad inguina inter cartilaginem & pellem ducitur: ut ex Celso colligitur libro 7. dum infit, Interdum enim uel ex ictu aliquo uel retento diutius spiritu uel sub graui fasce interior abdominis membrana superiore cute integra rumpitur. Item libro 4. Ab ilijs ac pube abdomen sursum uersus ad præcordia peruenit, ab exteriore parte euidenti cute, ab interiore leui membrana inclusum, quæ omento iungitur. Verum per suminis adiectionem intelligi datur, quod nepa hic pro scorpio accipi debet pisce, cuius sumen et ipsius pingue oculis superimpositum, dolores eorum medicatur. *Amictum.*) Circundatũ, circunligatum & superimpositum.

Ex folio caulis cineres, confractaq; thura,
Et laticem Bacchi, fœtæ cum lacte capellæ
Desuper induces atq; una nocte probabis.

Ex folio cineres.) Quod hic de foliorum Serenus, id de sti- *Cinis caulium.*
pitum cinere prodit Auicenna dicens, Cinis quidem stipitum eius est fortis exiccationis, et habet proprietatem in sedando dolorem. *Caulis.*) Caulis dicitur in herbis *Caulis.*
robur ipsum siue stipes, sæpius tamen ob sui caulis ac *Braßica.*
thyrsi magnitudinem pro brassica sumitur: quæ omnibus oleribus, ut Cato dicit, antistat, & ad salutem temperat comesta sese semper cum calore, & rigore arido, simul et humido, & dulci, & amaro, et acri. Tria earum genera, Prima est leuis, quæ nominatur λεία, grandibus & latis folijs, caule magno: ualidam hæc habet naturam, & uim magnam habet. Altera est crispa, quæ à similitudine apij, σελινοειδὴς uocatur: hęc est & aspectu, & natura bona ad curationem, ualidiorq; est quàm quę suprascripta est. Item est tertia, quæ κράμβη uocatur, minutis caulibus, tenuioribus folijs, & acerrima omnium est istarum, tenui succo uehementissima. Et primum scito, de omnibus brassicis nulla est illiusmodi medicamentosior. Et hæc brassicę genera sunt à Catone relata. Est autem peculiaris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Brassica uino aduersa.

quædam uis illi cõtra uina. Nam, ut Dioscorides tradit, ebrietatis & crapulæ noxas tollit brassica à cibo sumpta: imò & Plinius historiæ naturalis libro 20. Græcorum opiniones referẽs, scribit brassicam uino aduersari, ut inimicam uitibus: antecedente quidem in cibis, caueri ebrietatem: postea sumpta, crapulam discuti. Vnde M. Cato, Si uoles, inquit, in conuiuio multum bibere, cœnareq́; libenter, ante cœnam esto crudam quantum uoles ex aceto. Et item, ubi cœnaueris, comesto alia quinq; folia, reddent te quasi nihil ederis, biberisq́;, bibesq́; quantum uoles. Cuius quidem rei rationem uel ex Aristotele colligere licet, sic enim in problematis tradit: Crapulam sedat brassica, quoniam frigida sit, & succum habeat dulcem et discutientem: unde fit, ut succus eius uinosos ac crudos humores in aluum detrahat, & ui sua diuretica tenues ad urinæ meatus perducat, ipsa uero superius in uentriculo remanens, corpus refrigeret. Quo fit, ut humoribus utrinq; deductis, & refrigerato corpore ac euidente facta discussione, crapula cesset. Amplius de brassica scribit Plinius libro 19. cap. 8. quod cum ipsa corrumpatur in dolio uini sapor, odore betæ folijs demersis restituitur. Item libro 17. cap. 24. idem sic scribit, Quorundam natura non necat quidem, sed lædit odore, aut succi mixtura, ut raphanus & laurus uitem. Olfactrix enim intelligitur, & tangi eam odore mirum in modum. Ideoq́;, cum iuxta sit, auerti & recedere, saporemq́; inimicum fugere. Hinc sumpsit Androcydes medicinam, contra ebrietates raphanum mandi præcipiens. Vbi per raphanum brassica intelligitur, quod uel hinc manifestum est, quod ea quæ Plinius scribit, transumpta sunt ex Theophrasti de historijs libro 4. circa finem: ubi raphanum ille quoq; nominat, sed ita, ut brassicam intelligat: cui etiam interpres Theodorus astipulatur, uti in lectionibus antiquis annotauit Cælius. Et idem quod raphanus sit brassica, testatur Iulius Pollux libro 6. dum ait: Raphanus est crambe,

Raphanus pro brassica apud ueteres.

hoc

hoc eſt, braſſica. Item Ariſtoteles in de animalibus libro quinto ſic ait, ῥάφανος, ἣν καλοῦσι τινὲς κράμβην, id eſt, raphanus, quam uocant nonnulli cramben. Mos autem eſt Plinio frequens, uti etiam Nicolaus Leonicenus annotauit, ut res eaſdem nunc Græcis, nunc Latinis appellet nominibus, ut paulo imperitioribus uideri poſſint diuerſæ. Et quamuis ita ſit quod raphanus apud antiquiores Græcos cramben id eſt braſſicam ſignificet, posteriores tamen tum Græci tum Latini radicem quæ comeditur per raphanum intelligunt, quam Celſus radiculam uocat. Porrò apud Atticos, ut Heſychius ſcribit, differũt ῥαφανὶς rhaphanis, & ῥάφανος rhaphanus: hoc enim crambe eſt, illud uero apud nos raphanus. Tryphon ait apud Dores paruas, rhaphanidas dici, magnas uero rhaphas. Demum raphanum à braſſica diuerſum etiam facit Palladius libro nono cap. quinto. Et nihilo ſecius utrunque uitibus aduerſari, dum ait: Rhaphanum tamen, ſicut braſſicam, conſtat eſſe uitibus inimicum. Nam ſi circa ſe ſerantur, natura diſcordante refugiunt. Præterea ut illud etiam addamus, Solebat antiquitus, ut Suidas ſcribit, in cõuiuijs adhiberi crambe, ſed recocta adeo nauſeã adferre, ut Græcis in faſtidij prouerbiũ abierit. Quoties enim rem iterum atque iterum repetitam non ſine moleſtia ſignificabant, dicebant, Δὶς κράμβη θάνατος, id eſt, bis crambe mors, de quo copioſius Germaniæ noſtræ decus Eraſmus ille in adagiorũ chiliade prima, cẽturia quinta. Demum ſunt in braſſica cymę ſiue cymata, teneriores coliculi, quos appetente uere in prima florum germinatione & in ſumma ſtirpe profert braſſica, Græci κύημα cyema dicunt, in quo floris primũ, mox ſeminis fœtus clauditur. Theophraſtus libro 7. de plantis, ὅτι τὸ κύημά καὶ ἐν ᾧ τὸ ἄνθος ἢ καὶ ὁ καρπὸς, id eſt, cyema & in quo flos aut & ſemen. Plinius lib. 19. cap. 8. Cyma, inquit, à prima ſectione præſtat proximo uere: hic eſt quidam ipſorũ caulium delicatior teneriorq́ꝫ cauliculus Apitij luxuria. Et pereũ

Raphanus pro radicula apud poſteriores.
Raphanus.
Raphanis.
Raphanides.
Raphæ.
Cymæ.
Cymata.
Κύημα.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Thus. Druſo Cæſari blanditus nõ ſine caſtigatione Tiberij patris. *Confracta thura.*) Thus ſubtiliſſime puluerisatum, adeo ut nihil aſpredinis in ipſo reliquatur. Poteſt aũt thus omnia hæc, teſtante Dioſcoride: calefacit, adſtringit, purgat quæ claritati oculorum officiunt: concaua explet ulcera, & ad cicatricem perducit. Idem tradit Ieſus Hali dicens, Thus calidũ & ſiccum eſt ac ſtipticum, diſſoluit materiam groſſam de ulceribus oculi, & abſtergit ea, & implet ulcera concaua, & ſigillat ea, & enudat faciem pupillæ. Vnde Galenus etiam therapeutices libro 5. Collyrium quod ex thure cõficitur, exulcerato oculo expedire ſcribit. Ad quorum omnium ſanationem, doloris ſequitur mitigatio. *Laticem Bacchi.*) Vinum quod doloris mitigatiuum eſt, & ut Ieſus inquit, oculum confortat & diſſoluit humores craſſos uiſcoſos. Bacchus autem pro uino accipitur, quoniam Iouis & Semeles filius uini repertor & Deus habitus eſt. Martialis in xenijs: Nomentana meum tibi dat uindemia Bacchũ. Dictus eſt autem Bacchus, uti ab Euſtathio ſcribit, ἀπὸ τοῦ βαχεῖν ab incondito ululatu, quo furentes bacchæ perſonãt. Poſtea quo tetri & immanioris ſoni fieret expreſſio, inſerta eſt litera K, quemadmodũ ex iacho quoq; iacchus factus eſſe uidetur. *Fœtæ.*) Fœtu liberatę et exoneratę atq; enixæ. *Lacte capellæ.*) Auicẽna canonis libro 2. de lacte ſic ſcribit: Lac facit euenire tenebroſitatem uiſus & caliginem, ueruntamen cum mulgetur in oculo confert ophthalmiæ & nocumento materierum calidarum effuſarum ad oculum & aſperitati. Eſt enim, ut idẽ alibi fen tertia tertij tractatu 1. cap. 4. tradit, medicina oculi leniens. Et iterum capite 9. Quandoq;, ait, adminiſtrantur in ea glutinatiuã & commenſuratiua materierum acutarũ, & genera lactis ſunt ex ſumma eorum: & non eſt cõueniens ut dimittatur diſtillatio eius in oculo tempore longo, imò oportet ut remoueatur, et remouet oĩ hora. Itẽ, oportet ut oculus aſſidue mũdificetur à lippitudine ex lacte diſtillato in ipſum.

Vinum.

Bacchus.

Lac.

Nam

Nam in lippitudinis mūdificatione est doloris alleuiatio & abstersio oculi, & medicinis adest possibilitas operandi. Iesus itē Hali: Lac refrigerat, & in eo est abstersio propter aquositatem eius. Et quamuis in summa, omnes species lactis, ut scribit Auerrois, ualent ophthalmiæ oculorum quę accidit ex rheumate calido, maxime tamē quod facit ad oculos est lac mulieris, & lac capræ, ut autor est Canamusali. Et de hominis lacte dicit Diosco. quod addito thure cruentis ex ictu oculis instillatur. *Lac humanum, caprinum.*

Hyblæi mellis succi cum felle caprino
Subueniunt oculis dira caligine pressis.
Vettonicæ mansus siccabit lumina succus.

Hyblæi mellis succi.) Hoc est, mel ipsum quod succosum est & liquidum, idq; Hyblæum quod post Atticum primam bonitatis laudem habet. Nam, ut Dioscorides refert, Primam bonitatis æstimationem habet mel Atticum, & in hoc quod ab Hymeto eius regionis monte Hymetion appellant. Probatur deinde ex Cycladibus insulis: & ex Sicilia, quod Hyblęum ab insulę eius ciuitate Hybla dicunt. Idem testatur etiā Plin. natura. historiæ libr. 11. cap. 13. Ibi optimum semper, ubi optimorum doliolis florum cōditur, Atticę regionis hoc & Siculæ, Hymeto et Hybla ab locis. Meminit utriusq; etiam Martialis libro 13. Cum dederis Siculos medijs de collibus Hyblæ, Cecropios dicas tu licet esse fauos. Laudantur autem huiusmodi mella maxime propter thymum, quo his locis pastæ apes mel optimum conficiunt. Nam, ut Columella rei rusticæ lib. 9. tradit, Saporis pręcipui mella reddit thymus. Vnde Plinius lib. 21. cap. 10. Mellis, inquit, Attici in toto orbe summa laus existimatur propter thymum. Et Varro rei rusticæ lib. 3. Aptissimum, ait, ad mellificium thymum: propter quod Siculum mel fert palmam, quod ibi thymum bonum & frequens est. Itaq; quidam thymum contun- *Mel & eius genera.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

duntin pila, & diluunt in aqua tepida, ea conſpergunt omnia ſeminaria conſita apium cauſa. Cęterum quod ad mellis bonitatem adhuc attinet: Probatius in omni genere, ut Dioſcorides tradit, quod dulcius, odoratius, acre, colore rutilo, non liquidum, ſed ponderoſum firmumq́ eſt, & quod tractum digitos ſequaci lentore ſequitur. Adhæc primam habet bonitatis æſtimationem mel uernum, ſecundum æſtiuum, hyemale quia craſſius ideo deterius, ceragini faciendæ aptius. Vis melli & natura exterere, aperire, & humores in ſummum proritare. Purgat quæ claritati oculorum officiunt. Et, ut Auicenna dicit, Mel uiſus tenebroſitatem abſtergit. Ieſus item Hali, Mel, inquit, utile eſt principio aquæ & obſcuritatibus. *Felle caprino.*) Idem teſtatur Auicenna, dicens: Omne fel confert obſcuritati uiſus, & fel caprinum confert cæcitati, & maxime admixto melle. Celſus libro 6. eiſdem cōtra aſpredines uti docet inquiens, Si compoſita medicamenta nō adſunt, felle caprino, uel quàm optimo melle ſatis commode aſpritudo curatur. Et Plinius libro 28. aliorum ſententiam referens ait, Fel caprinum pluribus modis aſſumunt cum melle cōtra caligines. Sed Dioſcorides contra oculorum uitia uim hanc felli ſylueſtris capræ tribuit, dicēs: Sylueſtris capræ fel incipientibus oculorum ſuffuſionibus, caliginibus, albuginibus & ſcabris palpebris priuatim confert, et luſcioſos inunctum ſanat. Sextus Platonicus item: Ad caliginem oculorum, Fel capreæ (quę ſylueſtris capra eſt) cum melle Attico mixtum inunges, caliginem potenter diſcutit & claritatem præſtat. Et ex hijs autoritatibus manifeſto apparet, capris fel eſſe, quod & rei ueritas comprobat: quamuis Plinius naturalis hiſtoriæ libro 11. cap. 37. dicat, Equi, muli, aſini, cerui, capræ, apri, cameli, delphini non habent fel. Quod autem hoc loco equis etiam fel adimit, in hoc alibi ſe etiā coarguit. Nam libro 28. cap. 9. Sic ſcribit: Damnatur fel equinum tantum inter uenena. Ideo flamini ſacrorum

Fel capræ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

equum tangere non licet cũ Romæ publicis sacris equus etiam immoletur. *Caligine pressis.*) Caligantibus. Solent autem, ut Celsus tradit, caligare oculi, nonnunquam ex lippitudine, nonnuquam etiam sine hac propter senectutem imbecillitatemúe aliam. *Vetonicæ.*) Vetonica herba est nota, quã describit Diosco. lib. 4. cap. 1. & Plin. libr. 25. cap. 8. ubi etiã ait, Folia siccantur in farinã plurimos ad usus. Fit uinũ ex ea & acetũ stomacho & claritati oculorũ. Tantumq; gloriæ habet, ut domus in qua sata sit, tuta existimetur à piaculis omnibus. Quod aũt folia ferè lapathi serrata habere scribit, aut mendũ est eo loci, aut quod uerisimile uidetur, alteram betonicam, quæ alio nomine britannica appellatur pro hac pinxit. Nam Dioscorides britannicam folia lapathi, betonicam uero folia quernis similia habere tradit. Idemq; de uetonica testatur Augusti medicus insignis & archiatrus Antonius Musa in libello de hac edito & à nobis nuper recognito & emendato: Et quod plus est, ambobus sensus etiã astipulatur. Sed Musam audiamus, qui post multiplices ipsius apud diuersas gentes appellationes de ipsa sic scribit: Herba uetonica nascitur in pratis & montuosis locis, mundis & opacis circa frutices. Animas hominum et corpora custodit, & nocturnas ambulationes à maleficijs & periculis, & loca sancta & busta etiam à uisibus metuendis tuetur & defendit, & omni rei sancta est. Cestron uocatur etiam psychotrophon, siquidem frigidis repperitur in locis, radicibus tenuibus, thyrso tenui ultra cubitum quadrangulo, folijs querci similibus, boni odoris, semine in summitate thyrsi spicato, modo thymbræ. Hactenus Musa, qui etiam de uirtutibus eius quatenus oculis prodest sic scribit: Ad dolores oculorum. Herbæ uetonicæ radices ex aqua ad tertias coquito, & ex ea aqua oculos foueto: Ipsa autem folia eius trita supra frontem & oculos imponito. Item ad caligines oculorum: Vetonicæ drachmam unam, aquæ calidæ cyathos 4. ieiunus bibat: deducit ad

Caliginis oculorum causæ.

Vetonica.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

inferiorem partem eum sanguinem qui caliginem oculorum facit. Item ad lachrymosos oculos: Vetonica manducata aciem oculorum clariorē facit. *Siccabit.*) Per hoc dat nobis intelligere quod medicina hæc ualet contra caliginē quę ex lippitudine nascitur. *Lumina.*) Oculos lachrymosos & lippientes atq; ex lippitudine caligantes.

Si tenebras oculis obducit pigra senectus,
Expressæ marathro guttæ cum melle liquenti
Detergere malum poterunt, uel uulturis atri
Fella, chelidonio fuerint quæ gramine mixta.
Hæc etiam annosis poterunt succurrere morbis.

Tenebras obducit.) Caliginem & uisus obscuritatem inducit, ac si tunicula quædam & uelamen obuolutum & superpositum sit. *Pigra senectus.*) Oculos propter senectutem aliquādo caligare, dictum iam est ex Celsi sententia. *Senectus pigra.* Dicitur autē pigra senectus, hoc est, tarda & multos post annos adueniens, aut quia pigri lassiq; sunt ad obeunda corporis munia senes. *Expressæ marathro guttæ.*) Succus fœniculi expressus. *Marathron.* *Fœniculum.* μάραθρον Grȩce, Latine fœniculus est: de quo in historia naturæ libro 20. cap. 23. Plinius sic scribit: Fœniculum nobilitauere serpētes, gustatu senectam exuendo, oculorumq; aciem succo eius reficiendo: unde intellectum est hominum quoq; caliginē præcipue eo releuari. Colligitur hoc, caule turgescente. In sole siccatur. Inungitur ex melle. Dioscorides itē, Ex folijs, inquit, & caulibus expressus tum in sole siccatus succus, oculorum medicinæ & remedijs utilis quæcunq; ad eorum claritatem conficiuntur. Exprimitur & ex uiridi semine succus cum folijs ramulisq; ad eadem omnia. Radix præterea eodem modo in prima foliorū germinatione exprimitur. In occidentali Hiberia gumi similem ex se liquorē mittit fœniculum: medium cum floret demetentibus incolis caulem, ignique admouentibus, ut ui caloris ueluti exsudatū gumi illud ex se mittat. Estq; in oculorū medicina multo quàm

succus liquor hic efficacior. Hæc ille. Sed, ut Mesue tradit
ex autoritate Democriti, Fœniculum secundum omnem
administrationis modum oculum detergit & uisum cla-
riorem facit. Est enim ex rebus, autore Auicēna, quarum
usus confert oculo & conseruat uirtutem eius, quare fa-
cere collyrium omni hora ex aqua fœniculi, est mirabile
& magni iuuamenti. Item ad caligationem oculorum, ex
sententia Pauli Aeginetæ, mirifice prodest, si perpetuo
mēse quottidie huiuscemodi aqua oculis instilletur, quæ
quidem sic præparanda est: In uas fictile extrinsecus pice
illitum, fœniculum uirentem, aquamq́ pluuialem iniice,
deinde extracto fœniculo, quod reliquum est, seruato.
Liquenti.) Puro & defecato. Vergilius lib. 4. Georgicon:
Dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum Et li-
quida. *Vulturis fella.*) Qualis auis sit uultur, dicetur infe- *Fel uulturis.*
rius cap. 45. Nunc quam prȩstet oculis medicinam ex alio
rum autoritate solū dicemus. Vnde Auicēna fen tertia ter
tij de cura debilitatis uisus, Ex fellibus, inquit, conferenti
bus cum sunt singularia, est sicut fel uulturis: & ex iuuati
uis cum hoc est chelidonia. Sed Sextus Platonicus, mar-
rubij non chelidoniæ succum commiscet, dum inquit:
Vulturis fel cum succo marrubij, omnem caliginem di-
scutit, incipientem suffusionem pariter insistit. Plinius ue *Plinij locus*
ro porri succum cum modico mellis, dicens: Eadem uis *animaduersus.*
& in uulturino felle est cum porri succo & melle exiguo.
Vbi quidem porri loco marrubiū potius ponere debuis-
set Plinius. Nanq; medicamentum hoc, sicuti etiam ple-
raq; alia, ex Græcis tralatum censeo, apud quos quia uici
na sunt nomina, porrum atq; marrubium significantia,
ipse alterum pro altero exposuit, uti sæpe etiam aliâs facit,
nominum uicinitate deceptus. Apud Græcos autem *πράσον, por-*
πράσον est & πράσιον, quorum hoc marrubium, illud *rum.*
porrum significat. Quod autem marrubium oculis con- *πράσιον, mar*
ferat, dictum iam est ex Sexti Platonici autoritate, et idem *rubium.*
Diosco. etiā testatur dicēs: Marrubij succus siccatus, melle

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

& uino addito caliginem oculorũ detergit. Et Auicenna, Succus eius cum melle est conueniens ad acuendum uisum. De porro autem hanc uim non inuenio scriptã, sed bene quod oculis noceat & uisui. *Atri.*) Nigri, cuius uis minus uehemens est, autore Plinio lib. 29. cap. 4. dum inquit, Annotandum quoq; minus uirium esse nigris pennarum. Dictum est autem prius, ocularia medicamenta uirtutis esse debere non nimis acutæ aut uehementis, ne nocumento sint potius quàm iuuamento. *Chelidonio gramine.*) Succo foliorum chelidoniæ: quam hirundines monstrauere. Plinius libro 25. cap. 8. Animalia quoq; inuenere herbas, in primisq́ chelidoniam: hac enim hirundines oculis pullorum in nido restituunt uisum, ut quidam uolunt etiam erutis oculis. Genera eius duo: florent aduentu hirundinum, discessu marcescunt: florentibus succus exprimitur, & in æreo uase cũ melle Attico leniter cinere feruenti decoquitur, singulari remedio contra caligines oculorum. Vtuntur & per se succo in collyrijs, quæ chelidonia appellantur ab ea. Dioscorides, Prodest oculorum claritati maioris chelidonij herbæ succus in æneo uase in carbonibus addito melle decoctus. Exprimitur autem succus ex folijs, radicibus, et caule incipiente æstate, siccatusq́ in umbra conformatur in pastillos. *Hæc.*) Iam dicta. *Annosis.*) Inueteratis nedũ recentibus.

Chelidonia.

Fel quoq; de gallo mollitum simplice lympha
Exacuit puros dempta caligine uisus,
Siue columbarum fimus miscetur aceto,
Seu fel perdicis parili cum pondere mellis,
Vina chelidoniæ simili ratione iugantur,
Efficiuntq́ suo præclaros unguine uisus,
Aspera quin etiam mulcent & rupta reducunt.

Fel galli.

Fel de gallo.) Auerrois Colliget sui libro 5. Fella ponuntur in collyrijs quæ faciunt abstersionem, & proprie uolucrum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

crum fella, & est necesse eligere fella animalium quæ non sunt infirma, & fella marium, & quod plus quæritur in medicinis est fel galli ueteris. Pli. lib. 29. c. 6. Vis est in gallinacei felle alligato ad argema & ad albugines ex aqua diluto: itē ad suffusiones oculorū maxime cādidi gallinacei. *Mollitum.*) Remollitū, dilutum & resolutum. *Simplice lympha.*) Aqua communi pura, cui nihil alieni admixtū est, in qua ocularia medicamēta dissoluere possumus si alius non assit humor. Vnde Celsus ait: Quotiescunq; non adijcio quod genus humoris adijciendum sit, aquam intelligi uolo. *Columbarum fimus.*) Præcipue si adsit fistula seu albugo aut cicatrix et altarfati, ut uocat Auicenna, qui tertia tertij sic ait, Fit emplastrum de foris ex stercore columbino cum aceto aut uino. Et Plinius, Fimus columbarum ex aceto ad Aegilopas, similiter & ad albugines & cicatrices. *Fel perdicis.*) Plinius historiæ suæ libro 29. cap. 6. Laudatur oculis contusis fel perdicum cum mellis ęquo pondere, per se uero ad claritatem. *Aspera mulcent.*) Ponit dictorum medicamentorum uirtutes, quæ sunt aspredines lenire & scabricies leuare, ac ruptas partes unire & sanare. Vbi illud sciēdum est quod Celsus scribit, scilicet, Vbi medicamenta composita non fuerint, scabros angulos leuant & mel & uinū. Succurritq; & his & aridę lippitudini si quis panem ex uino subactum super oculum imponit. Nam cum ferè sit humor aliquis qui modo ipsum oculum, modo angulos aut palpebras exasperat: sic & si quid prodit humoris, extrahitur: & si quid iuxta est, repellitur.

Aqua.

Fimus columbarum.

Fel perdicis.

Si genus est morbi miserum quod lumen adurit,
Hic calor infuso mitescet lacte canino.
Anguibus ereptos adipes erugine misce,
Hi poterunt ruptas oculorum iungere partes.

Si genus est mor.) Hoc est, si morbus est calidus & adurens, qualis est phlegmon & inflammatio oculorum, quæ in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

gens aliquando tanto impetu erumpit, autore Celso lib. sexti capite sexto, ut oculos sua sede propellat: πρόπτωσιν id, quoniam oculi procidunt, Græci appellant. Solent etiã Carbunculi ex inflammatione nasci, nonnunquam in ipsis oculis, nonnunquam in palpebris, & in hijs ipsis modo ab interiore, modo ab exteriore. Pustullæ quoq; ex inflammationibus interdum oriuntur: & ex pustulis ulcera interdũ fiunt. *Lacte canino.*) Imò & alio quocunq; lacte. Refrigerat enim lac omne & lenit inflammationes. Celsus: Quo grauior quæq; inflammatio, eo magis leniri medicamentum debet, adiecto uel albo oui uel muliebri lacte. At si neq; medicus neq; medicamentum præsto est, sæpius utrumlibet horum in oculis penicillo ad id ipsum facto infusum id malum lenit. Auicenna libro 2. Lac cum mulgetur in oculo, confert ophthalmiæ & nocumẽto materierum calidarum effusarum ad oculum & asperitati. Idem tertia tertij: Lactis genera sunt ex summa eorum quæ materierum acutarum sunt commẽsuratiua. *Anguibus erep. adipes.*) Plinius libro 29. cap. 6. Anguium adeps ærugini mixtus, ruptas oculorum partes sanat. Et membrana siue earum senectus uernatione exuta, si adfricetur, claritatem oculorum facit. Dioscorides aliud ex uiperino adipe conficit medicamentum hoc pacto: Adeps uiperæ contra hebetes oculos, eorumq́; suffusiones efficax est, admixtis illi cedrino liquore, Attico melle, ueterEq́; oleo, & omnium pari portione. *Aerugine.*) Aerugo ab rubigine differt, quoniam rubigo proprie ferri est et segetum. Plinius libro 18. cap. 17. Cæleste frugum uinearumq́; malũ nullo minus noxiũ est rubigo. Moxq́; post, Rubigo, inquit, maxima segetum pestis. Et lib. 34. cap. 15. A rubigine uindicatur ferrum cerusa & gypso & liquida pice. Aerugo autem æris est & argenti: sed alterum pro altero nõnunquam accipitur: quod uel hac Plinij libro iam dicto sententia colligitur, dum infit: Aera extersa rubiginẽ celerius trahunt, quàm neglecta, nisi oleo perungantur.

πρόπτωσις.
Lac caninum.
Adeps anguiũ.
Aerugo.
Rubigo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

gantur. Serenus æris æruginem intelligit, quæ ad oculos medicam uim in se habet. Nam uis illi sicca, adstringens & consolidans. Quin & in æris fodinis immorantium eruentiumq́ oculi à uapore exhalante iuuãtur eximie. Oculos enim contingens uapor occulte rheumata sistit & fluctiones, lachrymasq́ manãtes retundit. Quod si uapor id agit, quãto magis æs ipsum & ærugo eius: cuius quoq; magn⁹ est usus, sed pluribus fit ea modis, quos Plin. describit lib. 34. cap. 11. & Dioscor. lib. 5. cap. 47. Lauatur aũt ærugo, ut Plin. tradit, sicut cadmia. Vis eius collyriis oculorũ aptissima, & delachrymationibus mordẽdo proficiens. Sed ablui necessariũ penicillis calidis donec rodere desinat. Cruda autem ærugo uulnerariis emplastris miscetur. Potest autem ærugo omnis, ut tradit Dioscorides, adstringere, calefacere, oculorum cicatrices exterere & extenuare, lachrymas ducere, quę pascendo serpunt sistere, uulnerum inflãmationes arcere, & uulnera cum cera & oleo ad cicatricem perducere.

Si uero horrendũ ducent glaucomata plumbum,
Spiritus alterius prodest, qui grana cumini
Pallentis mandens uisus exhalat in ipsos.
Si tumor insolitus tusis & duror inhæret
Turgentes oculos uili circumline cœno.

Horrendum.) Horridum, deforme & propter curę difficultatem pertimescendum, maxime si inueterauerit. Nam, ut Celsus dicit, Suffusio quam Græci hypochysin nominant, interdũ oculi potẽtiæ qua cernit se opponit. Quod si inueterauerit, manu curandum est. Inter initia nõnunquam etiã certis obseruationibus discutitur. *Glaucomata.)* Glaucoma oculorũ uitium est, quo uisus impeditur aut saltem uidendi perspicua claritas, & in pupilla concipitur. Celsus Suffusionem appellat, Græci Hypochysin. Porrò recentiores medici hæc ab inuicem discriminant: & glaucoma uocant lęsionem humoris crystallini, ubi in *Glaucoma. Hypochysis. Suffusio oculorum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

glaucam demutatur qualitatem: hoc est, uti autor Libri definitionum dicit, Glaucoma est oculi uitium & naturalis humoris in glaucum colorem mutatio: &, ut in Isagoge scribitur, crystallini humoris in glaucum & aquosum colorem mutatio. Hypochyma uero siue suffusionem dicunt humoris inter corneam & crystallinam portionem statuti, concretionem & gelationem. Vnde Paulus Aegineta dicit antiquos glaucomata & hypochymata unũ & idem mali genus esse existimasse: posteriores aũt Glaucomata tantum dixisse crystallini humoris in oculo uitia ex humiditate in glaucum colorem transeuntia, Hypochymata uero humorum suffusionem, qui inter corneam & crystallinam concrescentes uisum impediant: additq́ incurabilia esse glaucomata omnia, suffusiones uero curari sed nõ omnes. Fiunt autẽ uitia hæc ob frigiditatem aut infirmitatem spiritus quo uisus peragitur. Ideoq́ senibus, aut post longam ualetudinem frequentius accidunt. Sed de his satis. *Plumbum.*) Plumbũ oculorum uitium est. Plinius libro historie naturalis 25. cap. 11. Nascitur uulgo molibdena, id est plũbago, etiã in aruo, folio lapathi, crassa radice hispida. Hæc commanducata, si oculis subinde religatur, plumbum, quod est genus uitij, ex oculis tolit. Poteris autem per plumbum utranque speciem intelligere, tum crystalini læsionem, ubi in glaucũ demutatur colorem, tũ humoris inter corneam & crystalinam siti congelationem: hanc quidem propter substantiæ plumbi, illam uero propter coloris similitudinem quandã: huiusmodi enim uitij ceu plumbi color est, glaucus à Græcis uocatus. Vnde & γλαύκωσις, glaucosis id uitium. Latini Cæsium dicũt, à colore cæli quasi Cælium. De quo plura A. Gellius Atti. noctium libro 2. Cæterum scriptus codex habet peplum, id est, pellem & tuniculam. *Spiritus.*) Halitus, & insufflatio. *Grana.*) Semen, quo maxime utimur in usu medico. *Cymini.*) Dioscorides, Ori gratum & suaue est Cyminum: &, ut Plinius

Plumbum oculorum uitium.

Plumbago siue molibdena herba.

Glaucus color.
Cæsius.
Glaucosis.

Lib. 19. cap. 8.
Cyminum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

nius dicit, condimentorum ac omnium fastidijs amicissimum. Vis illi calefaciens & desiccans discutiensq́ꝫ: uarijs oculorum uitijs & uarie etiam approximatum utilissimum. *Pallentis.*) Ab effectu. Pallorem enim inducit corpori potum inunctúmue, autore Dioscoride. Plinius lib. 20. Veruntamẽ omnem pallorem bibentibus gignit. Ita certe ferunt Portij Latronis clari inter magistros dicendi adsectores similitudinem coloris studijs contra æmulos imitatos: Et paulo ante Iulium Vindicem adsectorem illum à Nerone libertatis captatione testamentis sic lenocinatum. *Duror.*) Duricies & tumor durus. *Turgentes.*) Tumidos siue cum duricie siue citra ipsam fuerint. *Vili cœno.*) Terra & luto communi quo figuli ad figlina conficienda utũtur, et testis ollarum nouarum siccarum non coctarum, quæ autore Iesu Hali, desiccant, abstergunt & confortant. Et hoc est quod absolute lutum dicitur uirtutis refrigerantis & desiccantis, glutinantisq́ꝫ, autore Dioscoride. Nullamq́ꝫ erodendi uim habet, nisi mixtam sibi aliam & feruidam habuerit qualitatem, quæ tamen lotura aufertur. Nihil autem refert siue lutum siue terram appellaueris.

Cap. 14.
Cyminum pallens.
Lutum commune.

DENTIVM VITIO ET ORIS FOETORI MEDENDO.

CAPVT XIIII.

HAVD facile est acrem dentis tolerare dolorem,
Quo magis est æquum medicã pernoscere curam.

DENTIVM *uitio.*) Per dentium uitia Serenus aliarum etiam oris partium uitia intelligit. Dentium autem uitia sunt corrosio, commotio, fœda coloris mutatio, sordes adhęrentes, quibus aliquãdo fœtor accedit & dolor, de quo quæ-

Dentium uitia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſtio eſt, an propriæ ſubſtantiȩ ratione doleant dentes nec ne: de qua re uide Auicennam fen prima primi, doctrina 5, ſumma 1, cap. 5. Et ſeptima tertij cap. 1, & 4. Gignuntur autem dentes ultimo loco, ut tradit Hippocrates in libro de carnibus, quod de capitis oſſibus, maxillarumque pinguis glutinoſi quod ineſt, incrementum fit & augetur, caloreque ſiccescit, peruritur, & abſumitur: dentesque redduntur duriores & denſiores quàm cȩtera oſſa, quod in his nihil frigidi ineſt. Sunt autem à ſummo rerum opifice homini contributi tum loquutionis, quo exactior literarum fiat enunciatio, tum cibi molliendi, quȩ digeſtionum prima aut digeſtionis initium eſt, cauſa: ut Auerrois ſentit qui ſui Colliget libro 2, ſic ait: Propter cibi maſticationem poſiti fuerunt dentes, ut faciant ad hoc conueniens præparamentum: dentes quidem anteriores ut incidant, maxillares ut frangāt, molares ut molant. Et ſcias quod in ore eſt aliquantula digeſtio. Dentium autem, ut ſcribit Plinius libro 11. qui digerunt cibum, lati & acuti: qui conficiunt, duplices: qui diſcriminant eos, canini appellantur. Nec cibo tantum & alimentis neceſſarij ſunt in homine, quippe uocis ſermonisque regimen primores tenent, concentu quodam excipientes ictum linguæ, ſeriemque ſtructuræ, atque magnitudine mutilantes, molientésue aut hebetantes uerba: & cum defluxere explanationem omnem adimentes. Cæterum editis primores ſeptimo menſe gigni dentes, priusque in ſupera ferè parte haud dubium eſt: ſeptimo eoſdem decidere anno, aliosque ſuffici. Sunt autem in homine dentes numero triceni bini. Contingit tamen quoſdam non habere quatuor extremos, quare tunc non erunt niſi uiginti octo. Dentium autem primores quatuor quia ſecant τεμνικοὶ à Græcis nuncupantur: qui quatuor caninis dentibus ex omni parte cinguntur, ſic dicti, quoniam in acutū producti caninos præferant dentes. Vltra hos uero gomphij ſiue molares, poſt quos poſtremi ſophroniſteres, quos dentes ſenſus

Dentium numerus et nomina.

uoca

uocat Auicenna, quoniam post geniturae profusionem ante consistentiam, quae circa annum contingit tricesimum, nascantur: hos Aristoteles Cranteras uocat & molaribus adnumerat libro 2. de historia animalium dicens, φύονται δ' οἱ τελευταῖοι τοῖς ἀνθρώποις γόμφιοι οὓς καλοῦσι κραντῆρας. Plinius genuinos uocat. Ex omnibus autem priores, ut Celsus scribit libro 8. singulis radicibus, maxillares utiq; binis, quidam etiam ternis, quaternisúe nituntur, fereq́; longior radix breuiorem dentē edit, rectiq́; dentis recta etiam radix: curui, flexa est. Exq́; eadem radice in pueris nouus dens subit, qui multo saepius priorem expellit, interdum tamen supra infráue eum se ostendit. Hactenus de dentibus, iuxta quos sunt gingiuae oris multifida compago, de quibus Lactantius libro de Opi. sic scribit: Dentes autem ipsos ne magis horrori quàm ornamento essent gingiuis mollibus, quae à gignendis dentibus nominantur, ac deinde labiorum tegminibus honestauit. Inde gingiuula. Apuleius, Complanatorem tumidae gingiuulae. In quibus etiam iuxta dentes solent interdum tubercula quaedam oriri dolentia, quas *parulidas Graece appellari tradit Celsus: licet perperam pro parulidibus parotides legatur. Oriuntur etiam plerunque alia quoq; ulcera in gingiuis, quibus similiter ut alijs oris ulceribus succurritur. Amplius dentes cum decore contegunt labia, quae etiam ad loquendum sunt necessaria, quoniam locutionem prȩstant magis articulatam, quam ob causam etiam mollia & carnosa à natura creata sunt, & hostij uice adiuncta sunt ori. Sed de labijs sic scribit Auicenna fen octaua tertij: Duo labia creata sunt ad cooperiendum os & dentes, & ad decorem, & ad retinēdum saliuam, & in hominibus ad loquendum. Et creata sunt ex carne & neruis, quae sunt partes lacertorum qui continent ea. Et accidunt labijs fissurae, quae si in labio inferiore frequentes fuerint mulieribus, indicio sunt uterum esse siccum & qui rorari appetat, & cōsequenter tales esse

Gingiuae.

Parulides.

**Aliâs, parodontidas.*

Labia.

Fissurae labiorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

petulantes & coitus appetentes: item in febribus acutis post signa concoctionis labiorum fissuræ, bonum sunt signum: indicant enim naturam morbo dominari & materiam eius ad exteriora propelli: & labia cum sint mollia & tenera, facile etiam materiei sunt susceptiua. Porrò in lingua huiusmodi accidere fissuras, haud boni, imò mali potius est nota, maximum enim cauma & calorẽ in uentriculo & spiritualibus membris indicant. *Oris fœtori.*) Per oris fœtorem intelligit etiam ulcera eius & pustulas, quæ fœtoris quoq; nonnunquam causa sunt. Os autem, quod Apuleius animi uestibulum, orationis ianuam, & cogitationum comicium uocat, est id quod intra maxillas & labra describitur, autore Aristotele de historia animalium libro 1. Partes autem eius sunt de quibus hic agitur, gingiuæ, labia, lingua & palatum. Sed oris primum iuuamentum, ut Auerrois tradit, est masticatio cibi. Et, ut Auicẽna scribit, os est membrũ necessariũ, ad hoc ut perueniat cibus ad concauitatem inferiorem, et communicat in hoc ut perueniat aẽr ad cõcauitatem superiorẽ, & confert in expulsione superfluitatum aggregatarum in ore stomachi cum elongatur et fit difficilis earum expulsio ad inferiora. Et est uas uniuersale membrorum locutionis in homine & uociferationis in reliquis animalibus uociferantibus ex sufflatione. Cæterum uitia quę ori accidunt, maxime sunt ulcera: quorum ea longe periculosissima sunt, autore Celso libro 6. quas aphthas Græci appellãt, sed in pueris, hos enim sæpe consumunt. In uiris & mulieribus idem periculum non est. Hęc ulcera à gingiuis incipiunt, deinde palatum, totumq; os occupant, tum ad uuam, faucesq; descendũt, quibus obsessis non facile fit, ut puer conualescat: ac miserius etiam est, si lactans adhuc infans est, quo minus imperari remediũ aliquod potest. Continentur autem huiusmodi ulcera tribus generibus autore Paulo Aegineta. Vnum enim subalbidũ est, aliud subrubens, tertium uero nigrum ut eschara, quod et pessimum

Fissuræ linguæ.

Os

Aphthæ.

Vlcera oris triplicia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

mum est & maxime letiferum. Suntq; omnia, nisi cito re sistatur, facile dilatabilia: & hoc ideo, ut tradit Auicenna, quoniam locus est calidus, cui calor nunquam deest, qui maxime talium causa est ulcerum, & quia cutis oris etiam est humida & lenis. Plurimum autem accidunt propter calorem qui in uentriculo aut in capite superfluit per ua pores eorum calidos & humidos corrumpentes superficiem cutis oris. Quæ si admodum sunt humida, curãtur medicamentis uehementer siccantibus, maximeq; si prope ossa fuerint, propter ossium naturam siccam: simpliciora uero, modice siccantia commode sanare possunt. Fœtor autem curatur medicamẽtis quæ proprie bonum reddunt odorẽ ori ac uniuerso corpori, qualia sunt myrtus, thus, mastiche, uinum odorum & alia: quibus semper commiscenda sunt aromatica quædam ad id idonea, causa quidem existente frigida, ea quæ calfaciunt: calida uero existente causa, quæ refrigerãt: & non semper utendum est calidis. Contraria enim cõtrarijs curanda sunt: quare decipiuntur qui semper calidis utuntur. Sed hactenus de ore, inter cuius partes præcipuas est lingua, quæ reliquis in suo genere semper absoluta, homini tantum ita sæpe cõstricta uenis, ut intercidi eas necesse sit, alioqui usui loquendi inepta. Quantum autem ad substantiam eius attinet, lingua est caro rara, fungosa, & ut Auicenna dicit sexta tertij, mollis & alba. Et in ipsa est ex neruis & uenis ultra quàm credatur esse in suo simili. Et in radice eius sunt duo orificia, quæ saliuæ fontes & hauritoria dicuntur à medicis, quorum munus est linguæ rorem conseruare, quo tum lingua tum os uniuersum humescat. Et orificia illa continguntad carnem glandosam, quæ est in radice linguæ & saliuæ generatrix appellatur, cuius iuuamentum est saporatarum rerum gustum manifestare. Verum saliua est tanquam pituita aquosa, tum à stomacho corriuata tũ à cerebro per ossis meatus, quod colatorium uocant, defluxa. Sed linguæ munus est, animi conceptus

Fœtoris curatio communis.

Lingua.

Saliuæ fontes seu hauritoria.

Saliuæ generatrix caro.

Saliua.

Linguæ munus & officium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

enunciare, saporumq́ uim pręsentire, atq; cōtritos cōmolitosq́ dētibus cibos colligere, et collectos ui sua deprimere atq; transmittere ad uentrē. Vnde à ligando cibo linguam dictā putat Varro. Et de utilitatib9 linguæ sic scribit Auicēna: Lingua quę membrū est oris, est ex instrumētis cōuersionis cibi masticati, et incisio uocis, & extractio literarū, & ad ipsam pertinet discretio gustus. Et Auerrois, Linguæ, ait, iuuamentū est manifestū, quod illa & nerui sui non fuerunt facti nisi propter operationem gustus, quamuis huic adiungatur alia res propter electionē meliorem, hoc est, ad proferendum literas loquutionū. Est

Saporis sensus ubi percipiatur

itaq; lingua ipsa gustandi uim obtinens, & qua sapores sentiūtur, uti testatur Aristoteles in de historia anim. lib. 1. cap. 11. inquiens, Ori inest pars sentiens saporē lingua, uim istam sentiendi præcipue obtinens parte sui primore. Nā si interiore tāgat, minus sentiet. Qui uero saporis sensum palato inesse arbitrantur, tales falli putat Lactantius, quoniam linguæ inest, quamuis non toti. Nam partes eius quę sunt ab utroq; latere teneriores, saporem subtilissime percipiunt. Plinius tamen libro 11. Intellectus, inquit, saporū est cæteris in prima lingua, homini & in palato. Cæterum neruus quo tactus utitur, non est alius ab eo quo utitur gustus. Sed de hoc plura Galenus libro 4. de locis affectis. Accidunt autem linguæ sicut & reliquis partibus oris ulcera & pustulæ, quæ etiam ut reliqua curantur. Quare de hijs non plura. Nec aliud dicetur hic

Palatum.

de palato & oris interioris cauitate superiore, cuius utilitas est, ut uocis fiat intonatio, & cibi quando dentibus teritur, reuolutio agilis. *Haud facile.*) Imò difficillimum.

Dolores asperrimi.

Quamuis enim inter asperrimos cruciatus enumerētur, qui sunt calculorum à stillicidio urinæ, stomachi ac capitis, & suus cuiq; ad pręsens quisq; atrocissimus uideatur: inter eos tamē ob quos uix ac minus deploratur homo, & qui uix aliquem interimunt, non est acrior neq; atro-

Acre.

cior quàm is qui dentium est dolor. *Acrem.*) Acre pro-

prie

prie dicitur de sapore acido, qualis esset aliquando tum in uino & alijs tum in aceto maxime. Columella libro 3. Radice tenus uitem præscindito, plagā acri aceto pariter ac lotio permixta terra linito, eodemq; radices irrigato. Trāsfertur tamē & ad alia, ceu hic acrē uocat Serenus dolorem, qui acutus est & uehemens, qui ipse quoq; maximis, ut Celsus ait, tormentis annumerari potest.

Cum Baccho uiolas decoxeris, ore teneto,
Mansus item prodest succis oleaster acerbis,
Hinc oscedo fugit, linguæ quoq; uulnera cedunt.

Baccho.) Vino quod discutit, & si ulcus est, detergit illud & repurgat. Oportet autē huiusmodi liquores, cum quibus os colluitur, diutius in ore continere, præsertim qui contra dentium dolores adhibentur, ut docet Auicēna. *Vinum.*
Violas.) Violæ hæc sunt, quas purpureas uocat Dioscorides libro 4. cap. 113. Sicq; describit: Viola folia habet minora tenuioraq; quàm hedera: nigriora itidem nec dissimilia. Medij inter folia coliculi à radice exeunt, in quibus flosculi sunt egregij odoris, colore purpureo. Nascitur umbrosis & asperis locis. Refrigerādi uim habet, ob quā & calidos dentium dolores sedat, & eorundem inflammationes extinguit. Et hæc est quę nūc simpliciter uiola dicitur, & cuius pręcipuus usus est contra calores febriles & iecoris: conditurq; zucchato tum flos ipse tum floris succus. Est autem & aliud uiolarū genus quod Gręci leucoïon dicunt: cuius generis etiam differentia est, & ipsa quidem in flore: qui in aliquibus candidus, in aliquibus luteus, in aliquibus purpureus uidetur. Probatissima in medicinæ usu quæ luteum habet florem: qui cum melle oris ulcera, quas aphthas dicunt, sanat, ut autor est Dioscorides libro 3. cap. 30. Hunc tempore nostro communiter Arabico nomine Keyri uocāt. *Succis acerbis.*) Amaris & adstringentibus, pręsertim qui ex folijs sunt succi. Vergilius Georg. lib. 2. Infœlix superat folijs oleaster

Viola nigra. *Leucoia.* *Keyri.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Oleaſter. amaris. *Oleaſter.*) Oleaſter eſt olea ſylueſtris. Verg. libro 2. Georgicon: Indicio eſt tractu ſurgens oleaſter eodem Plurimus, & ſtrati baccis ſylueſtribus agri. Eſt autem uis illi & natura adſtringens, qua opus eſt in dentiũ ac oris uitijs, maximeq́ ubi humorum eſt defluxus. Vnde Auicenna ſeptima tertij dicit, Quando dens pręparatus eſt fluxibus, oportet ut teneatur in ore decoctio rerum ſtipticarum diu. Et quia dentium ſubſtantia eſt ſicca, idcirco medicinæ conuenientes quæ conſeruant ſanitatem & reducunt eos ad id quod oportet, ſecundum plurimũ ſunt exiccatiuæ commenſuratæ in duabus qualitatibus. Et Meſue, In principio doloris, inquit, adminiſtrentur medicinæ quæ cõfortent dentes & repellant rheumatiſationes materiæ. Quod autem oleaſtri ſuccus talis ſit, & contra iam dicta oris ac dentiũ uitia proſit, teſtis eſt Auicenna lib. 2. dicens: Oleum de oliuis ſylueſtribus confert gingiuæ ſanguineę, colluendo os ex eo: & confirmat dentes motos: & gumi ſylueſtrium cõfert dolori dentium corroſorum quando implentur eo. Sed de his copioſius ſcribit Dioſcorides, hijs uerbis: Oleaſtri folia uim habent adſtringendi. Commanducata oris ulceribus, & hijs quæ aphthas dicunt, medentur. Idem poteſt ſuccus & decoctum eorum. Oleum autem colluendis flaccidis & cum infirmitate humentibus gingiuis utile eſt. Mobiles confirmat dentes. Fouentur eodem calido etiam utiliter in gingiuas deſtillationes: oportetq́ lanam ſpecillo circumponẽtes in oleum demergere, gingiuisq́ admouere, uſq; dum candido colore gingiuæ uideantur. Plinius lib. 23. Oleaſter purgat ulcera, alienata explet, excreſcentia leniter erodit, ſiccat & ad cicatricem perducit: Oleo os colluitur. Ad dentiũ infirmitatem imponũtur folia. *Oſcedo.*)

Oſcedo. Oſcitare. Inter oris uitia numeratur & oſcedo, quę oſcitandi uitiũ eſt. Oſcitare uero, eſt os cõmouere & aperire totum, ceu fit præ ſomno aut tędio. Meminit huius A. Gellius Atticarum noctium libro 4. hijs uerbis: Deliberatum eſt de

nota eius qui ad cẽſores ab amico aduocatus eſt, et in iure ſtans, clare nimis ac ſonore oſcitauit. Atq; inibi prope ut plecteretur fuit, tanquam illud indicium uagi animi foret & hallucinantis, & fluxæ atq; apertæ ſecuritatis. Sed cum ille deieraſſet inuitiſſimum ſeſe & repugnantem oſcitatio ne uictum, teneriq; eo uitio, quod oſcedo appellatur, tum notæ iam deſtinatæ exemptus eſt. Eſt autem oſcitatio ſiue oſcedo proprie halycum ſpecies. Halice uero, quã multi halen, Latini anxitudinem ſiue etiam pandiculationem nominãt, eſt affectio tum in ſanis tum maxime in affectis & iam decumbentibus, cum ſcilicet toto corpore quis ex tenditur. Fiunt autem halices, ut Auicenna fen tertia primi doct. 2. c. 13. ſcribit, propter ſuperfluitates quæ in muſculis congregantur, ob quod à ſomno frequenter accidunt: cumq; humores illi abundantiores fuerint, horripilatio inde fiet ac tremor. At ſi nimio plus abundarint, febrem inducent. Oſcitatio uero ſiue oſcedo, motus eſt halicum, quæ accidit in muſculis mandibularum atq; thoraci[s]. Quæ cũ ſanis in primis citra cauſam accidit et non in hora cum multa fuerit, malum erit: melior autem eſt quæ peracta digeſtione accidit, talis enim propter ſuperfluitatum fit expulſionem. Nonnunquã uero & propter frigus accidunt halices & oſcitationes, aliquando etiam propter cutis denſitatem, aut reſolutionem paucam, aut excitationem à ſomno immaturam. Vinum uero ad medium temperatum halicibus & oſcitationibus eſt conueniens, cum non eſt ibi alia prohibẽs cauſa. Quod uel Hippocratis teſtimonio comprobatur, qui libro 7. aphoriſmorum ſic ait, Halyce, anxitudo, oſcitatio, horror, uinum æquale æquali potum ſoluit ægritudinem. Vbi illud ſcire oportet, ut inquit Galenus, quod halycen nominauit, quàm multi Græci halen appellant, deinde & quæ ſit faciens hunc caſum diſpoſitio. Dicunt igitur ἀλύειν, id eſt, anxitudinem habere illos ſanos, qui ſemper præſentibus moleſtantur, & ab uno negotio atq; actione ad aliud

Oſcedo. Oſcitatio. Halyce. Hale. Anxitudo. Pandiculatio.

ἀλύειν.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

transeunt. Eodem modo & ægros illos anxios esse aiunt qui accubitum non perferentes, figuras euariant, quia semper præsens aggrauat eos. Hoc uero pręcipue illis eue nire consueuit, qui in ore uentriculi, quod nos abutentes uocabulo sępe solemus stomachum nominare, humoris aliqua propria qualitas continetur, uentriculo molesta, quæ neq; plurima est, neq; in uentriculi fluitat cauitate, sed eam ipsæ imbibere tunicę. Sed & oscitare sicuti & pan diculari, contenta aliqua in musculis per quos tales fiunt motus quos pandiculationes & oscitationes nominamus, uel humiditate flatuosa, uel spiritu flatuoso fieri est à nobis demõstratum. Horror autem prauis humoribus per cutem currentibus accidit. Liquet autem quod nunc à nobis habetur sermo de horrore, qui ex corpore proue nit insalubri, et non de illo qui causam extrinsecus habet. Singula igitur hæc quæ dicta sunt, potus uini meracioris sanat. Moderatam autem temperaturam ipse monstra uit inquiens, Vinum æquale ęquali potum: aqua enim ui delicet uult uinum æqua portione temperari, ut hæc qui dem pellat, & euacuet ex materia infestante quicquid ces serit uini motui cum impetu lati, reliquũ temperet. Calefacit enim uinum, ut nouimus, corpus totum, & cito mo uetur ad omnes partes, cum hoc quod omnes humores optimos reddit. Hactenus Galenus. Hic uiderint quid di cant qui oscedinem interpretantur oris graueolentiam.

Cum nitro piper & uinum tepidum inijce denti.
Sæpe chelidoniæ succo, uel lacte capellæ.
Sanescunt dentes, aut tauri felle iuuantur,
Aut acidi latices clauso uoluuntur in ore.
Manditur apta rubus gingiuis & bona labris.

Nitrum, piper, uinum. *Cum nitro piper & uinum.*) Idem medicamentum tradit Plinius in historia naturæ lib. 31. cap. 10. dicens: Nitrũ pro dest dentiũ dolori ex uino si cum pipere colluãtur. Et hoc

ma

maxime ubi doloris causa fuerit humor frigidus pituitosus crassus & uiscidus, quem singula iam dicta calefaciũt, siccant, attenuant, extrahunt, detergunt & discutiũt, sicq; dolorem sedant. *Tepidum.*) Canon enim est in doloribus istis, ut medicamẽta resoluentia et aperientia sint actu tepida aut calida, non tamen in excessu. Repercussiua uero in causa nimis calida ad duos uel tres dies sint actu frigida, deinde fiant tepida, ne poros atq; meatus claudendo, materia intus detineatur & occludatur: autor Auicenna. *Chelidoniæ.*) Maxime radicis eius. Nam, uti Galenus & Dioscorides aiunt, Radix chelidoniæ commanducata dentium dolores finit. *Lacte capellæ.*) Plinius lib. 28. cap. 10. Efficax habetur & caprino lacte collui dẽtes. Sextus Platonicus, Ad motionem dentium, Capræ lacte mulgeat & dentes colluat, sæpius faciat. Nam cum substantiæ sit ab omni acumine & mordicatiõe sequestratæ, ut Auerrois scribit, dolores ibi existentes mitigat gargarisatum et in ore detentum. Quamuis Auicenna dentibus nocere tradat, ipsos corrodendo, concauando & consumendo, & proprie cum dens frigidæ sit cõstitutionis, quare post ipsum os colluere iubet cum melle & uino & oxymelite. *Tauri felle.*) Idem testatur Plinius inquiens, Efficax habetur & felle taurino collui dẽtes *Acidi latices.*) Acetũ. Dioscorides: Acetum prodest dẽtium doloribus si calido colluantur: Et Mesue in capite corrosionis & perforationis dentium de eodem aceto sic tradit: Collutio oris cum eo est sublimis. Porrò usus eius conuenientior esset si alijs commisceretur medicamentis quàm cum solitarium administratur, sua enim essentia dentibus nocet. Vnde de usu eius & uirtute sic scribit Auicẽna fen 7. tertij: Acetum quidem quamuis sua essentia noceat dentibus, tamen quandoq; ponitur in medicinis dentium infrigidantibus & calefacientibus simul. In refrigerantibus quidem, quoniam refrigerat sua substantia & non penetrat. In calefacientibus uero, quoniam penetrat, & quoniã adiuuat

Canon. *Chelidonia.* *Lac caprinum.* *Fel tauri.* *Acetum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

cum incisione ad resoluendum. Eius uero nocumentum est tunc fractum cum medicinis dentium quæ eis admiscentur. Quod autem dicit in refrigerantibus non penetrare, hoc non simpliciter intelligi debet, quod nullo modo penetret cum penetrandi uim subministret, sed non tantum penetrat mixtum refrigerantibus eorum frigiditate penetrationem prohibente, quantum penetrat mixtum calefacientibus. *Rubus.*) De rubi generibus dicetur infra. Siccãt rubi & adstringunt: ideoq; uitijs oris accommodi. Vnde Auicenna, Rubi folia, inquit, quando masticantur, stringunt gingiuam & sanant alcola: & similiter fructus eius maturus, & succus fructus eius & foliorum ipsius sanat dolores gingiuæ, & succus foliorum eius sanat os calidum. Idem, medicinæ conuenientes alcola quę sunt acuta, sunt sicut masticationes foliorũ rubi. Et Dioscorides, Gingiuas confirmant, & oris sanãt ulcera commanducata folia. Quin etiam succus ex folijs caulibusq; expressus, mox in sole densatus dictis efficacius medetur. Fructus præterea succus in integra maturitate expressus, ad oris medicamenta accommodatus est. Sed & Plinius libro 24. cap. 14. de rubis sic scribit: Nec rubos ad maleficia tantum genuit natura, ideoq; ex eis mora bestijs uel hominibus cibos dedit: uim habent siccandi, adstringendi, gingiuis, tonsillis, genitalibus accommodatissimi. Et, caules eorum tunduntur teneri, exprimiturq; succus, mox sole cogitur in crassitudinem mellis, singulari remedio contra mala oris potus aut illitus. Et oris uitijs etiam folia commanducata prosunt & ulceribus manantibus. Et, per se in cibo sumpti, cymæ modo, aut decocti in uino austero, labantes dentes firmant. *Labris.*) Labijs. Labrum proprie fluminis, lacus & similium quæ aquæ superficie perluuntur, margo dicitur & extremitas: & per metaphoram labra quoque dicuntur tum oris tum aliarum rerum extremitates, quæ in homine etiam labia uocantur.

Rubus.

Labrum.

Lentiſcus, myrthusq́ emendant oris odorem.
Quod uero aſſumpſit nomen de dente fricando,
Ceruino ex cornu cinis eſt, aut ungula porcæ
Torrida, uel cinis ex ouis, ſed non ſine uino,
Muricis aut toſti, uel bulbi extincta fauilla,
Ambitioſa putas, ſunt iſta ſalubria cunctis.

Lentiſcus.) Dentium ac oris malis & fœtori quomodo medeatur lentiſcus, docet nos Dioſcorides dicẽs: Foliorum decocto utiliter mobiles dentes colluuntur. Et uiridibus ex lentiſco dentifricijs pro arundinea acu fricatione dentes utilius exteruntur. Reſina eius quę maſtiche uocatur, miſcetur hijs quæ exterendis dentibus conficiuntur. Cõmanducata oris halitum commendat, & gingiuarum tumores reprimit. Item Plinius libro 24. cap. 7. Decoctum lentiſci gingiuas colluit, folia dentibus in dolore atteruntur, mobiles decocto colluuntur. Item ex lentiſco dentifricium fieri cõſueuit, & dentiſcalpia, hoc eſt, cuſpides quædam purgandis dentibus accommodę. Martialis in apophoretis: Lentiſcum melius, ſed ſi tibi frondea cuſpis Defuerit, dentes penna leuare poteſt. Sed quia dentium cura olim ut delicatis probro dabatur, hinc quibus dentiſcalpium ſemper eſt in ore, σχινοτρῶγες, id eſt lentiſci arroſores dicũtur. *Lentiſcus.* *Dentiſcalpia.* *Myrthus.*) Myrthus duplex eſt, agreſtis altera, de qua inferius dicetur cap. 31. Altera ſatiua perpetua ſeruans folia: cuius etiam duo genera ſunt, ut tradit Columella libro 12. quorum alterum eſt nigrum, alterum album: quorum etiam nigrum, ut tradit Dioſcorides, medicinæ utilius eſt quàm album, & in eo genere multo magis montanum, ſemen tamen infirmius fert. Plinius lib. 23. cap. 9. Myrtus ſatiua candida minus utilis eſt medicinę quàm nigra. Semen odorem oris commendat uel pridie commanducatum. Meſue item, Medicinarũ, quarũ proprietas eſt generare in ore & uniuerſo corpore odorẽ bonũ, ſunt ſicut proprie teneritas myrti et thus et maſtiche. *Myrthus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Huiusmodi autē omnia aromatica sunt, qualia esse oportet ea quæ tum oris tum aliarum partium fœtorē emendare & bonum odorem reddere debent. Quod si talia nō essent, ipsis tamē aromatica permisceri debēt, in causa quidem calida quæ refrigerant: in frigida uero quæ calefaciunt, non semper calefacientia, ceu quidam aberrantes faciunt causam aliquando adaugentes. *Emendant oris odorem.*) Hoc est, Oris halitū tetrum ac fœtidū, graueolentiamq; corrigunt, & commendatiorem beneq; redolentem efficiunt odorem. *Quod uero nom.*) Hoc est, dentifricium, quod à dentium fricatione sic dictum est: & puluisculus quidam est candidandis dentibus comparatus, hoc est, quo dentes fricātur ut candidi fiant. Sunt autem omnia huiusmodi dentifricia uirtutis detergētis. *Ceruino ex cornu cinis.*) Quomodo in cinerem cremandū sit cerui cornu, docet Dioscorides lib. 2. sic: Secatur in frusta cornu, sectumq; in fictile crudum primo, mox luto circumlito operculo in fornacem conijcitur, uriturq; usq; dum albescat. Et huiusmodi cinis dentifricium est leuigandis dentibus utile, in quem usum confricandi eo sunt. Imò, ut Plinius libro 28. cap. 10. testatur, dentes mobiles confirmat ceruini cornus cinis, doloresq; eorum mitigat, siue infricētur siue colluantur. Quidā efficaciorem ad omnes eosdem usus crudi cornus farinā arbitrātur. Dentifricia utroq; modo fiunt. Item Sextus Plat. Cornu, inquit, cerui cōbustū, dentes qui mouentur firmat, si eo pro dentifricio quis utatur. Cels⁹ lib. 6. Cornu rasum in aceto rite coctū cōtra dolores utile tradit. *Vngula porcæ.*) Hoc est, ossa ex ungulis suū. Plin. lib. & capite nunc dictis: Ossaq; ex ungulis suum combusta eundem usum præbent. *Torrida.*) Cōbusta & incinerata. Torrere proprie est urere. Vergilius: Iam rapidus torrens sitientes Syrius Indos. Plinius, Si radicem betæ in pruna tostam superederint, odorem extingui. Dicitur aliquando etiam de frigore siccatis & arefactis. Varro, Frigore torret. *Cinis ex ouis.*) Plin. libro

Dentifricium quid & unde sic dictum.

Cinis cornus ceruini.

Cinis ungulæ porcinæ.

Torrere.

Cinis putaminis ouorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

libro 29. cap. 3. Membrana putaminis ouorum detracta siue crudo siue decocto, labiorum fissuris medetur. Putaminis cinis in uino potus, sanguinis eruptionibus. Comburi sine membrana oportet: sic fit & dentifricium. *Sed non sine uino.*) Postquã fricati sunt dentes, colluere etiam oportet ipsos cum uino maxime austero: hoc enim sordes per fricationem solutas detergit & abluit & dentes etiam confirmat, siq́ exulceratũ quid adest, illud quoq; purgat atq; emendat. Nam, ut Celsus ait lib. 6. Simul atq; uero pura ulcera esse cœperũt, lenis humor, interdũ etiã quàm optima aqua ore continenda est, prodestq́ assumptum purum uinum. *Muricis tosti.*) Cinis muricis. Plin. libro 32. cap. 4. Muricum cinis dentifricium est. Est autem murex è conchiliorum genere ceu purpura, é quorum sanguine tinguntur uestes infectu precioso. *Bulbi extincta fauilla.*) Hoc est, bulbi cinis, qui etiam ceu aliorum cineres detergentis est naturę. Fauilla aũt nihil aliud est quàm cinis igne extinctus & desertus: sic dicta, quasi fouilla q̃d tectum ignem foueat: quum scintilla ardens sit quæ è silice exilire solet cum cæditur. Verg. Ac primũ silicis scintillam excudit Achates. Oportet autem res ipsas quas autor hucusq; recensuit, adurere & in cinerem redigere, si dentifricij usum prębere debeant: nec modo in dentifricij usu, sed & in alijs quoq; permultis necessaria est & per quam utilis rerum adustio. Adurũtur autem, ut Auicenna canonis libro 2. scribit, propter unum quinq; accidentium. Quorum primum est rei acuitas, ut illa frangatur & minuatur, ceu fit in adustione atramenti & colchotar. Secundum est rei uirtus non acuta, sed debilis, ut uigoretur illa & acuitatẽ acquirat, uti manifestum est in lapide qui in calcem comburitur. In lapide enim nulla est acuitas, postquam uero calx effecta est, acuitate participat, & illa nõ modica. Tertium est substantiæ crassities, ut illa attenuetur & subtilietur, ceu fit in adustione cancrorum & cornus ceruini. Quartum est contritionis ineptitudo,

Vinum. *Cinis muricum.* *Cinis bulbi.* *Fauilla.* *Scintilla.* *Causæ adustionis rerum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ut ad conterendum præparetur, ceu fit in serico, quod in cordis confortatione exhibetur: quamuis enim incisum sit efficacioris uirtutis adusto, tamen quia incisum non sequitur minorationem partium sufficientẽ nisi cum labore, ideo potius aduritur. Quintum est substantiæ uis maligna & uenenosa, ut illa destruatur & amoueatur, & propterea comburuntur scorpiones, quos adustos contra lapidem exhibemus.

Exesos autem dentes si forte quereris,
Vre fimum muris, patulis & hiatibus adde,
Vel cinerem dentis ceruini extinguere aceto
Conuenit, atq; cauis immittere partibus apte.
Prodest & puluis lumbrici corpore tosto.

Causæ corrosionis dentium. *Exesos.*) Corrosos & excauatos: quod fit aliquando propter usum rerum adurentium, aut dulcium ceu mellis, sacchari & similium: aliquando uero propter tabem pituitámue. *Vre fimum muris.*) *Cinis fimi murini.* Plinius lib. 30. cap. 3. testatur idem: Cinis è murino fimo inditus dentibus confert. Et hoc pituitam desiccando & dentẽ forte frangendo, sicq; ad facilem exitum præparando. Quamuis sine causa eximendi non sint, ut Celsus tradit libro 6. dicens, Si exesus dens est, festinare ad eximẽdum eum nisi res coegit, non est necesse. Quod si dolor eximi eum cogit, & piperis semen cortice liberatũ, & eodẽ modo bacca hedere cõiecta in id foramen, dentem findit, isq; forte stans excidet. Sed quia periculosa sunt talia & fallacia, melius est illa omittere. Nam, ut Guido de Cauliaco chirurgiæ suę lib. 6. ait, medicinę citra dolorem dentes eradicantes, multas dant promissiones, operationes autem paucas. *Patulis hiatibus.*) Cauitatibus & foraminibus dentium patentibus & apertis. *Patulum. Patens.* Differt tamen patulum à patente, quoniam patulum dicitur quod semper patet, ut arbor. Verg. Titire tu patulæ recubans sub tegmine fagi: & aures patulæ, ut supra, Si uero in patulas animal penetrauerit aures. Patens

uero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uero dicitur quod ad tẽpus patet & apertũ est. *Adde.*) Inde & immitte, ita tamen ne uicinos dẽtes attingat. *Cinerem dentis ceruini.*) Et hoc uirtute eadem qua prius dicta, uel ui quadam occultiore. *Apte.*) Rite, conuenienter, & ut Mesue dicit, cum cautela, ne aliis dẽtibus noceat, distinguendo inter dentem & dẽtem cum cera uel aliquo alio quod sit sicut ipsa. Vnde etiam Auicenna septima tertij ait, Et quandoq; ponitur in circuitu eius cera aut massa aut aliquid aliud distinguens inter dentem & inter dentes qui sunt in circuitu eius & carnes rubeas. Et hinc etiam Celsus alumen scissile administraturus, dicit id inuolutum in lanula demitti commodius esse: quia sic dente seruato dolorem leuat. Similiter & plani piscis, quæ pastinaca est et à Græcis trygon dicitur, aculeum tostum, deinde contritum, resina excipere & ita denti circundare iubet. *Puluis lumbrici corpore tosto.*) De hoc Plinius libro 30. cap. 3. sic prodit: Vermium terrenorum cinis exesis dentibus cõiectus ex facili cadere eos cogit. Integros dolentes illitus iuuat. Comburi autem oprtet in testa. *Cinis dentis ceruini.* *Cinis lumbricorum.*

Ora perusta cibo sanabis lacte canino.
Sæpe etiam gelida gingiuas collue lympha,
Dentibus ut firmum possis seruare uigorem.
Si uero infandum proserpit ad intima uulnus
Permisceto salem parili cum pondere thuris,
Hinc tractato locum, miram experiere medelam,
Hæc siccata dabit molles & fracta farinas,
Huius & attritu tetrum mulcebitur ulcus.

Ora perusta cibo.) Solet nonnunquam cibus calidissimus comesturis apponi, qui si per imprudentiam sic calidissimus assumatur, os & partes eius adurit, & pustulas, exulcerationesq; efficit non sine dolore, quibus nunc mederi docet lacte canino. Et idẽ etiã testatur Plinius inquiẽs: Si feruentia os intus exusserit, lacte canino statim sanabitur. *Lac caninum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Aqua frigida. *Gelida lympha.*) Si quis dentes firmos & incolumes seruare, et à corruptione atq; dolore tutus esse uoluerit, is quottidie in matutinis cum frigida os colluat: utile enim hoc erit & dentes incolumes conseruat, quemadmodum & halitum custodit, orisq́ odorem commendat, si uino quàm optimo quando dormitum itur, colluantur ora. Vnde Plinius libro 28. cap. 4. inquit: Mero ante somnos colluere ora, propter halitus: frigida aqua matutinis impari numero ad cauendum dentium dolores. At dicet aliquis: Quid agam, si dolor iam adest, num eadem frigida uti possum? Respondeo quod præsente dolore in causa calida & maxime in doloris principio ut confluxus humorum arceatur, uti possumus aqua non modo frigida, sed & frigidissima, quæ repellat & stupefaciat. Ex eorum enim summa quę stupefaciunt absq; nocumẽto, ut inquit Auicenna, est aqua infrigidata cum niue in ultimo, & ponitur in ore acceptio post acceptionem donec stupefiat dens, quare quiescit dolor omnino, quamuis quandoq; Sal. fit addens in principio. *Salem.*) Quam uim contra oris uitia habeat sal, docet nos Dioscorides medicinalis syluę libro 5. dicens: Vtiliter inungitur sal contra tonsillas, columellamq́ oris cum melle tostus, ulceraq́ itidem quas aphthas uocant. Humore diffluentes gingiuas & ulcerũ phagedenas cum polenta emplastri modo imponitur. De eodem Plinius libri 31. capite 9. sic tradit: Sal ulceribus oris manantibus in linteolo concerpto, gingiuarum tumori infricatus. Et contra scabriciem linguæ frictus, comminutusq́. Aiunt dentes nõ erodi neq; putrescere si quis quottidie mane ieiunus salem contineat sub lingua donec liquescat. Sed quid de hoc tradat Celsus, haud abs re fuerit etiam subiungere, qui libro 6. cap. 5. sic scribit de cancro oris, ubi penitus malum descẽdit: Quidam etiam in acris aceti heminam frictum salem conijciunt donec tabescere desinat, deinde id acetum coquunt donec exiccetur, eumq́ salem contritum inspergunt. Quoties autem

dicamentum iniicitur, & ante & post, os diluendum est uel cremore lenticulæ, uel aqua in qua aut eruũ, aut oleæ, aut uerbenæ decoctæ sint, sic ut cuilibet eorum paulum mellis misceatur. Sed & diu continere utrumlibet, & id bis aut ter die facere, pro ut uehemens malum est, necessarium est. *Thuris.*) Thus, ut inquit Auicenna, consolidat ualde & proprie uulnera recentia, & prohibet fraudulenta dilatari, & est cõueniens ulceribus factis ex adustione. Nec obstat quod calidum est, id enim modicũ est. Nam, ut Galenus tradit, thus modice calet. *Tractato locũ).* Hoc est, locum ulceratum & ulcus ipsum cum dicto medicamento conspergito & cõfricato. *Siccata.*) Oportet enim sicca esse & quæ in puluerem redigi debent, & quę huiuscemodi ulceribus inspergenda sunt medicamenta. Cum enim humida sint ulcera, haud conueniens est illa madefacere, et humidum quid, excepto uino, infundere. Quod & Hippocrates docuit in libro de ulceribus dicẽs, Vlcera madefacere quæcunq; ea fuerint, nisi uino, non oportet. Nam siccum sano uicinius est, humidum uero non sano. Vlcus enim humidum est, sanum aũt siccũ. *Molles farinas.*) Puluerẽ mollem et subtilẽ, qualis est farina. Oportet enim medicamẽta ulceribus imponenda, in subtilissimũ puluerem ac pollinem frangi, conteri & leuigari, ne asperi quid insit. *Mulcebitur.*) Delinietur, mitigabitur & sanabitur. Thus.

VVAE, FAVCIBVS, COLLO, ET QVAE MOLLIENDA sunt, medendis.

CAPVT XV.



VAE.) Vua & malum et locum in quo id sit, indicat. Est autẽ uua, quæ alio nomine columella quoque dicitur, pars oris inter tonsillas ultimo palato dependens, & non in faucibus collo Vua. Columella.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

cata, ut quidam uolũt: quod uel ex Galeno palàm est, qui libro primo de differentijs morborum uuam abscissam palati & non colli uel gutturis passionem esse ostendit. Et idem aperte pronunciat libro de utilitate partium 11. Est autem, ut nona tertij scribit Auicenna, substãtia carnosa pendens super supremam partem epiglottis sicut uelamen: cui ex morbis accidunt inflammatio & abscessus atque relaxatio.

Fauces. *Faucibus.*) Quemadmodum per uuam, ita etiam per fauces & malum & mali locus indicatur. Sunt

φάρυγξ. autem fauces, quas Græci φάρυγγα dicunt, oris pars, & proprie spatium illud, quod est ante guttur & gulam, ut autor est Galenus libr. de affectorum locorum notitia quarto, ubi ait: Fauces uoco internum oris locum, ubi simul conueniunt & gulæ & gutturis partes extremæ. In quo significato dicit etiam accipi ab Homero dũ ait Vinum & frusta carnis humanæ per fauces Cyclopis erumpere. Neq; aliud apud Hippocratem significare tradit. Nã præsagiorum libro 3. exponens uerba illa Hippocratis, Angina autem grauissima est, celeriterq; enecat, si neq; in faucibus, neq; in ceruice quicquam apparet. Per ceruicem, inquit Galenus, collũ intelligit: Fauces uero, aperiendo os, ac linguam comprimendo deorsum, euidentem amplitudinem, in qua gemina hostiola uisuntur, tum gulæ, tum etiam gutturis. Neq; etiam aliud per fauces intelligit Galenus libro de utilitate partium 7. cum ait: Tracheam arteriam per larynga, id est guttur, pharyngi id est faucibus copulari: quanquam postea idem circa eiusdem tractationis libri octaui initia scribat, tracheam arteriã pharynga æquiuoce illi quæ est ante larynga nominari. Sed hic de proprio & usitato pharyngos significato loquimur. Amplius quid sint fauces, ubi agit de musculis faucium, hijs etiam uerbis declarat, dicens: Spatium quoddam præiacet, commune gulæ ac gutturis, ad quod commune spatium utrunq; orificium terminatur. Vocant autem spa-

Isthmus. tium quidem ipsum ἴσθμον, quoniam angustum est, &

ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

oblongum. Corpus aũt ipsum comprehendens φαρύγγα nominant, id est fauces, quibus utrinq; unus est musculus, qui & deglutitioni & locutioni obseruit. Cæterũ pro faucibus Arabicæ translationes guttur habere solent, & sic etiam accipit Auicenna Canonis libro 3. fen 9. cap. 1. dum ait, Per guttur intelligimus spatiũ illud in quo sunt meatus anhelitus & cibi. Per quos etiam meatus anhelitus & cibi intelligere oportet orificia ipsa tracheæ arteriæ atq; meri, non autem tota corpora. Certum enim est fauces non continere utrunq; meatum anhelitus & cibi, si per meatum anhelitus totã tracheam arteriam: per meatum uero cibi, totum meri intelligamus, quæ ad collum, non ad fauces attinent. Porrò canonis libro 1. ęquiuoce utitur hoc nomine guttur. Primum enim cum dicit guttur duo habere paria, quæ ipsum ad inferiora trahunt, per guttur intelligit tracheam arteriam: cum uero postea in fine capitis dicit, Gutturis uero musculi sunt duo musculi gutturosi apud gulam positi, in transglutiendo adiuuãtes, per guttur intelligit pharynga, id est fauces, quas gurgulionem uocat Hali abbas. Hęc autem nominis gutturis hic ęquiuocatio probari potest ex hijs quę Galenus in suis de anatomice libris de quatuor musculis tracheæ arterię scribit, qui ipsam contrahunt angustantq́;, & duobus faucium, qui tam uoci quàm etiam deglutitioni obseruiunt. Verũ si proprie loqui uoluerimus, guttur non pharyngi aut faucibus accommodabimus, sed laryngi potius, id est, parti extremæ os uersus tracheæ arterię, quę pars extrema ad pharynga & fauces terminatur. In gutture autem, ut Galenus tradit, est lingula quam epiglottida Græci uocant, & à Plinio minor lingua, à recentioribus uero sublinguium, & ab Auicenna lingua fistulę appellatur. Et hæc maxime proprium uocis instrumentum est. Etenim cum moderate & apperitur & cõmittitur, uocem efficit: quãquam uocem reddi impossibile est, nisi uehementer spiritus egrediatur, id uero ad intercostales per

Guttur.

Epiglottis.
Lingua minor.
Sublinguium.
Lingua fistulæ.
Vocis instrumentum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tinet musculos. Porrò apud Auicennam prima primi
doct. 5. sum. 2. capite 11. epiglottis non est lingua minor
à Plinio uocata, sed larynx, hoc est membrum cartilagi-
neum, creatum, ut inquit, ut sit uocis instrumentum,
quod quidem ex tribus compositum est cartilaginibus.
Et hoc etiam de larynge Galenus libro de sanitate tuẽda
6. non autem de lingua minore dicit. Neq; membrũ hoc
Bronchus. bronchus à Græcis, sed bronchi caput nominatur: quo-
niam, ut lib. 1. de locis affectis inquit Galenus, & ipsam
arteriã bronchum nominant. Suntq́ tum gulæ tum tra-
cheæ arteriæ pori & orificia, non colli, sed oris partes,
Fauces. quoniam in faucibus continẽtur. Fauces autem licet sint
in confinio oris & colli, ad os tamen magis uidentur per-
tinere, quemadmodum & palatum. Demum fauces Pli-
nius summum gulæ nominat, quemadmodum postre-
COLLVM. mum cui uenter adnectitur, stomachum. *Collo.*) Colli
Colli partes. notio manifesta est. Fuit autem à summo rerum opifice
Trachea arte- creatum collum, gulæ causa & tracheæ arteriæ, quæ par-
ria. tes eius sunt: hæc anterior, illa posterior: hanc qua spiri
Aspera arteria. tum trahunt redduntq́ animantia, Celsus asperam arte-
Iugulum. riam, Hali abbas iugulum, M. Varro libro de re rustica
Gorgulio. 2. gurgulionem uocat, dum ait: Hircus molliori pilo &
Fistula spiri- potissimum albo, ac ceruice & collo breue, gurgulione
talis. longiore. Alij fistulam spiritalem, nonnulli arteriam uo-
Arteria uocalis calem, aliqui cannam pulmonis, alij canalẽ animæ, multi
Cãna pulmonis guttur appellant. Illam uero posteriorem, quæ inter fau
Canalis animæ. ces & os uentriculi media est, & qua cibus potusq́ de-
Guttur. uoratur, aliqui cibalem uocant fistulam, Plinius gulam,
Fistula cibalis. Celsus & qui post Aristotelis sæculum scripserunt, sto-
Gula. machum apellant, Aristoteles uero & ueteres Greci œso-
Stomachus. phagon, Auicenna & Arabes & horum imitatores no-
Oesophagus. strates, merin. Vbi animaduertendum est apud Plinium
Meri. in omnibus ferè codicibus male trãspositas esse has duas
dictiones interior & exterior: sicq́ legendum esse, ut ex-
terior ad arteriã, interior uero ad gulam referatur: eritq́

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

hęc genuina et syncera Plinij lectio, Sub ea minor lingua epiglossis appellata. Opera eius gemina duabus interposita fistulis, exterior earum arteria ad pulmonem atq; cor pertinens, hanc operit in epulando, ne spiritu ac uoce illac meante, si cibus ac potus in alienum deerrauerit tramitem, torqueat. Altera interior est, appellatur sane gula qua cibus atq; potus deuoratur: tendit hæc ad stomachum, inde ad uentrem: & reliqua. *Quæ mollienda sunt.*) Hoc est, ceruicis & colli & horum neruorum duricies, conuulsiones & rigores. Estq; in triplici differentia hoc malum, de quo Celsus medicinæ libro 4. sic scribit: A capite transitus ad ceruicem est, quæ grauibus admodum morbis obnoxia est: neq; tamen alius importunior acutiorq; morbus est, quàm is qui quodā rigore neruorum, modo caput scapulis, modo mentum pectori annectit, modo rectam & immobilem ceruicem intendit: priorem Gręci opisthotonon, insequentem emprosthotonon, ultimū tetanon appellant: quamuis minus subtiliter quidā indiscretis his nominibus utuntur. Ea sępe intra quartum diem tollunt: si hunc euaserunt, sine periculo sunt. Omnia eadem ratione curantur, idq; conuenit. Hęc ille.

Ceruicis rigor. *Opisthotonos.* *Emprosthotonos.* *Tetanos.*

Aegrescunt teneræ fauces, cum frigoris atri
Vis subijt, uel cum uentis agitabilis aër
Vertitur, atq; ipsas flatus grauis inficit unda.
Vel rapidus clamor fracto cum forte sonore
Planum radit iter, sic est Hortensius olim
Absumptus, causis etenim confectus agendis
Obticuit, cum uox domino uiuente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua diserti,
Ergo omni studio quæres inhibere dolorem.

Aegrescunt.) Inter uerborum formationes est & illa quæ Inchoatiua dicitur uerborum species, quæ rem inchoatam, futuram tamen significat, & uim incipiendi dun-

Aegrescere. *Verba inchoatiua.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

taxat in effectu habet. Hæc Sco sylaba terminantur, quorum quædam deducũtur ex appellationibus: sic, ex igne est ignescit, ex flamma flammescit, ex dumis dumescit, ex herba herbascit, ex ægro ægrescit. Et hæc perfecta non habent omnino, suntq; coniugationis tertiæ: autor Diomedes. *Teneræ.*) Molles, & quæ facile à leui causa afficiuntur atq; lęduntur. *Cum frigoris.*) Enumerat primo causas aliquot affectionũ quæ faucibus accidunt, inter quas potissimum est frigus, quod occurrens & fauces offendens, ipsarum substantiã condensat, humores in unum cogit ac comprimit, & membrum ipsum refrigerando & desiccando alterat, duriciemq; & asperitatem, nonnunq̃ uero & tumores efficit non citra dolorem. Et hoc sæpius fit ubi cibus & potus assumitur frigidus, aut ubi aër occurrit frigidus, ceu fit hyeme: quæ, ut Celsus testatur lib. 2. quicquid in faucibus mali contrahitur, irritat. Et quod Hippocrates libro 6. de epidemijs ait, Magnum frigus uenas frangit, tussesq; ciet: quemadmodum & nix geluq; & glacies cõuertit, angitq; adeò uti tonsillæ, præfocationes, collectionesq; duræ creentur. Et in constitutionibus aquilonijs, ut idem tradit Hippocrates, qui aphorismorum libro 3. sic prodit: Si aquilonia præualuerit tempestas, tusses, fauces, alui duræ. Quem aphorismum exponens Galenus ait, In aquilonijs fiunt tusses, propter uidelicet instrumentorum respirationi obseruientiũ intemperiem, & propter faucium asperitatem, de qua nobis insinuauit adiungens uerbum illud FAVCES, ut subintelligeremus, patiũtur. Nam solet hoc modo loqui aliquando. Licet autem & simul duo coniungentes legere, fauces, alui duræ: ut nonnulli expositores legendum existimarunt. Nam fauces in aquilonijs constitutionibus apparent duræ, quoniã exiccantur ac refrigerantur, et uenter inferior dura excernit, & propter temporis constitutionis temperaturã quę uergit ad siccitatem toto corpore exiccato. Nam, ut post idẽ inquit Galenus, cum frigidus

Frigus.

Aquilo.

ac ſiccus uentus ſit aquilo, omnes corporis conſumit ſuperfluitates. Amplius Celſus libro 2. Ex tempeſtatibus, inquit, aquilo fauces exaſperat. *Atri.*) Nigri, ab effectu: membra enim quæ afficit, adurendo ad nigrorem perducit. Celſus libro 1. Frigus ſummam cutem facit pallidam, aridam, duram, nigram. *Vis.*) Violētia & intemperies. *Subijt.*) Intrauit, penetrauit, & penetratione ſua aduſſit. Vergilius Georgicon lib. 1. Aut boreæ penetrabile frigus adurit. *Ventis agitabilis aër.*) Ponit nūc aliam affectionum faucium cauſam priori contrariam. Hæc autem eſt conſtitutio auſtrina, quæ humida eſt natura & calida, propter quod faucibus grauis eſt, & maxime quidem propter humiditatem, conferente tamen ad idem & caliditate. Cum enim humectet, ob id, quando fauces offendit, humiditatum exceſſus, ſuperfluitatumq́ multitudo ad ipſas colligitur. Et quia calefacit, ob id etiam humiditates in capite collectas diſſoluit & ad partes inferiores tum alias tū fauces colliquādo fluere facit, ubi poſtea collectæ fluctiones atq; firmatæ, ipſas inflammant, & intumeſcere faciunt, doloreq́; afficiunt. Nec modo fauces ipſæ & partes adiacentes talia patiuntur ab auſtro, ſed & caput ipſum et ſenſuum inſtrumenta, imò & uniuerſum corpus, & mens quoq; ipſa male afficitur ab eodem, ut autor eſt Hippocrates libro aphoriſmorum 3. cum ait, Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri, diſſoluentes: quādo huiuſcemodi tempeſtas præualuerit, talia in morbis patiuntur. Et poſt, Quottidianæ autem conſtitutiones, auſtrinę diſſoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & uertigines faciunt, oculis atq; corporibus difficilem motum præſtant. Item Vergilius Georgicorum libr. 1. Verum ubi tempeſtas, & cœli mobilis humor Mutauere uias, & Iupiter humidus auſtris Denſat, erant quæ rara modo, & quæ denſa, relaxat, Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus Nunc alios, alios dum nubila uentus agebat Concipiunt. Cæ-

Auſter.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

terum quod dicit Serenus, VENTIS AGITABILIS AER, ex hoc manifesto patet non unum & idem esse uentum et aërem, ut falso putauerunt aliqui, sola ratione distinguentes ista, non autem substantia, cum tamen diuersa sint & substantia & ratione. Aër enim corpus est simplex & unũ ex quatuor elimentis mundi. Ventus uero est exhalatio calida & sicca, à sole & astris eleuata, & lateraliter transuersecꝫ nunc hac nuc illac mota & à nube debiliter repercussa. Et ex hoc nubem etiam aliud à dictis esse, cõtra eosdem, clarum est. Nubes autem ex uapore fit qui calidus est et humidus, ut potentia aqua et facile à frigido densante & constringente in aquam conuertibilis. Sed de hac re copiosius Aristoteles meteororum libro 3. qui uolet, illic requirat. *Vertitur.*) Conuertitur & ad aliam ceu austrinam permutatur constitutionem. *Ipsas.*) Scilicet fauces & partes uicinas. *Flatus.*) Ventus. *Inficit unda.*) Hoc est, humiditate afficit et humectat. *Rapidus clamor.*) Tertia causa quæ fauces lædit, est uelox, concitus, uehemens & impetuosus clamor. *Fracto.*) Rupto, & qui non in eodem statu permanet, sed uariatur, & nunc cum impetu more eorum qui ira & furore concitantur, erumpit: nunc paulisper intermittitur: demum iterum in nulla permanens cõsistentia, nunc impetuose agitatur, nunc quietius fertur, & continuo interpellitur, frangitur & interrumpitur, ad modum sonitus tubæ. Vergilius Georgicon libro 4. Et uox auditur fractos sonitus imitata tubarum. *Forte sonore.*) Sonitu magno, graui & uehemente. Vergilius: Magno ueluti cum flamma sonore Virgea suggeritur costis undantis aheni. *Planum iter.*) Fauces, guttur, & asperam arteriam, quæ spiritus uia sunt ac iter per quæ commeat. Et quãuis trachea arteria ex parte exteriore sit aspera, ut Celsus ait, ex interiore tamen, stomachi modo, leuis est. *Radit.*) Corradit, lacerat & exasperat. Idem refert Lucretius libro de natura rerum quarto dicens: Corpoream quocꝫ enim uocem constare fatendum est, Et sonitum

AER. Ventus. Nubes. *Clamor fortis.*

tum, quoniã possint impellere sensus, Preterea radit uox fauces sæpe, facitq́ Asperiora foras gradiens arteria clamor. Vbi etiam neutro genere usus est dictione arteria, sic dicta, ἀπὸ τοῦ ἀέρος καὶ τηρεῖν, hoc est, ab aëre & seruando. *Sic.*) Propter nimium clamorem & uociferationẽ. *Hortensius.*) Q. Hortensius is est, qui suis tẽporibus, uti Valerius Maximus tradit libro 5. ornamentum Romanæ eloquentiæ fuit: de quo idem libro 8. sic etiam scriptum reliquit, Q. autem Hortensius plurimum in corporis decoro motu repositum credens, penè plus studij in eodem laborando, quàm in ipsa eloquentia affectanda impendit. Itaq; nescires utrum cupidius ad audiendum eum, an ad spectandum concurreretur, sic uerbis oratoris aspectus, & rursus aspectui uerba seruiebant. Constat Aesopum, Rosciumq́ ludicræ artis peritissimos, illo causas agente, in corona frequenter astitisse, ut foro petitos gestus, in scænam referrent. A. Gellius uero Atticarum noctium libr. 1. de eodem quoq; sic refert: Hortensius omnibus ferme oratoribus ætatis suæ, nisi M. Tullio, clarior, qui multa cum mundicia & circumspecte compositeq́ indutus & amictus esset, manusq́ eius inter agendum forent argutæ admodum & gestuosæ, maledictis, compellationibusq́ probrosis iactatus est, multaq́ in eum quasi in histrionem, in ipsis causis atq; iudicijs dicta sunt. Sed cum L. Torquatus subagresti homo ingenio & infestiuo, grauius, acerbiusq́ apud consilium iudicum, quum de causa Syllæ quæreretur, non iam histrionem eum esse diceret, sed gesticulariam Dionysiamq́, eum notissimę saltatriculæ nomine appellaret. Tum uoce molli atq; demissa Hortensius, Dionysia, inquit, Dionysia malo equidem esse, quàm quod tu Torquate ἄμουσος, ἀγροδίαιτος, ἀπρόσιτος. Hactenus ille. Existimatus est autem aliquãdo Hortensius Ciceronis ęmulus, eius tamẽ scripta intra famam fuerunt. Meminit uiri clarissimi Cicero in oratione pro P. Sylla. Et memoriam eius, quę maxima fuit in homine,

Q. Hortensius.

concelebrant Quintilianus & Seneca, neq; silentio præterijt Cicero in quæstionibus Tusculanis, & maxime in Bruto ad finē, ubi multa de eo reperies. *Absumptus.*) Consumptus, defatigatus et uiribus destitutus. *Causis agendis.*) Causis tutandis & tractandis apud iudices. Martialis: De clamas belle, causas agis Attale belle. *Confectus.*) Fatigatus, deficiens, & quasi suffocatus, interfectusq;. Conficere enim proprie interficere est. Vergilius: Nunc uulnus acerbum Conficit. *Obticuit.*) Conticuit & obmutuit, propter læsionem quæ ex uehementi uociferatione, faucibus & uocis instrumentis infertur. Ingens enim clamor similem inflammationi circa membranā quæ faucibus & gutturi communis est, atq; gutturis musculos, parit affectum, propter quem cum immobiles redduntur uel claudentes uel aperientes guttur musculi: qui sic afficitur, obmutescet: cum uero uel difficulter mouentur, uel uibrant, uel tremunt, pro affectionis ipsius modo, uocis etiam fiet læsio. *Vox.*) Vox, inquit Aristoteles in hijs qui sunt de anima, est sonus aëris ab anima respirati, percussi ad uocalem arteriam, cum alicuius significationis imaginatione. Estq; solius animalis, tametsi non omnis. Est etiam uox uocalium instrumentorum munus. Instrumenta uero uocis sunt guttur, & musculi ipsum mouentes, atq; nerui, qui à cerebro ipsis uim deferunt. Nec eadem res est uox & sermo siue loquela. Loquela enim, autore Galeno de locis affectis libr. 4. munus est instrumentorum quæ sermoni deputata sunt, inter quę lingua principatum obtinet, cui non parum conferunt, & nares, & labra, & dentes. *Domino.*) Hortensio. *Viuente*). Ad uocis nanq; defectum, non statim etiam uita tollitur. Vocis etenim usus haud necessarius est ad uitam. *Nondum extincti.*) Adhuc uiuentis. Quemadmodum enim ad uocis, ita etiam & multo minus ad loquelæ defectum, non statim uita tollitur: neq; etiam ad loquelæ defectū, uox ipsa aut aliarum expirationum aliqua tollitur, sed bene ad

Causas agere.

Conficere.

Clamor ingēs.

Vox.

Vocis instrumenta.

Sermo uel loquela.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

expirationis alicuius aut uocis uitium, loquela quoq; de perditur. *Moreretur.*) Propter nimiam uociferationem lassata langueret & à loquelæ munio deficeret. *Lingua.*) Hæc enim loquelæ & sermonis instrumentum est præcipuum, articulatim uocem distinguens et loquendi usum præstans. *Diserti.*) Eloquentis & uiri clarissimi Hortensij. *Ergo.*) Propter mali periculum. *Inhibere.*) Comprimere & sedare. Differt autem à Prohibere, quoniam hoc commune est etiam ante rei inchoationem: illud uere de re iam inchoata dicitur. *Lingua.* *Inhibere.* *Prohibere.*

Simplicibus lymphis confunditur aëreum mel,
Additur excussus niuea similagine furfur,
Decocta hæc clauso simul exercentur in ore.
Præterea fauces extrinsecus ungere prodest
Vrsino & tauri seuo cærisq; remissis.
Omnia quæ geminis æquabis lancibus ante.

Simplicibus lymphis.) Aquæ puræ cui nihil alieni permixtũ est, qualis est ea quæ in communi hominũ usu est, & bibitur, quę maxime probata haberi debet, uti Columella scribit, sine qua nemo nostrum uel prosperæ uel aduersæ ualetudinis uitam proroget. Subiungit autem nunc Serenus faucium malis medicamenta, quorum primum intus applicãdum & gargarizandum, est liquor & cremor furfuris ex aqua & melle simul coctis. Cuius utilitas est mollire, lenire, detergere, discutere & dolorem mitigare. *Aëreum mel.*) Quod ex aëre decidit, & cuius materia ros est, & humor sublucanis temporibus in arborum folijs concretus roscidus & sapore melleus. Estq; duum generum. Vnum in aluearibus apium opera congestum & elaboratum, & de quo agunt rusticæ rei scriptores, Varro, Columella, & Vergilius, qui de eo dicturus quartũ Georgicon librum sic inchoat: Protinus aerei mellis cælestia dona Exequar. Et de hoc naturalis historię libro 11. cap. 12 sic scribit Plinius, Venit hoc ex aere & maxime syderum *Aqua simplex.* *Mel aerium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

exortu, pręcipueq́; in ipso Syrio exsplendescente fit, nec omnino prius Vergiliarum exortu sublucanis temporibus. Itaq; cum prima aurora folia arborũ melle roscida inueniuntur, & si qui matutino sub diuo fuere, unctas liquore uestes, capillumq́; concretum sentiunt, siue ille est cæli sudor, siue quædam syderum saliua, siue purgantis se aëris succus, siue aquæ est, & purus ac liquidus & suæ naturæ, qualis defluit primo. Nunc uero è tanta cadens altitudine, multumq́; dũ uenit sordescens, & obuio terræ halitu infectus, præterea à fronde ac pabulis potus & in uterculos congestus apum, ore enim uomunt: ad hæc succo florum corruptus, & alueis maceratus, totiesq́; mutatus, magnam tamen cælestis naturæ uoluptatem adfert. Hactenus Plin. de melle aereo ab apibus congesto & elaborato: quod faucium uitijs, ut lib. 2. testatur Dioscorides, & tonsillis medetur & anginis: imò, ut libro 22. tradit Plin. omnibus oris desiderijs utilissimum est, in quem usum gargarissatur & eo colluunt os. Alterum roris uel aëris mel quod super plãtas coagulatur est quod in uascula tale excipitur & colligitur quale ex aëre decidit: Idq́; etiã in duplici quasi differentia, Vnũ duriusculum & saccharum ab antiquis appellatum: Alterum liquidius & mel roris aut aëris à Galeno uocatum, & de quo in tertio de alimentis libro sic scribit idem: Fit hoc in plantarum folijs, neq; tamen succus earum, neq; fructus, neq; pars est, sed eiusdem cum rore generis, nõ ita tamen assiduo, nec copiose prouenit. Memini uero aliquando in æstate super arborum, fruticũ, herbarumq́; folia mellis quàm plurimum repertum fuisse, ut ludentes rustici dicerent, Iuppiter melle pluit. Pręcesserat aut nox, ut per æstatẽ, satis frigida: nam tum anni æstiuum tempus erat, pridieq́; calida & sicca fuerat aëris constitutio. Quam ob rem peritis naturę interpretibus halitus è terra atq; aquis prodeuntes, solis calore exacte attenuati ac cocti à frigore secutæ noctis in unum coacti & densati uidebantur.

Mel roris uel aeris duplex.

Sed

Sed apud nos raro id accidit, in mōte autē Libano quot annis persæpe, adeo ut expansis super terram uelleribus, mel à concussis arboribus decidens excipientes, ollas ac fictilia plena referant, uocantq; id roscidum mel, aut aëreum. Proinde liquet materiam ex qua mel generatur, rori congenerem esse. Videtur autem & ex plantis, in quarum folijs mel colligit, boni maliúe quidpiā posse acquirere. Ideoq; laudatissimum in locis thymo alijsq; herbis ac fruticibus sicci temperamenti prædense consitis inuenitur, quia tenuioribus partibus constet mel in huiusmodi plantis collectum. Quoniam autem tenuium partium est, necessario etiam acre sentitur, ideoq; aluum ad excretionem proritat. Hæc ille. Ex cuius uerbis liquido constat mel aëreum, de quo ait, esse id quod Arabes & illos sequuti nostri temporis medici mannam uocant, & à Mesue ita quoq; describitur: Manna est ros supra plantas & lapides cadens, cuius materia est uapor qui eleuatur, cui accidit digestio & maturatio in aëre, quando est æqualis & fœcundus lætis aspectibus. Diuersificatur autē secundum diuersitates rerum super quas cadit. Cadens enim super lapides est sicut guttæ paruæ quæ congelantur & fiunt sicut semen. Et cadens super plantas suscipit de uirtute plantarū et est cū permixtione particularum foliorum & florum. Educit chóleram cum facilitate, & ipsa quidem lenit guttur & pectus & uentrem, & est sedatiua sitis. Hucusq; Mesue, cuius uerbis Arabum mannā idem esse cum Galeni melle aëreo, manifesto patet. Dico autē Arabum mannam, apud Græcos enim longe aliud significat, utpote, thuris pollinem. Porrò duriusculum illud quod saccharum ab antiquis appellatur, mellis speciem esse, uel Dioscoridis autoritate manifestum est, qui libro 2. cap. 73. post mellis tractationē sic ait, Vocatur & quoddam saccharum mellis genus existens in India Fœliciq; Arabia concreti. Inuenitur id in harundinibus concretione sua sali simile, & quod dentibus subiectum salis

Mel aereū Galeni idem cum manna Arabū.

Manna Arabū aliud à manna Græcorum, ut quæ thuris pollin.

Saccharum mellis species.

modo friatur. Cui & Galenus non dissona scribit libro de simplici medicina 7. inquiens: Sed & sacchar, ut uocant, quod ex India atq; Fœlici Arabia conuehitur, in calamis, ut aiunt, concrescit. Est uero & ipsum mellis species. Nec idem Plinius ignorauit, qui libro naturalis historiæ 12. ca. 8. de eo sic prodit: Saccharon & Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in harundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile. Amplissimum nucis auellanæ magnitudine ad medicinę tantum usum. Et hoc est quod Archigenes mel harundineum & salem Indum uocat. Quo Indici salis nomine & à Paulo Aegineta libro 2. cap. 54. de asperitate linguæ uocatur cum ait: Et sal Indicus colore quidem & concretione similis communi sali, gustu autem melleus. Et Auicenna Canonis sui fen prima quarti tract. 2. capite 23. de eodem sic ait: Et teneant in ore suo salem qui asportatur de India, & est in colore salis, & dulcedine mellis. Et sumat de eo, secundum quod dixit Archigenes, quantitatem fabæ unius. Sed hactenus de mellis speciebus & saccharo quod mellis species est, aliud tamē à nunc uocato zuccaro. Quod quale sit & de omnibus mellis speciebus ac manna ipsa, qui plura uolet, is legat quæ hac de re copiose satis scripserunt reconditæ eruditionis & exquisiti iudicij uiri & medici celeberrimi Ioannes Manardus epistolarum medicinalium libro 2. & post hunc Leonhartus Fuchsius paradoxorum libro 1. *Niuea similagine.*) Simila candida & alba, quæ ex tritico fit laudatissima. Est autem simila siue similago, candor & deliciæ farinæ triticeæ, ut Plinius scribit libro 18. Cuius laudes nec Martialis ipse tacuit hoc carmine: Nec dotes poteris similæ numerare, nec usus: Pistori toties cum sit & apta coquo. *Furfur.*) Triticeæ farinæ purgamentum. Plinius libro 22. capite 25. Tritici furfures tonsillis, faucibusq; gargarisatione prosunt. *Vrsino & tauri seuo.*) Hæc enim refrigeratas partes calfaciunt, aspredines leniunt, duricies molliunt

Mel harundineum.
Sal Indicus.

Saccharū aliud à zuccaro nostro.

Simila
Similago.

Furfur.
Adeps ursi & tauri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

liunt & humores discutiunt. *Ceris.*) Ceræ usus ad multa necessarius, nec usus eius quos mixta alijs prestat, enumerare medicina possit. Estq; aliorum medicamentorum materia. Discutit autem atq; emollit: unde Celsus libro 5. inter discussoria medicamenta ipsam quoq; cõnumerat, inter mollientia uero tum ceram tum seuum & adipem. Sed quomodo fiat cera, docet Columella libro 9. cap. ult. Plinius libro 21. cap. 14. & Palladius libr. 7. cap. 7. *Remissis.*) Dissolutis & liquefactis. Vergilius: Nã frigore mella Cogit hyems, eademq; calor liquefacta remittit. *Geminis.*) Binis. Libra enim binas habet lances, unde & bilances aliquando dicuntur. *Aequabis.*) Aequo pondere mensurabis & accipies. *Lancibus.*) Lances libræ sunt partes, quibus pondus & res ponderanda imponuntur. Persius Satyra 4. Scis etenim iustum gemina suspendere lance Ancipitis libræ, rectum discernis, ubi inter Curua subit, uel cum fallit pede regula uaro. Libra autem instrumentum est quo res cum lancibus ponderantur, & alio nomine bilancem uocant. Instrumentum uero quo res sine lancibus ponderantur, statera dicitur. At trutina proprie foramen est in quo examẽ regitur. Persius: Examenq; improbum in illa castiges trutina. Examen uero dicitur proprie lingua qua trutina regitur. Vergilius: Iuppiter ipse duas æquato examine lances. Accipitur etiam lanx, quę & langula à latitudine dicitur, pro uase escario. Iuuenalis: Aspice quàm magno distendat pectore lancem. Est deniq; uas diuinis aptum lanx. Ausonius: Thuribula & pateræ, quę tertia uasa deûm? Lanx. *Ante.*) Scilicet priusquam simul commisceas.

Cera. *Lances.* *Libra.* *Bilanx.* *Statera.* *Trutina.* *Examen.* *Lanx.* *Langula.*

Disce etiam miram ex humili medicamine curam,
Ac cyatho mellis iungas agreste papauer,
Decoctumq; simul mandes, mansumq; uorabis.
Crinitæ porri radices quinq; coquantur,

Hinc aqua non feruens uoluatur fauce sonora,
Nec tamen in stomachũ descendat gutta patẽtem.

Humili.) Non precioso, sed quasi uili & plebeio, quod uel
pauperrimo cuiq; ad manus fit citra expensas magnas.
Cyathus. *Cyatho.*) Hoc est uncijs duabus & semis, quę faciũt drach
mas uiginti: licet Plinius naturalis historiæ libro 21. cap.
ultimo, cyathum pondere in se cõtinere dicat drachmas
decem, quũ ait, Cyathus pendet per se drachmas decem.
Sed si Aphricano credimus, cyathus non tantum decem
sed plures etiam continet drachmas, easq; non una diffe
rentia, sed diuersis iuxta rerum diuersitatem. Nã cuiusq;
materiæ mensurarum pondere plurimæ sunt differentię.
Congius pro chus. Vnde cum Congius siue chus sextariorum sex sit, pon-
dere autem, ut Aphricanus tradit, uini quidem quatuor
& decem librarum, olei uero nouem, mellis autem quin-
que & decem, Sextarius autem cyathos contineat duode
cim. Nam queadmodum uncia librę, ita cyathus sextarij
Sextarius. pars est duodecima. Hinc est quod sextarius uini ponde-
re facit libras duas & uncias quatuor: olei, libram unam
Cyathus. & semis: mellis, libras duas & semis. Cyathus uero uini
facit uncias duas, drachmas duas & scrupulos duos, hoc
est drachmas decem & octo & scrupulos duos. Cyathus
olei unciam unam & semis, quæ sunt drachmæ duode-
cim. Cyathus mellis uncias duas & semis, hoc est drach-
Vncia. mas uiginti. Vncia siquidem drachmas continet octo,
Drachma. drachma uero scrupulos tres. *Agreste papauer.*) De papa
Papauer agreste. uerum generibus dictum est in superioribus. Agreste il-
lorum, ut Plinius etiam testatur libro 18. in miro usu est
melle decoctum ad faucium remedia. Et, ut idem libro 20.
inquit, papauer syluestre decoquitur & bibitur contra ui
gilias, eademq; aqua fouet ora. Et hoc quoniam in fauces
Porrum. destillationes cõpescit. *Crinitæ porri radices.*) Vocat porri
radices crinitas, quasi capillatas, quoniam multas paruas
radiculas tanquam crines et pilos ex se habent dependen
tes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ces. Quod autem ad naturam eius attinet, Porrũ, ut Dioscorides libr. 2. tradit, purgat fauces & animæ canalem in cibo sumptum. Verum stomacho nocet. Quare Serenus decoctum eius gargarisari tantũ iubet, & ita quidem nequid de ipso in stomachum transmittatur propter nocumentum quod illi infert. *Non feruens.*) Sed egelida & tepida. *Stomachum patentem.*) Ventriculum apertum & amplum, hoc est, corporis cauitatem quę cibum recipit & in qua prima concoctio perficitur. In quo significato stomachi uocabulo utuntur etiam nostri temporis medici: necnon Plinius quoq;, & interdum Celsus, licet hic etiam pro gula accipiat. *Stomachus.*

Si uero adflictam languor deiecerit uuam,
Tunc horas aliquot pronus recubare memento,
Aut illam puluis tosti releuabit anethi,
Aut cinis ex cochlea, uel torrida brassica flammis.
Ast angina nitro mixtum sale poscit acetum,
Quod refert clauso uersatum agitare palato.

Si uero adflictam.) Docet nunc affectionibus & relaxationi uuæ medicari. Descendit enim aliquando cum inflammatione & dolore, tuncq;, quoniam sine periculo præcidi non potest, terrori est: quod Celsus etiã testatur libr. 6. dicens: Vuę uehemens inflammatio terrere quoq; debet. Aliquando uero omnem citra inflammationẽ est, tuncq; si ultra iustum modum deducitur, pituita causa est, hęcq; leuior est prima & curæ facilioris. *Pronus.*) In uentrem ac faciem uersus, estq; pronus contrarius supino. Plinius libro 28. Supini cubitus oculis conducunt, at proni tussibus, nec modo tussibus sed & uuulę relaxatiõi, ut hic nos docet Serenus. *Puluis tosti anethi.*) Cinis anethi. Plinius libro 20. Cinis anethi uuam in faucibus leuat. Imò suffumigatio, ut nona tertij scribit Auicenna, cũ ramis anethi, est ex eis quæ constringunt uuam ualde. *Cinis ex cochlea.*) Idem testatur Plinius lib. 32. Testę ostreorum cinis uuam *Pronus cubitus.* *Supinus.* *Cinis anethi.* *Cinis cochlearum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Cinis brassicæ. sedat & tonsillas admixto melle. *Torrida braßica flammis.*) Hoc est, igne combusta & in cinerem redacta brassica, id est, cinis brassicæ. Plinius libro 20. cap. 9. Radicum cinis uuæ in faucibus tumenti tactu medetur. *Ast angina.*) Po- nit nunc remedium cõtra anginam, quę quid sit & quot eius genera, paulò altius repetendum ex Galeno, qui de locis affectis libro 4. cap. 5. sic scribit: Præterea in pręsagiorum libro uidetur Hippocrates anginæ nomine appellare omnes affectus gutturi accidentes, quos spirandi difficultas comitatur. Inquit enim: Angina periculosissima est, celeriterq; enecat, si neq; in faucibus, neq; in ceruice quicquam apparet, si dolor uehemens est, si uix spiritus trahitur, etenim eodem die iugulat, licet interdum usque ad alterum aut tertium aut etiam quartum protrahatur. Quæ uero in reliquis, non minore quidem dolore afficit, in faucibus uero tumorem, ruboremq; excitat, superiori nõ minus periculosa est, sed longius spatium habebit, pręcipue si uehemẽs fuerit rubor. Sed tum præcipue malum prolongatur, cum non solum fauces, sed ceruicem quoq; rubor occupat. Maxime uero potest ab ea secunda ualetudo contingere, si rubor simul & ceruicem & pectus comprehendat, neq; ad interna reuertatur erysipelas. Igitur ex hijs uerbis haud dubia coniectura est, omnes affectus qui huic loco accidũt, si spirationem quoquo modo reddant deteriorem, ab ipso cynanchas (id est, anginas) nominari. Nondum solitis medicis cynanchen per c. synanchen uero per s. nominare: tantum abest, ut uel paracynanchen uel parasynanchen dicerent. Quippe tum primum homines res ipsas neglexerunt, cum nimio studio nomina quærere inciperent. Itaq; quatuor inuentis nominibus, quatuor affectus significari dicebant. Ac notas ipsorum tradere aggressi, genus illud quod supra tractauimus, quum sermonem ex libro uulgariorum morborum secundo explicaremus, omnino dereliquerunt. Atq; hæc sunt quatuor eorum genera. 1 Primum ubi fauces inflam

[Marginal notes: *Angina.* (beside "uuæ in faucibus"); *Cynanche.* *Synanche.* *Paracynanche.* *Parasynanche.* (beside the lines on the names); *Nomina quæri & res negligi.* (beside "mum homines … nomina quærere"); *Anginæ genera quatuor.* (beside "rum secundo … hæc sunt quatuor")]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

flammantur. Fauces uoco internũ oris locum, ubi simul conueniũt & gulę & gutturis partes extremę. Alterũ cum neq; fauces, neq; reliquæ oris partes, neq; etiam externarum partium ulla inflammata uidetur, laborans tamen suffocationis periculum in gutture sentit. Tertium ubi extrinsecus circa fauces inflammatio apparet. Quartũ ubi gutturis partes, tum externæ, tum interiores similiter affectę sunt. At superest adhuc alius ceruicis affectus, quem ipsi silentio prætererunt, ubi ad anteriores partes uertebræ luxantur, & quidem solis interdum musculis, qui cũ ipsis communicant, tumore præter naturam affectis, uel nato ibi tuberculo, interdum etiã faucibus pariter uitiatis. Nonnunquam musculis quoq;, quibus fauces gutturi iunguntur. Quinetiam proprijs aliquãdo gutturis musculis, qui ipsum aperiunt oblęsis. Per omnes id genus affectus, spirandi quidem difficultas oboritur, sed citra suffocationis periculum, laborantes difficulter deglutiunt atq; dolore afficiuntur, idq; præcipue, cum potus eis per nares resilit. Hactenus Galenus. *Nitro sale.*) Quid sit sal nitrum, dictum est in superioribus. Est enim nihil aliud quàm nitrum quod sali easdem uires habet, quare etiam non minus quàm sal ipse ad anginas ualet. Vtiturq; nitro cum alijs tum suffumigando tum gargarissando Hippocrates libro 2. de morbis. De sale sic tradit Plinius libr. 31. Sal quicunq; ad anginas ualet, amplius cum oleo & aceto, eodem tempore extra fauces illitus cum pice liquida. Item Corn. Celsus libr. 4. Efficacissimusq; est hic quoq;, ait, salis calidi succus. *Acetum.*) Auicenna fen 9. tertij: Et scias quod inceptio gargarisando cum aceto cum incipit passio uuæ aut synanches est ex eis quæ repellunt & prohibent attractionem humiditatis plurimæ, & est cum eo prohibitio eius quod eueniet.

Fauces. 2 3 4 5 *Sal nitrum.* *Acetum.*

At si ceruices, durataq; colla rigebunt,
Mira loquar, geminus mulcebitur unguine poples,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Hinc longum, pariter neruos medicina ſequetur.
Anſeris aut pingui torrentia colla fouebis.
Illinitur ualido multum lens cocta in aceto.
Aut capræ ſimus ex bulbo, aut ceruina medulla,
Hoc etiam immotos flectes medicamine neruos.

Ceruix. *At ſi ceruices.*) Docet nunc ceruicis & colli affectionibus mederi. Eſt autem ceruix colli pars altera, grauibus admodum morbis obnoxia, de quibus iam dictum eſt. *Ri-*

Rigere. *gebunt.*) Rigere eſt frigere, & metaphorice indurari, contrahi & diſtendi. Nam quæ frigent, ea quoq; horrent & indureſcunt. *Mira.*) Rem admirandam, propter medicamenti uim & loci qui dolet & eius qui inungitur diſtantiam & conuenientiam. *Geminus.*) Vterq;. *Mulcebitur*

Vnguen. *unguine.*) Illinietur, & inungetur. Vnguen dicitur omne illud quod ſuccum habet, ſiue omnem ſuccum, ex quo aliquid ungi poteſt. Plinius, Epiphoras bubulo ſeuo cum oleo cocto illinũt: ceruini cornus cinis ſcabricies eodem unguine ſanat. Aliquando tamen pro axungia uel ſeuo accipitur. Palladius: Sumes tantundem unguinis, quod uocamus axungiam uel ſeuũ. De axungia ſic ſcribit Plin. lib. 28. cap. 9. Tantaq; eſt uis anxungiæ, ut genibus etiam adalligata redeat in os ſapor, ea quæ expuere uideantur. Mollit autem, excalfacit ac diſcutit. Nec modo unguen hoc poplitibus inunctum ceruicis dolores ſanat, imò ſine unguine aliquo ſola fricatio etiã poplitum idem agit, ſi Plinio credimus, eiuſdem libri capite 6. dicenti, In ceruicis dolore poplites fricare, aut ceruicem in poplitum

Poples. dolore, prodeſt. *Poples.*) Poples dicitur genu ipſius poſterior incuruatio: ſic dicta, ut uolũt, quod poſt plicetur. Vnde & Plinius poplites alternis genibus imponi dicit. Dicuntur etiam poplites, nerui crurum poſteriores, flexuræq; ſuffragium. *Hinc longum.*) Hoc eſt, magnum eſt interuallum & diſtantia longa à ceruice ad poplites, & è conuerſo: quare nõ immerito mirum cuipiam uideri po-

teſt

test, quomodo medicamentũ in uno membro quopiam inunctũ, in alio tamen multum distante effectum suum producere possit et uim suam exercere, illudq́; persanare. *Pariter neruos med.*) Hoc est, similiter quemadmodũ nerui à collo ad poplites descendũt, ita eadẽ uia per neruos medicina à poplitib⁹ ad collũ ascendit, & ẽ conuerso. *Anseris pingui.*) Docet nũc qua re collum ipsum inungendum sit: & hoc cũ adipe anserino: qui tenuium est partiũ & ob id altius descendit. Calefacit aũt, mollit & discutit, quemadmodum & alij adipes omnes. Quod si quis anserinũ adipem habere nõ poterit, is Celsum sequat̃, qui uetere oleo: si id non est, Syriaco: si ne id quidẽ est, adipe quàm uetustissima ceruicẽ & scapulas & spinas perfricare iubet. Frictio enim cũ omnibus in homine uertebris utilis sit, tum ijs precipue quæ in collo sunt. Ergo die nocteq́; interpositis tamen quibusdã temporibus hoc remedio utendum est. Dum id intermittitur, imponendũ malagma aliquod ex calefacientibus. Cauendum uero præcipue frigus: similiter utilissimum esse tradit humido sale fouere ceruices. Porrò ubi leuatus est dolor, moueriq́; ceruix cœpit, scire licet cedere remedijs morbum. *Torrentia.*) Rigentia & indurata. *Fouebis.*) Inunges. *Valido.*) Acri & multum acido, & ut Plauti uerbo utar, acidissumo. *Lens.*) Lens, tis, legumen est uile ac plebeium, pauperum ac tenuiũ cibus. Lens in aceto decocta duricies discutit, autore Diosc. lib. 2. *Capræ fimus ex bulbo.*) Idem testatur Plin. lib. 28. cap. 20. dicens: Dolorem inflexibilem, opisthotonõ uocant, leuat urina capræ auribus infusa: aut fimũ cũ bulbis illitũ. An autem sine menda opisthotonõ hoc loco legi possit, iudicent alij: ego tetanõ potius legendum censeo: in quo æqualiter & ante & retro fit tẽtio, & is maxime et proprie inflexibilis est. *Capræ.*) Capras à carpendo dictas autor est M. Varro lib. de re rust. 2. ca. 3. cũ ait, Studiose enim de agrestibus fruticibus pascunt̃, atq; in locis cultis uirgulta carpũt: itaq; à carpendo capr̨ nominatæ. Ob hoc in le

Anseris adeps.

Lib. 4. cap. 8.

Lens, tis.

Capræ fimus ex bulbo.

Capræ unde dictæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ge locationis fundi excipi solet, ne colonus capra natum in fundo pascat. Harum enim dentes inimici sationis: quas etiam astrologi ita receperũt in cœlum, ut extra limbum duodecim signorum excluserint. Sunt duo hædi, & capra nõ longe à tauro. *Ceruina medulla.*) Plinius, Ad omnia eadẽ ualet medulla ceruina illita: calefacit enim, discutit & mollit. *Immotos flectes.*) Hoc est inflexibiles, rigentes & cõtractos induratosq́; reddes mobiles et flexibiles.

Medulla cerui.

Quos autem uocitant Tolles, attingere dextra
Debebis qua grillus erit pressante peremptus.

Tolles, tonsillæ **Glandulæ.** **Amygdalæ.** **Antiades.** **Paristhmia.**

Tolles.) Ponit nunc remedium cõtra tonsillas quas ipse tolles uocat, Celsus glandulas, Auicenna & recentiores medici amygdalas, Græci autem antiades, & ab isthmo paristhmia. Sunt autem tonsillæ à lateribus hypoglottidis, quæ sub adhærente lingua est, prominentes carnes, quibus subiacent, rubedine quidem consimiles, uerum auctiores, orbiculatioresq́;, μῆλα, id est mala, uocata. Et nõ solum partes has indicant, sed & malum quoq; ipsas infestans. Vnde Galenus in expositione aphorismi Hippocratis, cuius initium est, Cum uero iam magis adoleuerint, tonsillæ. Tonsillæ, ait, sunt locorum ad isthmum attinentium inflammationes. Hic autem per isthmum oportet intelligere partem illam quę os et gulã interiacet, quæ per metaphorã quandã ita nominał ab his qui proprie dicũtur Isthmi. Sunt aũt angusti quidam terræ transitus inter duo maria sitæ. Hęc autem tonsillę sunt nõnunquam solius tunicæ, uẽtri ac gulæ, & faucibus, totiq́; ori cõmunis inflammationes, nõnunquam uero & subiectorum ipsi musculorũ. *Dextra.*) Manu. *Grillus.*) Grillo, ut Plin. in hist. naturalis lib. 29. circa finem tradit, magnam autoritatem perhibet Nigidius, maiorem magi, quoniã retro ambulet, terramq́; terebret, stridat noctibus. Is, ut idẽ Plin. capite tertio libri trigesimi prodit, fauciũ asperitatẽ et destillationes lenit extra infricatus. Aut si quis manibus quibus eũ cõtriuerit, tonsillas attingat, sanabitur.

μῆλα, mala. **Isthmi.** **GRILLVS.**

Tussi

TVSSI ET CHOLERAE MEDENDIS.

CAPVT XVI.

NOXIA si penitus choleræ sæuire uenena
Perspicies, cocta lactucæ fronde leuabis,
Proderit & caules assumere sæpe madentes.

TVSSI.) Tussis est motus naturæ expellere conantis nociuum à pulmone & membris illi continuis atq; propinquis, è quorum numero inter alia sunt guttur ac fauces, quarum asperitate & exulceratione nonnunquam tussis accidit. Vnde Celsus ait, Tussis ferè propter fauciũ exulcerationem molesta est, quæ multis modis contrahitur. Itaq; illis restitutis, ipsa finitur. Solet tamen interdum per se quoq; male habere, & uix cum uetus facta est, eliditur: ac modo arida est, modo pituitam citat. Estq; tussis pectori, ut Auicenna dicit, sicut sternutatio cerebro: & completur cum dilatatione pectoris & constrictione eius & motu uelaminis. A tussi fit tussedo & pertussis, id est continens tussis & inueterata, quæ uix unquam curationẽ admittit, & qua plurimi intereunt. *Choleræ.*) Choleram Galenus acutissimum malum esse scribit, quod cum multa & immodica bilis deiectione & uomitu fit, & in quo suræ contrahantur, & membrorum algeant extrema, & uenarum pulsus fiãt exigui & incerti. Fitq;, ut Paulus Aegineta dicit, ex cõtinua ciborum cruditate in stomacho inherẽte ob ingurgitationes nimias, aut prauos redundantes humores. Hoc malum Celsus libr. 4. longius describit hijs uerbis: Cholera commune stomachi atq; intestinorum uitium uideri potest. Nam simul & deiectio & uomitus est, præterq; hæc inflatio est, intestina torquentur, bilis supra infraq; erumpit, primũ aquæ similis, deinde ut in ea recens

Tußis. Decima tertij. *Tussedo.* *Pertußis.* *Cholera.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

caro lota esse uideatur, interdum alba, nonnunquam nigra uel uaria. Ergo eo nomine morbi hūc choleram Græci nominarunt. Præter ea uero quæ supra comprehensa sunt, sæpe etiam crura manusq; cōtrahuntur, urget sitis, anima deficit: quibus concurrentibus non mirum est, si subito quis moritur, neq; tamen ulli morbo minori momento succurritur. De hac etiam copiosius Auicenna fen 16. tertij, apud quem tamen corrupto uocabulo Colirica legitur pro cholera. Et æui nostri medici bilem quæ Græce χολὴ chole dicitur, perperam uocant choleram. *Noxia uenena.*) Humores prauos & perniciosos choleram efficientes. *Penitus.*) Omnino & uehementer. *Cocta lactucæ fronde.*) Folijs lactucæ coctis. Refrigerat enim lactuca & bilem efferuescētem compescit: aguntq; id tum folia ipsa tum caules eius, quare etiam subiungit, Proderit & caules assumere sæpe madentes, hoc est, thyrsos ac stipites lactucæ humentes & coctos. Et idem etiam testatur Plinius nat. hist. libro 20. cap. 7. dum inquit, Lactucas in cholera coctas patellis dederunt: ad quod utilissimę quàm maxime caule, sed amaræ. Quidam lacte infundunt: deferuefacti hij caules & stomacho utilissimi traduntur.

χολή.

Lactuca.

Interdum fauces tussi quatiuntur atroci,
Allia tum sumis decocta & melle peruncta,
Semina uel raphani permixto dulcia melle,
Aut si fraxinea semen de fronde reuellis,
Integriora uora, uetitus contingere dente,
Ouum melle teres domitum feruentibus undis,
Marrubiumue potēs, hæc faucibus optima sumes,
Frenabisq; grauem facili medicamine tussim.

Quatiuntur.) Concutiuntur, & exasperātur. *Atroci.*) Graui, molesta & uehemente. *Allia.*) Allium, ut Hippocrates libro 4. de ratione uictus in acutis tradit, pectus calefacit, Porrò quod hic Serenus de allijs ex melle, id Plinius

Allium.

de

de iisdem cum adipe uetusto uel lacte decoctis & assumptis contra tussim testatur. Dioscorides uero, simpliciter fauces ad uocem clariores reddere, et ueterem tussim tum crudum tum coctum lenire tradit. Et Celsus, ubi sicca tussis est & uehemētissime urget, prodesse dicit sorbere cum spica allii contriti duos uini cyathos, & aliquādo cibum acrem ut lac cum allio coctum. *Peruncta.*) Illita, intincta & immersa. *Semina raphani.*) Nam fortius quod est in ipso, ut tradit Auicenna, est semen ipsius. Verum quod Serenus specialiter de semine, id alii simpliciter de radice referunt. Dioscorides, Estur elixus utiliter contra ueterē tussim, & quę crassa in pectore concrescunt. Plinius, Ad tussim etiam mane ieiunis raphanus prodest cum melle. *Fraxinea semen de fronde.*) Fraxini semen quod frondi ac foliis adnascitur. Nam, ut Plinius etiam tradit, semen foliis fraxini inest. *Integriora.*) Hoc est, integra & non fracta: quare subdit etiam, Vetitus cōtingere dente. Nisi ut manu scriptus codex habet una sublata litera legere malueris Interiora, quo amoto cortice interior nucleus solum deuorandus esse intelligatur, & nihilo secius idem quoq; integer dētibus non fractus aut commolitus. *Ouum melle teres.*) Idem medicamentū docet Plinius libr. 29. cap. 3. dicēs: Dātur oua & tussientibus cocta & trita cū melle. Amplius, eodem autore, prodest tussiētibus per se luteum deuoratum liquidum, ita ut dentibus non attingatur, thoracis destillationibus, faucium scabricie. Et Auicenna, Conferunt, inquit, oua sorbilia asperitati pectoris & pulmonis & gutturis & tussi & pleuresi & ethicis et raucedini uocis ex caliditate & stricturæ anhelitus & sputo sanguinis, proprie cum sorbetur uitellus eorū tepidus. Nam melius, quod est in eis, est uitellus qui ad caliditatem temperatam tendit. Sed hæc medicina potissimum ualet ubi febris abest, teste Celso qui ait, Si abest febris, & molle quoq; ouum dari potest potui. *Domitum feruentibus undis.*) Hoc est, coctum. *Marrubium.*) De marrubio sic tradit

Semen raphani. *Fraxini semen.* *Oua.* *Marrubium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Dioſcorides libro 3. Dantur cum melle tabidis, tuſſientibus, ſuſpirioſisq́ꝫ ſiccata marrubij folia & ſemen tum in aqua decocta, aut ex uiridibus expreſſus ſuccus. Et Plinius libro 20. cap. 22. Marrubij folia, inquit, & ſemen contrita proſunt contra tuſſim ueterem. Et, Arida farina cum melle ad tuſſim ſiccam efficaciſſima eſt. Celſus item marrubij ſuccum cõtra ſiccam tuſſim aſſumere iubet. Et Apuleius, Herbam marrubium, ait, decoque cum aqua, et dato bibere eis qui grauiter tuſſiunt, ſanabuntur mirifice.

DIGESTIONI ET STOMACHO.

CAPVT XVII.

QVI ſtomachum regem totius corporis eſſe
Contendunt, uera niti ratione uidentur.

DIGESTIONI.) Quoniam nec alit, nec in corpus it cibus, ni prius exuperãti extraneaq́ꝫ qualitate omni ſit exutus, ideo quàm maxime neceſſaria eſt eius digeſtio & concoctio, quæ triplex eſt. Vna & prima quæ in ore habet initium, fit autem in ſtomacho, & perficitur in inteſtinis, à qua ſuperfluitas ſecernitur craſſior & feculentior. Altera et ſecunda incipit in meſeraicis: fit autem in hepate, & perficitur in uenis craſſioribus, à qua ſequeſtratur ſuperfluitas aquoſa in urinam. Tertia uero incipit in uenis minutis, & fit in capillaribus, completur autem in capillarium extremitatibus, cuius ſuperfluitas ſubtilior etiam per ſudores ſeuocatur. Fit autem in prima digeſtione ex cibo chylus: in ſecunda ex chylo chymus: in tertia ex chymorum globo humiditas prima & ἀνώνυμος, id eſt innominatus humor. De prima harum agit hoc loco Serenus, & per digeſtionem intelligit concoctionem, qua cibus à natiuo calore in ſtomacho coquitur. Aliâs enim digeſtio Galeno eſt

Digeſtio triplex.

Digeſtio.

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quam Græci ἀνάδοσιν uocant, hoc eſt, concocti iam cibi *Concoctio.*
diſtractio ac diſtributio quæ à natiuo calore in totum cor ἀνάδοσις.
pus eiusq́; partes, cum propria mutatione et confectione
fiat. Cæterum noſtra ætate hos diuerſos naturæ motus
miſcemus, et digeſtionem pro cōcoctione, quoniam eam
ſequitur, quottidie & paſſim appellamus: quamuis, uti
Galenus docet, diuerſam in natura finem habeant con-
coctio & digeſtio. *Stomacho.*) Dolori ſtomachi, qui in-
ter grauiſſimos cōnumeratur à uetuſtioribus: quamuis,
ut Plinius libro 25. ait, Qui grauiſſimi ex morbis ſint diſ- *Dolores grauiſ*
cernere, ſtultitia prope uideri poteſt, cum ſuus cuique ad *ſimi qui.*
præſens quiſq; atrociſſimus uideatur. Et de hoc tamen
iudicauere aui experimento aſperrimos cruciatus eſſe cal
culorum à ſtillicidio ueſicæ, proximū ſtomachi, tertium
eorum qui in capite doleant. Intelligit autē Serenus per
ſtomachum, non gulam aut os uentriculi, uti Galenus, *Stomachus.*
Plinius & aliquando Celſus, ſed uentriculum ipſum, ci-
bi receptaculum, duabus maximis conſtantem partibus,
quarum altera ſuperior gulæ continua ex multis conte-
xitur neruis ſenſificis, altera uero huic continua, ad inte-
ſtinorum uſque exortum extenditur, quod inteſtino- *Exortum inteſti*
rum primum eſt: ſic dictum, quia ex pyloro primum *norū primum.*
exoriatur, aliâs quia ad longitudinem 12. digitorum ex- *Duodenum.*
tenditur δωδεκαδάκτυλον, id eſt duodenum uocatum. Py Δωδεκαδάκ-
loron autem, quod Auicenna portanarium uocat, ima τυλον.
uētriculi pars eſt, cui ἔκφυσις hoc eſt exortū inteſtinorum ἔκφυσις.
primum continuatur. Et in dicta iam ſignificatione ſto- *Pylorus,*
machum noſtra quoque ætate accipimus. *Qui ſtomachum* *Portanarium.*
regem totius &c.) Haud perperā nec abſurde, ſed quā opti *Analogia ſto-*
me et cum ratione ſentire illos qui ſtomachū uniuerſi cor *machi.*
poris regē adſtruūt, uel ex analogia perſuaderi nobis po-
terit. Quemadmodū enī rex bene gubernaturꝰ, quo uni
uerſis & ſingulis æque conſulere & prouidere poſſit ſub-
ditis, regiā in medio regni orbe collocat, & ſedulus non
ſegnis optimas ſemper & ſuis commodiſſimas leges ex-

cogitat, minusq́ utiles emendat, aut in uniuersum tollit, quo subditi circa munia sua obseruātiores & citra tumultū tranquille pacificeq́ uiuere & in aduersis erigi possint. Qualis enim rex fuerit, qualesq́ leges sanxerit, tales etiānum subditi tum populares tum nobiliores euadunt, & omnia ad eius exemplū susq́ deq́ agunt. Nam mobile, ut Claudianus inquit, mutatur semper cū principe uulgus. Hunc etiam in modum res se habet stomachi ad reliquum corpus. Is enim in medio corpore situs, omnibus & singulis æque prouidet, suū cuiq; distribuens alimentum: quod quo melius acceperint, eo melius operationes suas perficiūt, citraq́ offensam sana & incolumia permanent: sin malum, deterius operabuntur & ægre ferēt aduersis casibus & morbis semper obnoxia. Et quemadmodum in regno periclitante rege aut incolumi perseuerante, subditi quoq; periclitantur aut salui permanent: ita etiam bene ualente stomacho, reliqua ualent & ad eius uigorem firmantur: cōtra uero, ipso male affecto, illa quoq; male afficiuntur, & ad casum eius proprijs uiribus destituuntur, non solum quæ inter ignobiliora ceu uulgus censentur, sed & principantia ipsa, maxime sensuum organum cerebrum & sensus ipsi, ni statim ab initio suppetiæ illi ferantur, unde perquàm bene à poëta dictum est, Principijs obsta, sero medicina paratur.

Huius enim ualidus firmat tenor omnia membra,
Et contra eiusdem franguntur cuncta dolore.
Quin etiam nisi cura iuuet uitiare cerebrum
Fertur, & integros illinc auertere sensus.
Lactucæ semen nigræ quod lingnea pila
Triuerit admixto ieiunus sumito melle,
Sed cochlear trino gustu tibi sufficit unum.

Huius ualidus tenor.) Stomachi constitutio ualida & firma atq; ualetudo prospera. *Contra.*) E contrario, ex parte contraria. *Franguntur.*) Rumpuntur, male afficiuntur & læduntur

læduntur. *Quin etiam.*) Atq; etiam, insuper. *Cerebrum.*) Hoc enim stomacho facile compatitur. Nam, ut Auicenna tradit, menbrorum cõmunicantium ipsi primum & dignius eorum est stomachus. *Integros sensus.*) Vim sensoriam, quæ in cerebro consistit, integram, incorruptam & incolumem. *Lactucæ semen nigræ.*) Lactucarũ plura sunt genera, quæ alij aliter discernunt. Græci enim, ut Plin. tradit, tria fecerunt genera, unum lati caulis, alterum rotundi caulis siue crispum, tertium sessile. Alij à colore & satus tempore illas diuisere, esseq; nigras quarum semen mense Ianuario seratur, albas quarum Martio, rubentes quarum Aprili. Sunt item alijs quoq; distinctæ nominibus lactucæ, aliæ eni Ceciliæ, aliæ Cappadoces, aliæ Tartesiacæ, aliæ Paphiæ siue Cypriæ appellantur. Sed de generibus earum Columella rei rusticæ suæ libro 10. sic scribit: Iamq; salutari properet lactuca sapore, Tristia quæ releuat longi fastidia morbi. Altera crebra uiret, fusco nitet altera crine, Vtraq; Cecilij de nomine dicta Metelli. Tertia, quæ spisso, sed puro uertice pallet, Hæc sua Cappodocæ seruat cognomina gentis. Et mea, quam generant Tarthesi littore Gades. Candida uibrato discrimine, candida thyrso est. Cypros item Paphio, quam pingui nutrit in aruo Punicea depexa coma, sed lactea crure est. Quot facies, totidem sunt tempora quanq; serendi. Cæciliã primo deponit aquarius anno, Cappadocamq; premit ferali mense Lupercus. Tuq; tuis Mauors Tarthesida pange calendis, Tuq; suis Paphien iterũ iam pange calendis, Dum cupit, & cupidæ quærit se iungere matri, Et mater facili mollissima subiacet aruo. Hactenus Columella de generibus eius & satus tempore. Vis & natura omnibus refrigeratrix: quam ob causam æstate à stomacho fastidium auferunt, cibiq; appetentiam faciunt. Diuus certe Augustus, ut Plinius refert, lactuca cõseruatus in ægritudine fertur prudentia Musæ medici, cum priores eam ob relligionem minime commanducarent: nec

Lactucæ genera.

Lactucæ uis & natura.

mirum, cum & concoctionem adiuuet, &, quod Paulus Aegineta testatur, boni succi sanguinem faciat. Est insuper soporifera, somnumq́ concilians: quam ob causam & Galenus sero ea uescebatur, eratq́ ipsi solum uigiliarũ medicamentum sero commesta lactuca, uti ipsemet scribit libr. de alimentis secundo. Vbi addit etiam quod ipsa quatenus olus est, satis nutrit, neq; nocumento est ut alia olera: & quia stipticitatem non habet neq; salsedinẽ neq; acuitatem, ideo neq; uentrem stringit neq; laxat. Laudat autẽ hic ad medicinæ usum Serenus semen eius, ut quod minus humidũ sit & ad siccitatem declinãs, qua de causa etiam stomacho conuenientius. Solet enim aliquando humiditas ipsa nescio quid malignitatis annexũ habere. Iubet uero illud ex melle assumere, sed oportet ut id sit coctum ac despumatum. Crudum enim omne & non despumatum, inflat aluum & tussim proritat, autore Dioscoride. Et quamuis lactuca per se calido uentri accommoda sit, medicina tamen hæc ex semine & melle frigido conuenit. Semen enim minus frigidũ est, & frigida quæ in ipso est quantulacunq; qualitas, melle frangitur, operaturq́ potius siccitate sua quàm frigiditate. Est & mel ipsum despumatum, ut tradit Galenus therapeutices lib. 7. frigido uentri utilissimum, calido uero inimicissimum. Atq; hæc ambo meminisse in primis oportet, utiq; à plerisq; medicis ignota. Ac neq; aliquid frigido corpori melle potius expetere, neq; ad calidum magis respuere. Ergo mel optimum esto, sed quod prius super prunas ex quercu seu uite ad summũ cãdentes, fuerit decoctum & curiose despumatum. *Lignea.*) Ligneam esse cõuenit pilam, ne mali quid contrahat medicamentum: quod facile fieret si metallica esset, quales ætate nostra cõmuniter habentur. Tales siquidem malignam quandã naturam relinquũt in rebus pisatis ac tritis, quæ obesse solet, quod ex ligneis non est ita timendum. *Pila.*) Pila dicitur res sphærica, rotunda & globata. Et per diminutionẽ pilula dicitur

Mel crudum.

Mel despumatũ

Pilæ significationes.

Pilulæ.

dicitur parua pila. Vnde et catapotia à rotunditate pilulæ dicuntur medicis. Aliquãdo tamẽ pila pro columna accipitur qua ædificia sustentantur. Horatius: Nulla taberna meos habeat neque pila libellos. Et ad huius similitudinem pinsendi instrumentum in columnæ speciem longum effigiatum, quod alio nomine à pinsendo pistillum dicunt, pila quoq; appellatur, ut hoc loco. Aliquando tamen uas ipsum concauum in quo medicamina pinsunt et mortarium uocant pigmentarij, pila etiam dicitur. Varro: Itaq; quidam thymum contundunt in pila. Demum pilæ, uti Sexstus Pompeius scribit, effigies quædam erant tum uiriles tum muliebres ex lana, quæ compitalibus suspendebantur in compitis, quod deorum inferorum, quos Lares uocant, esse putarent: quibus tot pilæ, quot capita liberorum, seruorum, mulierum circa compita habitabant, ponebantur: ut his pilis & simulachris contenti, uiuis parcerẽt. Hijsce uero imaginibus, nullius omnino pretij uestes circumponebantur. Proinde Martialis pannosos & uestes laceras, pertritas atq; conscissas aliquando pilas uocare solet, ceu epigrammatum libr. 2. cum ait: At mea, quæ passa est furiosi cornua tauri Noluerit dici quàm pila prima suam. Et libr. 10. in Laurum: Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas, Nunc postquam desijt ludere, prima pila est. *Cochlear.*) Cochlear siue cochlearium, utrunq; enim dicitur, mensuræ genus est, & ut Aphricanus tradit, mystri dimidium, estq; mensurarum minima. Et pondere pendet uini drachmas duas & scrupulum unum, olei drachmam unã & semis, mellis drachmas duas & semis. Et hoc iuxta dimensum quo sextarius & cyathus supra capite 15. ex sententia Aphricani in sua pondera dimensi sunt. Porrò sunt qui cochlearium mellis sex drachmarum esse dicant, medicinarum uero drachmarum duarum & semis: minimum autem cochlearij pondus esse drachmam dimidiam. Sed Aphricani doctrinam nos cæteris præferimus, ut quæ tum Hippocratis

Serm. lib. 1. Sat. 4.

Pistillus.

Mortarium.

De re rust. li. 3.

Cochlear.

Cochlearium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tum Latinorum medicorum medelarum ponderibus & mensuris magis conueniat.

Aut tritum semen raphani, mulsumq́ iuuabit,
Siue duæ partes absinthi ac tertia rutæ
Decoctis potantur aquis. Siliquæq́ madentes.

Raphani semẽ. *Semen raphani.*) Fortius enim quod est in ipso, est semen ipsius, autore Auicenna. Et quamuis uomitorium quoq; sit, ut Dioscorides ait, uentositates tamen, ut scribit Auicenna, resoluit, & in ipso est subtiliatio fortis, & resoluit inflationem in uentre, & facit facilem egressionem cibi, et facit appetitum. Cæterum Plinius satiuorum semen tostum quidem & commanducatum ad lagaroponon utile scribit lib. naturalis historiæ 20. *Mulsum.*) Hoc est, mel le confectum, conditum atq; permixtum. *Absinthi.*) Absinthium omnibus notum est. Probabilius tamen et quo præstantius nullum, imò omne aliud bonitate antecedẽs est quod in Ponto & Cappadocia monte Tauro nascitur, ut autor est Dioscorides, Plinius & Apuleius. Est autem absinthio calefaciendi uirtus: et ultra hanc aliȩ duȩ et quidem contrariæ, uidelicet detergens atq; adstringens, quemadmodum Galenus de sanitate tuenda libro 6. testatur, inquiens: Absinthio uis est detergendi adstringendiq́ ac talis quȩ tunicarum uentris sordes detergeat, non si quid altius in eo imbitum est, foras extrahat & expellat. Et huiusmodi duplicem naturã in absinthio Mesue quoque fatetur, cum duplicem illi substantiam esse scribit, Vnam calidam amaram & nitrosam, opilationum aperitiuam & naturæ solutiuam: alteram terream stipticam, membrorum confortatiuam, & laxarum partium aggregatiuam, sed stipticitas plus est amaritudine sua. Et hoc uerum est si de Pontico intelligatur. Nam cum duplex in omni absinthio facultas & qualitas sit, uti Galenus therapeuticæ libro 11. scribit, utiq; in Pontico adstringendi facultas non parua est: in reliquis omnibus amara quidem

Absinthium.

quali-

qualitas est uehementissima. Astrictio uero, quam saltem gustu agnoscas, aut plane obscura, aut prorsus nulla sentitur. Proinde Ponticum ad iocinoris & uentris phlegmonas eligi pręstat. Porrò id est tum folio tum uero flore longe quàm cætera absinthia minore. Odor quoq; huic non modo non insuauis, uerum etiam aromatum quid præferens, reliquis omnibus plane est fœdus, quare hæc fugere conueniet, uti aũt semper Pontico. Hęc ille. Nunc ex hijs quæ Plinius naturalis historiæ lib. 27. cap. 7. de absinthio scribit nonnulla subiungam: Nam, ut inquit, de usu eius conuenit dicere, herbæ facillimæ atq; inter paucas utilissimæ. Stomachum corroborat, & ob hoc sapor eius in uina transfertur. Bibitur & decoctum aqua ac postea nocte & die refrigeratum sub diuo decoctis sex drachmis foliorum cum ramis suis in cælestis aquæ sextarijs tribus. Oportet & salẽ addi. Vetustissime in usu est. Bibitur & madefacti dilutum. Ita enim appellatur hoc genus. Diluti ratio, ut quisquis fuerit modus aquę, tegatur per triduum. Decoctum stomacho saluberrimum. Nãq; astringit stomachum, bilemq; detrahit. Aluum mollit & in dolore sanat. Concoctiones adiuuat. Cruditates detrahit cum ruta & pipere & sale. Habet & alias uirtutes quãplurimas, quas longum esset nunc recensere. Id solũ nunc addatur, quod Dioscorides quoq; ait, ipsum calefacere & adstringere, concoctiones adiuuare, purgare quæ in stomacho & aluo biliosa hærent, quin etiam urinam ciere, & præsumptum crapulas arcere. Et alia quæ nunc omittuntur. *Rutæ.*) Ruta omnibus nota. Estq; duum generum, Vna syluestris & montana: altera satiua & hortensis, feruentis naturæ utraq; & calefacientes ambæ, aluum sistunt siue in cibo siue in potu dentur, autore Dioscoride libro 3. cap. 45. Et, ut Plinius nat. hist. libro 20. cap. 13. ait, in pręcipuis medicaminibus ruta est, cruditates discutit, mox inflationes, dolores stomachi ueteres. Ad crapulæ grauedines decoquuntur folia poturis. Et in cibo uel *Ruta.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Siliqua. cruda uel decocta, conditáue prodest. *Siliquæ.*) Siliqua
Siliqua dulcis, Græca. dicta est communi alijs siliquis nomine, sed ut ab alijs di
stinguatur, nunc dulcis, nunc Græca siliqua cum adiun-
Ceration. cto appellatur. Græci Ceration uocant, à cornu facto no
mine quo in frugibus & leguminibus aliquot longiores
siliquas dicũt: ijdem quoq; ex lignosa soliditate, cornuq;
Xylocerata. longitudine & flexura facto nomine Xylocerata appella
uerunt, quę dictio apud recentiores Latinos medicos ad
huc in usu est, sed deprauata: non enim xylocerata, sed xy
locaracta perperam ab eis appellatur, & uulgo panis san-
Panis sancti Ioannis. cti Ioannis. Arabes Carnubium, aliqui Carobe uocant.
Est autem siliqua fructus arboris, quam paulo deflexa uo
Carnubium. ce à ceratijs Ceratoniam uocat Paulus Aegineta. Estq; il
Carobe. li digitorum hominis longitudo & interim falcata polli-
Ceratonia arbor cari latitudine, cuius & cortex ipse manditur. Estq; simi-
lis Casiæ fistulę. Nam utriusq; corticis color idẽ, medulla
dulcis & similibus distincta seminibus, quod tum sensus
ipse, tũ Serapionis autoritas manifesto cõprobat. Hic enĩ
capite de casia fistula inquit, Intra cannas casiæ, sunt lami
nę ex carne nigra, & parietes diuidẽtes inter eas, et inter la
minã et laminã sunt grana sicut grana xylocaractę, et eius
dẽ magnitudinis, quorũ color est inter glaucedinẽ & ru-
borẽ. Hęc ille. Adhuc eadẽ est illis proprietas. Nã utriusq;
medulla recens uentrem laxat, exiccata uero & arida, po-
tius contrahit, euaporata quidem humiditate, terrestri au
tem remanẽte substantia. Porrò siliquæ huius usum dam
nauit in cibo Galenus: sed hoc maxime de recentibus in-
telligendum est. Nam, ut Dioscorides libro 1. tradit, sto-
macho inutiles in cibo recentes & aluum soluunt, sistunt
contra siccatæ, stomacho tunc utiliores fiunt & ciendæ
urinæ accommodatæ. Eadem comprobat & Dioscoridi
subscribit Plinius libro 23. cap. 8. sic inquiens: Siliquæ re-
centes stomacho inutiles, aluum soluunt: eædem siccatæ
sistunt, stomachoq; utiliores fiunt, urinam ciunt. Syria-
cas in dolore stomachi ternis in aqua sextarijs decoquũt
qui-

quidam ad dimidium, eumq́ꝫ succum bibunt. Et hoc est quod Serenus hic ait Madentes, hoc est, madefactæ & in aqua decoctæ, uti ex Plinio iam patuit.

Semina uel marathri fœtæ cum lacte capellæ,
Pulegium quoqꝫ decoctum curabit amice.
Et potu & fotu stomacho conducit anethum.

Semina marathri.) Marathron Græce, Latine fœniculum, nota planta, de cuius semine sic ait Plinius libr. 20. cap. 23. Semen stomachum dissolutum astringit uel in febribus sumptum. Nauseam ex aqua tritum sedat. *Fœtæ.*) Hoc est, iam haud multo antea enixæ & partu liberatæ atqꝫ lactantis. Nam, ut Auerrois ait, Lac melius est illud quod est prope partum, id est, post duos menses. Varro libro 2. in fine, A mulgendo atqꝫ ortu optimum est lac, quod neque emunctum longe abest à mulso, neqꝫ à partu continuo est sumptum. *Lacte capellæ.*) Lac caprinum inter alia stomacho conuenientius esse testantur alij quoqꝫ autores. Vnde Plinius nat. hist. libr. 28. cap. 9. inquit, Stomacho accommodatissimum caprinum, quoniam fronde magis quàm herba uescuntur. Et Dioscorides libro 2. Aluum, inquit, minus tentat caprinum, propterea quod capræ multo adstringente pabulo utuntur, quercu, lẽtisco, olea & terebintho, quam ob causam stomacho etiam utile est. Et paulo post, Minore, ait, inflandi ui est quod semel decoctum fuerit lac. *Pulegium.*) Nota omnibus herba pulegium. Virtus illi calefaciens & extenuãs: hæc stomachi ex aqua intercisiones sistit, autore Plinio lib. 20. cap. 14. Et concoctiones, ut Dioscorides libr. 3. tradit, adiuuat. Nauseas & erosiones stomachi potum cum posca lenit, nigram per inferna trahit bilem. Apuleius item, Pulegium, inquit, tritum uel in aqua maceratum cũ aceto potui dabis, nauseam stomachi sedat. Amplius ad inflationem stomachi uel intestinorum, pulegium ex aqua calida tritum, uel ex uino, uel per se dato, rem miraberis illico.

Marathron. Fœniculum.

Lac capræ fœtæ.

Pulegium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Amice.) Blande, suauiter, iucunde & citra molestiam aliquam. *Anethum.*) Anethum ut, Plinius tradit, sumptum ex aqua sedat cruditates. Et, ut Dioscorides scribit, inflationes finit. Aluum, neq; ex alto surgentes uomitiones sistit, singultus lenit. Et quia cibi appetentiam facit, uocari etiam tradità quibusdam Anicetum, cõmuni omnibus quæ cibi appetentiam faciunt appellatione. Sic etenim à Græcis ea uocantur. Verum in scripto codice legitur Acetum: de quo mox dicetur.

Anethum.

Anicetum.

Seu cochleas undis calefactas ac prope uictas,
Suppositis torre prunis, uinoq; garoq;
Persusas cape, sed prodest magis esse marinas.

Cochleæ

Cochleas.) Hunc cochlearum usum medicum Plin. quoq; attestatur libro naturalis historiæ 30. hijs uerbis: Medetur pręcipue uero cochlearũ cibus stomacho. In aqua eas subseruefieri intacto corpore earum oportet, mox in pruna torreri nihil addito, atq; ita è uino garoq; sumi, præcipue Africanas. Nuper hoc cõpertũ plurimis prodesse. Id quoq; obseruant, ut numero impari sumant. Cæterũ ultra medicum hunc usum delicatorum ganeam quoq; implebãt olim cochleæ, quod & nũc etiam faciunt. Quo modo aũt uarie ad delicias illas instruebantur olim, satis copiose docet nos Apitius Culinariæ artis suæ lib. 7. qui Polyteles inscribitur: quare locum tãtum signasse nobis satis sit. *Vino.*) Quod medię ætatis esto, & albũ & tenue, purũ item, et omnẽ citra alienæ rei cõmixtionẽ, & natura austerũ. Tale enim, autore Dioscoride libr. 5. cõmuniter hæc præstat, calefacit, facillime digeritur, stomacho utile est, cibi appetentiam excitat, corpus alit, somnum conciliat, uires corroborat, & amabili colore cutis bonitatem commendat: facit & ad inflationes diutinas & stomachi resolutionem. Neq;, ut Plinius lib. 14. cap. 5. scribit, uiribus corporis utilius aliud, neq; aliud uoluptatibus perniciosus, si modus absit. Sed quæ maior uino laus tribui

Vinum.

potest

potest, quàm quod hominis cor lętificat? ut sacrę etiã attestantur literæ. *Garo.*) Garũ est liquamẽ ex pisce factũ, hoc est, salitorum piscium liquor. De quo Plinius lib. 31. cap. 7. sic scribit: Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus est, quod garũ uocauere, intestinis piscium cæterisq́ꝫ quæ abijcenda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescenti um sanies. Hoc olim conficebatur ex pisce, quem Græci garon uocabant. Nunc è scombro pisce laudatissimum in finibus Carthaginis spartarie & cetarijs, sociorum appellatur. Vitium huius est Alex imperfecta nec colata fex. Cœpit tamen & priuatim ex inutili pisciculo minimoq́ꝫ confici: Apuam nostri, aphyen Gręci uocant, quoniam is pisciculus è pluuia nascitur. Foroiuliẽses piscem ex quo faciunt lupum apellant. Transijt deinde in luxuriam, creueruntq́ꝫ genera ad infinitum, sicut garum ad colorem mulsi ueteris, adeoq́ꝫ dilutam suauitatẽ ut bibi possit. Aliud uero ad castimoniarum superstitionem, etiã sacris Iudæis dicatum, quod fit è piscibus squama carentibus. Sic Alex peruenit ad ostreas, echinos, urticas, gammaros, mullorum iocinora. Innumerisq́ꝫ generibus ad saporem gulę cœpit sal tabescere. Hęc obiter indicata sint desiderijs uitæ, & ipsa tamen nonnulli usus in medendo: uti Serenus in præsenti quoq; testatur. Cæterũ quemadmodum Plinio, sic etiam Dioscoridi, Garum est, non ut alijs quod feculentum carnosumq́ꝫ in eo subsedit, sed quod liquidum & aquæ modo fluens supernatat. Et amplius Dioscoridi non in piscibus tantum, sed & in animalium carnibus garum quoq; dicitur, quod ex earum salsura exsudatum: siue, ut Columella ait, exsaniatum fluxerit. Inquit enĩ Dioscorides, Sistit omne ex salsis piscibus, itemq́ꝫ animalium carnibus garũ quæcunque pascendo serpunt, si eo foueantur. *Cape.*) Accipe, assume & comedito. *Marinas.*) Non refutat autor terrestres, sed tamen accommodatiores tradit marinas: quod Plinius etiam fatetur libro 30. cap. 3. his uerbis: Contra marinæ stomacho

Garum.
Alex.
Aphya piscis.
Apua piscis.
Libro 2.
Cochleæ terrestris, marinæ.

utiliores, efficacissimæ tamen in dolore stomachi. Porrò de utriusq; tum terrestris tum aquatilis cochleæ in medicina usu sic scribit Diosc. Stomacho accõmodata est terrestris cochlea, difficilime eadem corrumpitur. Marinæ etiam stomacho accommodatæ facillime excernuntur: fluuiatiles uirus habent. Quæ uero syluestribus frutetis & sentibus hærentes inueniuntur, quas sesilos aliqui nominant, aluum & stomachum turbãt, & ad uomitiones mouent. Item in uiuentibus cochleis exempta caro, Africanisq; præsertim, stomachi dolores hausta lenit.

At male digestis si crapula seuiet escis,
Ex pipere & calida florem de rore marino
Ebibe. Seu salibus piper adde & tenue cuminum,
Quæ coctis tinges epulis, & rapta uorabis.

Male digestis.) Hucusq; stomachi doloribus ac cæteris prauis eius affectibus mederi docuit Serenus, consequenter uero uirtuti eius digestiuæ læsæ, nec non & cerebri consentientis passionibus subuenire docet. Consentit enim stomacho cerebrum aliquando, propter cõmunitatem inter ea per neruos plurimos qui à cerebro ad stomachũ ueniunt, autore Auicenna, decimatertia tertij, tract. 1. ca. 16. Male autem digeritur cibus cum aut nullo modo aut ægre concoquitur, uocanturq; huiusmodi cibi in stomacho cõcoctiones à Græcis ἀπεψίαι & δυσπεψίαι, à Latinis uero uno nomine cruditates, quæ cõmuniter ex frigiditate aut superfluenti ingurgitatione proueniunt: hocq; uitium quotidianũ fere & populare est nostris temporibus, adeo intemperanter ubiq; uiuimus. Est & tertium digestionis uitium, maleq; digeritur cibus, cum scilicet uitiatur & corrũpitur in stomacho: cuius corruptionis ciborum primas ac ueluti generalissimas differẽtias tres ponit Galenus lib. de locis affectis, qui aliâs de interioribus inscribitur, primo: Vnam quidem quæ per proprios uentriculi morbos fiat. Alteram ab humoribus uitiosis

Mala digestio.

ἀπεψία. δυσπεψία. Cruditates.

Corruptionis ciborum tres differentiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

in ipso accumulatis. Tertiam ab alimentorum qualitate inductam, quæ cum ad huiusmodi dispositionem deducũtur uel suapte natura, uel uaporosa, uel acida, uel aliâs corruptioni obnoxia, aut ex præparationis modo, certũ est ea in uentriculo corrumpi, atq; hoc modo cruditatem fortasse fieri quis dixerit. *Crapula.*) Crapula quę & κραιπάλη à Græcis dicitur, omnem capitis noxam à uino factam apud eosdem significat, uocabuli ethymo ducto à Carenon, quod significat caput, & pallesthe, concuti: autor Galenus. Estq; crapula nihil aliud quàm capitis fluctuatio & agitatio, ab eo quod capitis dolorem & uertigines facit, sic dicta, uti Plinius libr. 23. cap. 1. tradit. *Pipere.*) Quamuis trium generum est piper, longum, album, & nigrum, omnibus tamen, Diosco. teste, cõmunis natura & uis est calefacere, concoctiones adiuuare, somno capitis dolores leuare, somnum & appetentiã cibi conciliare. Eligendum autem piper quod ponderosissimum sit, plenum, nigrum, nec adeo rugosum, recens præterea, nec furfurosum. Nigrum quidem, ut quod maiore acrimonia sit quàm candidum, gratius in cibis, & quod tempestiue maturuerit, odoratius, condiendisq; obsonijs utilius. Candidum quod acerbum est ob immaturitatem suam alijs ignauius: uerum in medicinæ usu & pręsertim uentre corroborando, autore Galeno, utilius hoc & efficatius. Libro etenim de sanitate tuẽda quarto sic ait: Longum piper flatuosi spiritus crassitudinem soluit, & quæ in præcordijs pigra cessant, ad uentrem depellit, & concoquendis quę sumpseris subuenit, pro communi piperum ratione. Quod si huius copia nõ est, utiq; albo utendum, quippe quod supra duo reliqua genera uẽtrem roborat. Sin hoc non adest, optimum nigrum petendum est: id uero fuerit, quod pondere præcellit. Amplius eiusdem tractationis libro σ. idem sic scribit: Si pituitosus succus à capite in frigidum natura uentrem decurrat, facile his succurritur, si mane aliquid simplicis medicamenti sumpse-

Crapula.
Κραιπάλη.
Carenon.
Pallesthe.
Piper triplex.

rint, quod dia trion pipereon dicitur. Sed & piper solum ad exactum contritum leuorem aquę mixtum bibere his licet, ad quem usum melius stomachoq́; aptius album piper est. *Florem de rore marino.*) Quem Latini rorem marinum, Græci libanotida dicunt, plures eius differentiæ. Nam, ut Dioscorides tradit, duum generum libanotis est, Vna fœcunda & fructum ferens, quæ secunda diuisione duo item genera facit, eam quę Zea aut Campsanema uocatur, cuius fructus canchrys uocatur, similiaq́; fœniculo folia habet, crassiora tamen & latiora, rotæ modo in orbem circumagẽtia se, & per terram strata, odorataq́;, caulem altitudine cubitali, & aliquando maiorem, alarum concauitatibus multis, & in summo umbellã, in qua copiosum semen est, cãdidum, uerticillo simile, circinatum, angulosum, acre, resinosum, et quod comanducatum gustum incendit, cui radix est candida, gracilis, odore thuris. Altera deinde in cunctis huic similis, quæ semen fert latum, nigrum, odoratum, uerticillo simile, sed gustum non incendens. Radicem foris nigram, contusam uero albam. Quæ autem ex prima diuisione sterilis & sine fructu libanotis dicitur, antedictis tota similis nec caulem nec florem nec semen ex se profert. Nascitur autem petrosis & asperis locis. Est & quartum libanotidum genus, Coronalis à Sorano, ut Apuleius tradit, appellata libanotis. Quæ quatuor genera, Paulus quoque Aegineta in sexto ponit. Nec quartum genus Dioscorides omisit. Sed quoniam frutex magis quàm herba, ramos habet, & à terra erigitur, aliæ uero caulẽ, & quæ fructiferæ inter eas sunt, umbellam etiam habent, & per terram folia spargũt, ideo separatim proprio capite post dictas de coronaria libanotide egit hĳs uerbis: Libanotida, Romani rosmarinum dicunt, quo coronarĳ utũtur, tenues uirgę sunt, circa quas folia item tenuia sunt, densa, oblõga & gracilia, inferiore sui parte candida, superiore uirentia, cum grauitate odorata. Calefaciendi uires habet, medetur ictericis si quis in

Ros marinus. Libanotis.

Canchrys.

Libanotis coronaria.

aqua decoxerit, decoctumq́ id biberit. Suntq́ huius flores maxime caput & cerebrum confortantes, eorumq́ contra capitis affectiones ætate nostra quottidianus & efficax usus est, ad quem & saccharo condiuntur. *Salibus.*) Sal.
Salis differentiæ ex Plinio & Mesue satis dictæ iam essent in prioribus, nisi electio earum nonnihil repetere cogeret. Vnde ne prolixius à diuersis ea coaceruentur, cõtenti erimus ea tantum recensere quæ Dioscorides super hac re prodidit, cũ ait: In toto salis genere efficacissimus fossilis est, communiterq́ in hoc qui candidus, pellucidus, densus, concretione sua æqualis nec lapidosus est. Priuatim uero genere hammoniacus, id est harenarius scissilis, uenis per longitudinem rectis. In marino probãdus maxime dẽsus, candidus & sine asperitate æqualis. Optimus hic in Cypro et Cypri Salamine. Fit in Sicilia etiam sal, fit Megaris & Libya. Inter prædictos autem palustris anteferendus cunctis est. Validissimusq́ in hoc genere Phrygius, quem tateum uocant. Multiplicem cõmuniter prædicti sales uim omnes habent. Adstringunt, exterunt, repurgant, disijciunt, reprimunt, extenuant. Confert item sal, ut Auicenna testatur, doloribus stomachi frigidis. Nec obstat quod Plinius dicit, Sal stomacho tantum inutilis, præterquam ad excitandam auiditatem, cuius causa, ne insulsa uideãtur obsonia, in quottidiano usu salem habet mensa: nec sibi tantum parãt, sed & pecori suo eandem ob causam ad lambendum aliquando proponunt homines. Hactenus de sale. *Cyminum.*) Cuminũ notum Cyminum.
est, stomacho ualde utile & capiti. Est autem duum generum, Vnum satiuum, de quo sic scribit Dioscorides, Origratum, suaueq́ cyminum est, & in eo Aethiopicum magis, quod Hippocrates regium appellauit: secundæ bonitatis laudem habet Aegyptium, tum reliquum omne. Habet autem calefaciendi, siccandiq́ uires. Et in hoc, ut Plinius libro 20. cap. 14. ait, magnus usus in stomachi præcipue remedijs, discutit pituitas & inflationes: imò &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

contra capitis passiones utiliter estur, siue cum cibo siue per se ante aut post cibum assumatur. Alterum uero est syluestre prętenue, & ad omnia efficacius: sistitque, ut Plinius inquit, uomitionem & nauseas ex uino, quantum apprehenderint tres digiti. Estque maiore in gustu acrimonia quàm satiuum, biburque cum uino et contra humentem stomachum, ut Dioscorides tradit. *Tenue.*) Paruum, exiguum & gracile. Columella, Gracili melanthia grata cumino. *Tinges epulis.*) Hoc est, cibo insperges & cum eo uesceris.

Aut cubitum pergens cyathum cape tristis aceti.
Ventriculus mergi tactus sale, granaque thuris
Tosto pane super, piperis quoque puluere multo
Miscentur, capies diuinum munus in istis,
Proderit hoc stomacho, uictas & concoquet escas.

Cubare. Cumbere. Recumbo. Accumbo. Decumbo. Cyathus. Acetum.

Cubitum pergens.) Dormitum uadens & dormiturus. Cubare & cumbere ad ægrotos proprie pertinent, ut uolũt Grammatici. Horatius, Cubat hic in ualle Quirini. Hinc fiunt composita, recumbo, accumbo, decumbo. Recumbit autem quiescens & supinus. Accumbitur in cõuiuio. Et decumbit ægrotus lecto iacẽs. *Cyathum.*) Hoc est, unciam unam semis pondere. *Cape.*) Accipe, ebibe. *Tristis aceti.*) Acerbi & tristifici. Acetum enim cæteros inter humores liquidissimum, tanto quoque acerbius est, ut sit acore etiam tristificum. De quo aceto inter cætera libro 23. cap 1. sic scribit Plinius, Cibos quidem & sapores non alius magis succus commẽdat aut excitat. In quo usu mitigatur tosto pane aut uino, uel accenditur pipere ac lasere, utique sale compescitur. Et paulo ante, Acetum, inquit, per se haustum, fastidia discutit, singultus cohibet. *Ventriculus mergi.*) Quamuis difficilis coctionis sint omnium animalium uentriculi, non tamẽ obstat, quin & quorundam aliquando remedio esse possint, præsertim ubi humores

Mergi uenter.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

mores superfluunt membris: sicca enim est uentriculorum natura omniũ, unde et humenti stomacho perutiles sunt, & præcipue mergi uentriculus sale tactus, id est conspersus & salitus. Est autem Mergus ex anatum genere auis aquatica. Verg. Geor. libro 1. Cum medio celeres reuolant ex æquore mergi. *Thuris.*) Thus calefacit, siccat & adstringit, stomachoq; perutile est. Nam, ut autor est Auicenna, stomachum calefacit & digestionem adiuuat. Sed alijs miscere id oportet medicamentis, & ægrotantibus, non sanis: neq; multum, sed parum de ipso exhibendum est, si conferre debeat, autore Dioscoride, qui sic tradit de ipso: Miscetur utiliter faucium remedijs & hijs quę ad splanchna, id est interanea, cõficiuntur. Bibitur idem sanguinem expuentibus utiliter. Veruntamen in sanitate potum, maniam facit. Quin etiam si maiore copia cum uino bibatur, hominem perimit. *Tosto pane.*) Non modo ad faciliorem medicamẽti assumptionem facit panis, sed & contra morbos uim quoq; præstat, præsertim si ex tritico fuerit uetustus & siccus, igneq; torrefactus, talis enim fluores sistit & siccat per se & alijs mixtus: torretur autem igne, ut euanescat si quæ illi insit humiditas, sicq; maiorem desiccãdi uim præstet. *Victas.*) Transglutitas & in stomachum receptas.

Mergus auis aquatica.

Thus.

Panis.

Grana peregrini piperis diffindito quinq;.
Hibleo melli quæ mane inserta capesses.

Peregrini.) Hoc est eius quod ex Barbaris affertur. Cuius probatio est, longi quidem ut gustu piperis qualitates seruet, nec in humore maceratum resoluatur, sitq; non perforatum. Nam quod factitium est et adulteratum, si per integrum diem in humore maceretur, illico liquatur ac soluitur. Quod etiam duplex est, Vnum quod apud Alexandriam maxime conficitur: alterũ quod herbæ cuiusdam germen est. Nigri uero probatio est, ut sit neq; exile neq; rugosum neq; corticis crassi, sed ponderosum, & id tum

Piper.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

maximum tum plenissimum esto. Itemq; de albo simili modo quod maximum est atque plenissimum, eligatur.

Mel Hyblæum. *Diffindito.*) Frangito & cotundito. *Hyblæo.*) Optimo. Dicitur autē Hyblæū, ab insulę Sicilię ciuitate Hybla, quod primę post hymetium bonitatis existit. Verum quoniam genera ista nō semper nec ubiq; haberi possunt, ex omni genere probatius accipi debet, hoc est, quod dulcius, adoratius, acre, colore ritilo, non liquidum, sed ponderosum firmumq; est, & quod tractum digitos sequaci lentore sequitur. Oportet autem non crudo, quod inflat aluum & tussim proritat, sed cocto ac despumato melle uti: autor Dioscorides. *Mane.*) In aurora, dum adhuc uacuus à cibo est stomach⁹. *Inserta.*) Immixta. Inseror insertus et insitus facit. Et tradūt quidā Insitus arborū et pomi esse: Insertus hominis uel alicuius rei: autor Diomedes. *Capesses.*) Sæpius atq; frequentius iteratoq; accipies. Est enim iteratiuum siue frequentatiuum uerbum, quorum qualitas assiduam in agendo uim habet, unde & appellationem subit, quoniam frequenter agendi iterat affectum: autor Diomedes.

Insitus. *Insertus.* *Verba iteratiua seu frequētatiua.*

FELLIS VOMITVI ET PHTHISI ARCENDIS.

CAPVT XVIII.

Fel. *Choledochus.* *Bilis flaua.*



ELLIS *uomitui.*) Fel pessimi sanguinis purgamentum est, inferiori iecoris parti assidens, cuius chystis siue folliculus à Græcis choledochus dicitur, qui flauum contineat humorem, pallescentem quandoq; à Galeno uisum, uel coloris cyanei, aut isatidis herbæ. Et quamuis substātia flauæ bili idem sit fel, tamen ut simplex nec aliis humoribus commixtum & in proprio iecoris folliculo constitutum est: bilis uero in toto corpore & qualibet eius parte gignitur

gnitur & spargitur, idq; alijs humoribus mixta, cum fel etiã si quando graui hominis periculo aut simplici saltem aurigine à sede sua suffunditur, ipsum quidem per se spargatur. Aristoteles de partibus animalium lib. 4. cap. 2. Vt bilis quæ qualibet alia corporis parte gignitur, excrementum quoddam liquamentumq; est: sic fel iecori adiunctum non rei cuiquam delegatum, sed excrementum esse uidetur, quomodo & alui intestinorũq; sedimẽ. Cęterũ duplex est fellis utilitas, Vna ut excalfaciat, coctionemq; foueat secundam, iecoris natiuum fulciendo calorem. Altera quo bilem ad intestina transmittat, ut sua extimulatione, fecum celerior fiat excretio. Nec est tertia quæ stomachi coctionem confortet ponenda utilitas, uti Mundinus & sequaces sui faciunt. Nihil enim ex felle ad stomachũ transmittitur, neq; uia est quæ aliquid deferat. Quod autem natura non æque meatum & uiam fecit bilem importantem ad uentriculum pertingentem, sicuti ad exortum siue duodenum: hoc utiq;, ceu Galenus de utilitate partium lib. 5. tradit, non est negligentiæ naturæ adscribendum, sed potius benignitati, quæ paruo commodo, quod ex tali meatu uentriculus erat assecuturus, aliud multo maius incommodum noluit corrogari, continuam scilicet ciborum euomitionem, quos flauæ bilis acritudine uentriculus irritatus non posset eo, quo concoqui debent, tẽpore retinere. Et Auicenna decimaquinta tertij, Non fuit, inquit, creata in pluribus fellibus uia ad stomachum, ut lauarentur humiditates cum cholera sicuti lauantur humiditates intestinorum, nisi quia stomachus læditur per eas, & patitur nauseam, & corrumpitur digestio in ipso, per illud quod miscetur cibo de humore illo. Et quamuis ita sit, nihilominus tamen effunditur aliquando ad uentriculum ipsum: quod cum fit, haud citra graue hominis periculum accidit. Est autem talis effusionis locuples testis non modo præsenti capite SERENVS, sed & Galenus quoq; libro technes secundo

Fellis utilitas duplex.

dum infit, Alterum uidi cuius totus habitus pituitã præ se ferebat, quotidie tamen bilẽ rufam euomebat. Censui igitur inspicienda alui excrementa, in quibus minimum bilis apparebat. Quare coniectura quadam cõprehendi eum meatum qui biliosum egurgiat humorem, non minimam eiusdem partẽ ad imum uentriculi locum, quem Græci pyloron, id est hostiarium, uocant, effundere: ut in quibusdam apparet animalibus, ex quibus id constat, quod plurimum ad eorum quæ latent sensum, confert cognitionem, ea quæ ex sectionis inspectione habetur peritia, & operationum atq; utilitatum inuentio. Hæc Galenus. Porrò huiusmodi felleæ & biliosę ad uentriculum suffusionis causa est aliquando uentriculi dolor aut compressio uehemens, aliquando uero descensus cibi tarditas & uirtutis expultricis debilitas, nõnunquam ira seu tristitia, animalis ue passio materiam commouens & ad uentriculum effundẽs. Cæterum non semper ex materiæ ad ipsum effusione fit uomitus biliosus, sed & in ipso nõ nunquam generatur materia biliosa, cuius mordicationem ferre nõ ualens, ipsam uomitu eijcit: cuius causa est uentriculi feruor cum cibum uelocis ad fumositatẽ conuersionis offendit. Huiusmodi autem fellei ac biliosi uomitus, ni præsens feratur auxilium, ad perniciem ducunt laborantẽ, autore Hippocrate, qui prę sagiorum lib. 2. sic ait, Syncerę pituitę bilis ue uomitus periculosus est. Succurritur uero bifariã huiusmodi uomitibus, Primũ per uentris subductionẽ: deinde per uomitũ: quoniam, ut Auicenna testatur Canonis libro 3. fen 13. tract. 1. cap. 16. mordicatio eius non remouetur nisi uomitu, & tract. 5. ca. 22. Vomitus etiam multoties abscindit uomitũ cum est à materia. Sanãtur enim ex uomitu cũ euomit illã materiam propter effusionem eius cum uomitu. Est autem uomitus rei noxię in uentriculo detentæ per os ad exteriora expulsio. *Phthisi.*) Phthisis est pulmonis exulceratio, cui leuior quædam febricula, tussisq; frequentior accedit

Vomitus.
Phthisis.

accedit, cum extenuatione corporis, ac puris sanguinisq; excreatione: quibus in ignem proiectis, si fœtor inde exhalat, mortiferum est. Vnde Hippocra. aphorismorum libro 5. ait, Qui phthisi molestantur, si sputum quod extussiunt graue olet iniectum carbonibus, lętale. Fit autem huiusmodi phthisis maxime quando à capite in pulmonem acris destillat fluctio, ipsum exulcerās. Porrò phthisin Celsus tabem Latine nominat, quamuis & latius ad atrophian & cachexian utatur ea libro 3. ubi post duas illas species de tertia sic tradit: Tertia est, longeq; periculosissima species, quam Græci phthisin nominauerūt. Oritur ferè à capite, inde in pulmonem destillat, huic exulceratio accedit, ex hac febricula leuis fit, quæ etiam cū quieuit tamen & repetit: frequens tussis est, pus excreatur, interdum cruentum aliquid: quicquid excreatum est, si in ignem impositum est, mali odoris est. Itaq; qui de morbo dubitant, hac nota utuntur. Cæterum Hippocrates lib. 7. aphorismorum ubi inquit, A sanguinis sputo, puris sputum: à puris sputo, phthisis. Phthisin nominat eam, ut Galenus docet, quam proprie Græci & præsertim Athenienses nominant phthoen, id est, quæ pulmonis ulcera insanabilia consequitur, totius corporis, cum febre parua, extenuationem: quam purulenta sputa, quæ ἐμπυήματα dicunt, aliquando præcedunt. At communiter phthisis omnem corporis maciem & diminutionem significat, à uerbo φθίνειν quod est diminuere. Vnde & aliarum partium ceu in oculo pupillę affectio aliquando phthisis dicitur. Et nonnunquam νεφριτική quoq; phthisis appellatur: item & quæ prope sacrū os concipitur ἰσχιακή phthisis quædam ab Hippocrate dicitur.

Tabes.

Phthoe.

ἐμπυήματα.

Lutea si crescunt & cunctis noxia fella,
Allia parua nouem, piperis tot permole grana,
Quæ cyatho diluta gari mandesq; bibesq;,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Hæc iterum septena capis, post deniq; quina.
Præterea caules si frondet parua sabucus
Decoctos sale permisces ac iungis oliuum,
Tum capis, ac tali auxilio fella horrida purgas.

Color luteus. χολή.

Lutea fella.) Humor felleus, qui Græce χολὴ dicitur, coloris lutei, qualis est cum dilutis humore aliquo croci capillamentis lutescit, & ut Gellius inquit, Color luteus, rufus color est dilucidior. Vnde ei quoq; nomẽ esse factum uidetur. *Crescunt.*) Vltra modum augẽtur. *Noxia.*) Scilicet quando superabundãt. *Allia.*) Docet nunc Serenus fellis uomitui succurrere per medicamenta quædam composita, quæ superfluẽtem materiam per alluum expellunt & purgãt: & primo per id quod constat ex alliorum nucleis numero nouem, totidemq; granis piperis, et gari cyatho uno: et hoc prima die, secunda uero diminuto numero, ut scilicet septem tantum accipiendo tum allia tum piperis grana, & tertia die quinq; tantum: semper tamen integro accepto gari cyatho. Sicq; hoc modo tribus diebus continuandum est medicamentum hoc: quod uel simplicium ratione huiusmodi effectum habere, satis liquet. Nam de allio sic scribit Dioscorides, Habet omne allium acrimoniã, calefacit in cibo, erodit, excernit. Et Hippocrates de ratione uictus lib. 2. Allium, inquit, calidum est, uentrem & lotium mouet, quod res est, quæ purgat: coctum infirmius est quàm crudum. De pipere uero & garo dictum est in superioribus. *Parua.*) Vt intelligatur de satiuo siue hortensi, quod in Aegypto concreto capite porri modo nasci, dulce, colore ad purpuram inclinato exiguumq;, scribit Dioscorides. Nam reliquis locis grande allium multiceps & cãdidum est. Ni malueris per parua intelligere spicas seu nucleos, sic enim diuisiones in eo quod grande est, uocant: ne tot integri accipiantur bulbi, qui forte iustam quantitatem excederent. *Tot.*) Scilicet nouem. *Permole.*) Contere, & contunde. *Diluta.*)

Allium.

Tem-

Temperata & commixta. *Preterea.*) Docet nūc alterum contra fellis uomitum componere medicamētum, quod constat ex teneris sabuci uel ebuli caulibus & folijs decoctis, sale & oleo: quorum omnium uis est idonea ad bilem deijciendam. Siquidem de sabuco siue ebulo sic tradit Dioscorides libro 4. Eadem sabuco & ebulo uis est, siccant, adstringunt, refrigerantq́, & aquam ex corpore pellunt. Item, purgant pituitam et bilem elixa olerum modo utriusq; folia. Quin etiam teneri adhuc caules in fictili elixi eadem præstant. Et Plinius libro 24. cap. 8. Foliorū mollissima, inquit, ex oleo & sale edūtur ad pituitam bilemq́ detrahendam: ad omnia efficacior quę minor. Sal item & oleum ambo calfaciunt & aluum molliunt, ijsdem Plinio & Dioscoride autoribus. *Caules.*) Stipites, ramulos et germinationes. Verum caules proprie in singulis plantis ceu in lactucis, betis & similibus, sunt singulares, & ante floris ac seminis ortum surgunt. Is enim in pluribus naturæ ordo est, ut antequam flos & semen prodeant, prius caulis proferatur, imò proferri oportet. Ramuli uero & frutices in fruticoso genere, quale est absintium, ruta, serpillus et similia, sunt conferti et plures qui ab uno principio oriuntur & eadem ferè altitudine inter se crescunt. *Frondet.*) Cum iam frondere incipit & folia nascuntur & teneritatem adhuc habet. *Parua.*) Minor, quę ebulus est et ad omnia efficatior, autore Plinio. *Oliuum.*) Oleum oliuarum. *Horrida.*) Aspera & mordicantia, naturæq́ inimica. *Purgas.*) Per aluum deijcis & expellis. Est aūt purgatio proprie humorum qualitate sua peccantium, ut tradit Galenus: quamuis etiam pro euacuatione, quæ omniū est humorū quantitate peccantiū, aliquādo accipiat.

Sabucus. Ebulus. Caules. Ramuli. Frutices. Purgatio.

Prosunt & pelagi latices, quos pondere iusto,
Dulcibus associas lymphis melliq́ liquenti.
Et niueus prodest ex ubere succus asellæ
Si tepido uinum infundas ac mella piperq́.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Prosunt & pel) Hoc tertium est contra fellis uomitum medicamentum, quod Thalassomel uocant, de quo sic scribit libr. 5. Dioscorides: Creditur thalassomel hoc egregie purgare. Conficitur mellis, cælestis aquæ, marisque æquis portionibus per colum traiectis & in picato uase per canis æstum insolatis. Sunt qui decoctæ maris aquæ partibus duabus unam mellis miscentes in dolia diffundunt. Estque hoc ad purgandũ marina aqua leni⁹ & mitius, hæc enim quamuis bilem & pituitam trahat, acris tamen & stomacho noxia est. Vnde Plinius etiam ait, Aqua maris bibitur quoque, quamuis non sine iniuria stomachi, ad purganda corpora. De thalassomelle uero sic pronunciat: Prodest ad purgationes, maxime sine stomachi uexatione & sapore grato & odore. *Pelagi latices*) Aqua marina. Pelagus enim mare est, Latex uero aqua. *Pondere iusto.*) Aequis portionib⁹. *Dulcibus lym.*) Aquę dulci, suaui & in potu amabili, maxime autem cælesti, de qua dictum est supra. *Liquēti.*) Liquido, defecato, puro sine sordibus. Vergilius: Dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum Et liquida, et durum Bacchi domitura saporem. *Et niueus ex ubere succus.*) Lac quod succus est & liquor candidus ut nix ex ubere extractus. Docet autem nunc quartum ac ultimum contra fellis uomitum per inferna purgans medicamentum, quod ex lacte asinino, melle, uino, pipereque mixtis conficitur: quæ omnia uel per se sumpta molliunt aluum: quod & autorum comprobatur testimoniis. Et primo de lacte sic tradit Dioscorides: Habet communiter omne lac saporis & succi bonitatem, idem egregie nutrit, aluũ tamen mollit. Et Auerrois, Lac, inquit, dulce quod est boni saporis inquantum est medicina, ualet cõtra discursum humorum acutorum mordentium, quia lauando membra, & adhærendo eis prohibet malorum humorum contagium. Et compositum est ex substantiis diuersis, quarum propter aqueam, ut omittamus aeream & terrestrem, quæ ad subtilitatem ali-

Thalassomel.
Aqua marina.
Pelegus.
Latex.
Mel liquidum.
Lac.
Libro 2.

aliquantulū declinat, abstergit naturam, & nō solum abstergit, uerum etiam laxat uentrem bona laxatione, quia mundificat lauando superfluitates putridas. Mel etiam, præsertim crudum, aluum proritat, ut scribit Dioscorides. Vinum item maxime album, mollit aluum. De pipere dictum est capite priori. *Asellæ.*) Asinæ: in lactis enim genere, ut Dioscorides tradit, inter cætera quę aluum magis soluunt, est asinum quoq;. *Lac asininum.*

At uomitum radix narcissi pota mouebit.

At uomitum.) Hucusq; Serenus fellis siue bilis uomitum per aliui deiectionem medicari docuit, nunc uero eidem per uomitionem succurrere docet, id autē quoniam uentris os petit humor. Nam nisi id fit, uomitio, uti Galenus therapeutices libro 11. tradit, prouocanda non est. Et ideo quoq; ut naturę feratur auxilium, iuxta Hippocratis consilium, qui aphorismorum lib. 1. sic ait, Quæ ducere oportet, quo maxime natura uergit per loca cōferentia, eo ducere. Quippe natura operans, medicus uero minister solum, qui in artis operibus illam recte operantem imitari debet, idoneum eius adiuuando motum, qualis est qui ad principantia membra non mouetur, quiq; confert & leuiter fertur: unde iterum Hippocrates inquit, In perturbationibus uentris, & uomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt. Sin minus, contra. Nam qui contrario modo se habet, non modo non utilis est, sed & maxime noxius, nec talis quidem iuuandus, sed prohibendus est & auertēdus. *Radix.*) Hæc enim pars eius est quæ præcipuum in medicina usum præstat, ut testantur medici. Hinc Auicenna libro 2. Vomitum citat radix eius sicut est comesta aut succus eius epotus. Et Dioscorides libro 4. Radix, inquit, uomitiones cit elixa tum in cibo sumpta aut pota. *Narcissi.*) Narcissus si non est lilium, certe lilio tamen congener est aut saltem similis: quod uel hinc colligi potest, quod qui- *Vomitus quando prouocandus.* *Narcissus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

dam lirion etiam uocant, ceu Theophrastus qui de plantarum historia lib. 6. sic ait: Narcissus autem aut lirion. Sunt enim qui hoc & qui illo nomine apellent. Liliũ aũt à Græcis liriõ dici solitum testatur Dioscorides cum ait, Quidam etiam hunc nõ minus quàm liliũ lirion uocãt. Et hinc etiam uideri potest ex Græcorum lirio suum fecisse lilium Latinos, una mutata litera, utpote r. in l. Dictus autẽ est Græcis Narcissus, non à fabuloso puero ut poëtę finxerunt, sed quoniam dolores & torpidas capitis grauitates faciat, à narce, qua uoce Græci torporem intelligunt. Et huius deductionis uocabuli testis est etiam Plin. libro 21. capite 19. Et Plutarchus symposij commentario 3. cap. 1. hijs uerbis: Et narcissum appellauerũt quasi neruos hebetantem & torpidas facientem grauitates. Quapropter & Sophocles magnorum deorum, id est subterraneorum coronamentum eum uocauit, quod scilicet defuncti & morte torpidi torpido flore merito coronarentur. Amplius uocatur à quibusdam bulbus uomitorius, nõ quia idem sit bulbo uomitorio, de quo secundo libro agit Dioscorides, sed quia bulbosæ radicis est & uomitorius ut ille, quem usum præcipuum habet in medicina. Cæterum habet narcissus, ut Dioscorides tradit, folia porracea, multo tamen tenuiora minoraq; et angustiora, caulem concauum sine folijs altitudine supra dodrantem, in quo candidus flos est in medio croceus, in aliquibus autẽ purpurę aspectu. Radix illi intus candida, rotunda, bulbosaq;. Semen ceu in membrana clausum, nigrum & oblongum. Nascitur probatissimus montanis locis, grato odore. Reliquum genus porraceũ & herbæ halitum ex se mittit. Verũ quæ Plinius & Theophrastus de hoc tradunt, & ut Dioscoridi respondeant, breuitatis causa nunc omittuntur, quæ tamen copiosius tractat in annotationibus suis super Dioscoridem Marcellus Vergilius Florentinus.

Bulbus uomitorius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Si uero phthisis annoso sedet improba morbo,
Intritas uino cochleas hausisse iuuabit.
Proderit atq; adipis ueteris pila sumpta suilli.
Carne asinæ, seuoq; capræ medicina salubris.

Phthisis improba.) Ponit nunc autor ad phthisin remedia. Dicitur autem phthisis improba, quasi magna et pessima longeq; periculosissima & quasi incurabilis, maxime cum inueterauerit: tunc enim, ut Celsus ait, non facile euincitur, quare inter initia protinus occurrere necessarium est. *Annoso morbo.*) Hoc est, tabe & consumptione diuturna, quæq; longo tempore durauit. *Sedet.*) Hęret, habitat, fixa & consuetudinaria facta est. *Intritas.*) Infertas & commixtas. *Vino.*) Propter faciliorem in uniuersum corpus penetrationem, quam uinum præstat, & etiã quia confortat. *Cochleas.*) Cochleæ quamuis difficiles sint coctu, stomacho tamen accommodatæ sunt, multiq; ac copiosi nutrimẽti, propter quod tabidis ac phthisicis utilissimæ, præsentiq; sunt remedio, pręsertim exsudatus igne succus: hacq; medicina plurimum ætas nostra utitur. *Adipis suilli.*) Huius medicinæ sic meminit Plinius libro 28. cap. 9. Axungia uetus etiam phthisin in pilulis sumpta sanat, quæ sale inueterata est. Et eiusdem libri ca. 10. hijs uerbis, Phthisicis medetur macræ suis fœminæ herbis pastæ lardum. *Pila.*) Pilula, orbiculus ac globulus. *Carne asinæ.*) Sic Plinius lib. iam memorato, Phthisicis medentur carnes asininæ ex iure sumptę. *Seuo capræ.*) Per seuum, esculentũ adipis ius intelligit, de quo sic tradit Dioscorides: Vtile pręterea tabidis in sorbitione esculentũ adipũ ius est, loquitur aũt de adipe caprino. Porrò Plin. lib. paulo ante dicto, de hoc sic scribit: Capræ seuo in pulte halicacia & phthisin & tussim sanari tradunt.

Vinum.

Cochleæ.

Adeps suillus.

Caro asinina.

Adeps caprinus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

MAMMIS SANANDIS VEL STRINGENDIS.

CAPVT XIX.

VBERA fœcundo multum lactantia succo
Sæpe sibi noxa nimium manando fuerunt,
Fece igitur ualida duri reprimentur aceti.

Mammarum mala.



AMMIS.) Vberibus male affectis, cuiusmodi sunt quæ dolent, tument, indurantur, exulcerantur, inflammantur, ultra modum excrescunt & propendulæ fiunt, aut nimis exiles sunt, similiter quæ lactis copia abundant & illud continere non ualentes superflue manant, aut eius defectu constringuntur & lactare non possunt. Cęterum à mamma fit diminutiuum mamilla, & mammosa siue mammeata mulier dicitur quæ magna habet ubera. Plautus, Cuius amicam mãmeatam uidimus: à mamilla uero fit mamillare, quod amiculi genus est quo mulieres ubera tegunt siue mammas. Vbi illud sciendum, non semper obseruari proprietatẽ hanc quàm Caper tradit, cum ait: Mammas esse hominis scito, at pecudis ubera: nec eam Serenus hoc capite obseruat. Sunt autẽ mammillæ mulieribus datæ lactis causa, ut illo donec ad solidioris cibi coctionem idoneus sit infans enutriatur. Viris uero tum decoris tum propter laxam earum carnem euaporationis cuiusdam gratia concessæ sunt. Verum mammarum capitula siue apices papillæ uocantur, eo quod papularum, quæ pustulæ sunt, similes existant: quamuis etiam pro mammis ipsis aliquando accipiantur. *Sanandis.*) Curandis, & per hoc ad mammarum passiones et morbos se refert. *Stringendis.*) Constringendis, reprimendis, coartandis & colligendis hijs quæ sparsæ sunt atq; diffusæ: & per hoc se refert tũ ad lactis exundantiã & fluorem, tum

Mamilla. Mammosa. Mammeata. Mamillare. Vbera. Mammilarum causa. Papillæ.

&

et potissimũ ad mãmas excrescẽtes atq; propendẽtes, doloris interim nõ obliuiscẽdo, qui ad omniũ quasi pręsentiã, uel ipse præsto est: quãuis nonnunquã citra omnem dolorem aut aliam malam affectionem magnę et propendulæ fiant. *Vbera fœc.*) Docet primo mederi mammis quæ lactis sui sunt impatientes, hoc est, quæ lactis copia abundant & idem propter superantiã à fluore continere non possunt, quibus tumor & inflammatio, dolor item & alia praua accidẽtia nonnunquã iungũtur. *Fœcundo.*) Vberi & superfluente. *Lactantia.*) Lacte manantia. Lactans enim dicitur quod lac reddit & præbet: Lactens uero cui præbetur & quod lac sugit. *Succo.*) Lacte, quod naturaliter & suo tempore in hijs quę utero gerunt, generatur ex sanguine qui ad mãmas fertur, & deinde ab adenibus qui inibi sunt in lac transmutatur. Quẽadmodum enim in alijs animalis partibus, autore Galeno, uirtus est alteratiua per quam assimilant alimentũ sibijpsi: sic etiam in mammis sunt adenes qui uim habent id quod ad eos influit alterandi. Cum ergo natura sint exangues & albi, proprium efficiunt humorem, talem qualis est lac, quando plus alimenti defertur ad ipsos: quod fit communiter et proprie in hijs quę utero gerunt, nec quidem in primis in quibus naturaliter non generatur, sed octauo & nono mense conceptionis quando abundanter oppletæ sunt uenæ communes quæ à mammis pertingunt ad uterum, quæ etiam magis implentur quando minimum absumit fœtus propter imbecillitatem suam. Cum itaq; ad fœtus nutritionem ordinatum lac superabundat, mammas intumescere facit, & intus contineri non potest, sed omnino effluit & aliter uarie afficit, mammisq́; noxium est. Cæterum colligitur aliquando lac in hijs quæ utero non gerunt, nec unquam pepererunt, quando uidelicet ad similem peruenerint uenæ repletionem ex menstruorum retentione, uti testatur Hippocrates libro 5. aphorismorum hijs uerbis, Si mulier quæ neq; grauida est, neq;

Lactans.

Lactens.

Lactis generatio.

peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt. Cõuertitur enim materia, ut inquit Auicenna duodecima tertij. cap. tertio, quę non inuenit uirtutem expellentem per matricem propter paruitatem ipsius, & peruenit in ubere & fit lac. Quod autem subiungit, Et quandoq; aggregatur lac in corporibus uirorum & proprie in puberibus, ita ut rotundentur mamillæ ipsorum. Hoc non intelligendum est, ut expositor eius dicit Gentilis, de lacte proprie sumpto & in nutritionem fœtus ordinato, sed de substantia quadam dealbata in mamillis, & hoc modo lac in uiris præsertim carnosis generari posse confirmat. Et adducit etiam aliud Auicennæ dictum ex libro 3. de animalibus cap. 3. ut dicit, Et uiri emittũt ex mamillis suis lac, & si continue de suis mamillis exprimeretur lac, abundaret multum in eis. Et de quodam recitat masculo qui habuit lac, de quo factus est caseus. Et idem testatur scribere Aristotelem libro 3. de historijs animalium cap. 20. Quæ si uera sint alijs consideranda relinquo. *Noxæ.*) Nocumento et damno, hoc est noxam & perniciem adferẽtia. Quod autem lactis copia & fluor nimius incommodo sint & nocumento, id uel Auicennæ testimonio comprobatur, qui Canonis libro 3. fen 12. cap. 3. sic ait, Lac quando superfluit, nocet & apostemat & affert etiam ægritudines. *Nimium.*) Nimis & superflue. Nimium enim & excessum & superantiam significat, ab eo quod est nimis, quamuis nonnũquam amplitudinem rei quoq; significet & idem sit quod ualde, ut, O nimiũ dilecte deo. *Fece aceti.*) Quẽadmodum uini sic & aceti sedimentum, fex dicitur, cuius in medicina usus est, homini aliâs inutilis. Vis eius & natura, ut Dioscorides tradit libro 5. ualidissime adurere, exterere, ad cicatricem perducere, adstringere & siccare. Vtendum autem recente est & cruda: hæc enim est quæ per se tumores reprimit, & quę contra lactis copiã, eiusq; impatientes mammas ex aceto inungitur, oportet autem ut fex sit aceti quæ acriore ui est & intensiore: quod Plinius

An lac in uiris generari poßit.

Noxa.

Nimium.

Fex aceti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

nius etiam comprobat libro 23. cap. 2. his uerbis, Fex aceti mammas lactis sui impatientes extinguit. Quod si aceti fex non habetur, accipiatur ea quæ uini est, & ex aceto, ut Dioscorides docet, inungatur. Cæterum Auicenna Canonis lib. 2. contra papillarũ ex sanguinis constrictione inflammationem, utilem tradit, dum inquit: Fex nõ adusta extinguit inflammationem capitis mamillarum in quo constrictus est sanguis. Non solum enim lac in mamillis aliquando abundat, sed & sanguis ex quo lac generatur, qui propter multitudinem suam aliquãdo corrumpitur & ad lactis naturam non bene alteratur, sed multus existens obtinet uestigium sanguinis: propter quod etiam Canonis lib. 3. fen 21. cap. 2. idem Auicenna inquit, Et multitudo fortitudinis eius non elongatur, quin fit ideo quod sanguis propter uehementiam multitudinis suæ inobedit operationi naturæ, quare non patitur ab ea & accidit naturæ defectus in conuertendo illum propter coartationem quam fecit ipsi. Aliquando uero colligitur in mammis sanguis qui non solum non bene mutatur in lac, sed omnino intransmutabilis manet: quod cum accidit, malo est. Nam, ut Hippocrates tradit libro 5. aphorismorum, quibuscunq; mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat. Quod tamen accidisse, Galenus se nunquam uidisse testatur, & si quando eueniat, ex hijs esse, quæ raro eueniunt.

Post partum tumidas iniuste assurgere mammas
Interdum aspicies, harum mala commemoratur
Murinus fimus ex pluuio sedare liquore.
Sin autem penitus clausas dolor angit acerbus,
Lumbricis terræ turgentes unge corymbos.

Post partum tumidas.) Hoc est, post editum in has uitales auras fœtum, ob lactis copiam & redundantiam tumentes & grauatas atq; obturatas. Prius mammis lac intra se con

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tinere non ualentibus, citra tumoris et aliorum accidentium partusq́ mentionem mederi docuit, nũc uero hijs quæ post partum tument, citra fluoris mẽtionem, quam uis & hijs quoq; fluor iũctus esse possit, quemadmodum & prioribus tumor & alia. Solent autem à partu nonnunquam ob maiorem lactis impetũ, eius copiam ferre non ualentes mammæ tumere ac inflammari, quales σπαργῶντας Græci uocant, ceu quæ in grumos densato ac concreto lacte indurantur χονδριῶντες ab eisdem appellantur. *Iniuste.*) Plus iusto ac æquo & ultra modum conuenientem. *Assurgere.*) In tumorem eleuari & intumescere. *Murinus fimus.*) Idem medicamentum ponit Kirannus, nisi quod non pluuiam sed simpliciter aquam accipit, sic inquiens, Stercus muris cum aqua dissolutum & inũctum, dolorem, duriciem & tumorem uberum perfecte dissoluit. Siquidem omne fimum calefacit, siccat & discutit. *Pluuio liq.*) Aqua pluuiatili, quæ si haberi non potest, accipiatur aqua simplex. *Sin autem.*) Hoc est, sed si, uel, si uero. Et non significat, si non, quasi in sin includatur negatio. Docet autem nunc medicari mammis quæ lactis copiam non ferentes, idem intra se in grumos coagulãt, unde & meatuum papillarum obstructio accidit, nec reddere ualentes lac mammæ turgent, dolent atq; duriciæ afficiuntur, quales paulo ante χονδριῶντας à Græcis appellari diximus. *Penitus.*) Omnino et totaliter. *Clausas.*) Obstructas mamillas & lac propter coagulationem & meatuum obstructionem reddere non ualentes. *Angit.*) Excruciat & dolore afficit. *Lumbricis terræ.*) Vermibus terrenis. Lumbrici à lubricitate dicti, terreni uero ad differentiam eorum qui aluum occupant & proprie lumbrici dicuntur. Græci γῆς ἔντερα, hoc est, terræ intestina nuncupant, eo quod in terra generãtur et in ea quasi immobiles uiuunt, quiq́ aliorum animaliũ modo non incedunt, sed in seipsis & circa seipsos quodam modo mouentur. Quorum teres & pedalis aliquando longitudo: qui si digitis

Mammæ σπαργῶντες.

χονδριῶντες.

Stercus muris.

Sin.

Lumbrici. Vermes terreni.

γῆς ἔντερα.

pre

premantur, instar fimi terrestris ex animali progredientis, intestinorum imaginem faciunt. Et hæc nominum apud Græcos & Latinos quantum ad natales, formam, naturamq; causa. Verum quod ad medicinā attinet, prosunt huiusmodi lumbrici terrestres mammarum dolori, duriciei & obstructioni. Sunt enim inter frigus & calorē adurentem qualitatis temperatæ, solentq; affectis membris inuncti, dolores lenire ac mitigare, duricies mollire, & obstructiones meatuum adaperire. Oportet autē ipsos prius purgari ac coqui in oleo, modo qui dictus est supra cap. 4. aut tostorum cinerem oleo misceri, & deinde oleo illo membra inungi affecta. *Turgentes.*) Propter materię exuperantiam tumentes, affligentes & agitantes nec loco quiescere permittentes. Est autem transumptum uocabulum ab animalibus ad coitum concitatis: quemadmodum enim illa loco stare non possunt, quodam modo titillantia, & impulsa, concitataq; à passione, sic & materiæ copia atq; humores superfluentes plerūq; in motu uehementiore atq; transfluxu ab una parte ad aliam, in morbis hominem infestant mouentes & quiescere non permittentes, propter quod & medicamenta quæ noxia pellant ac morbum curent, adhibere cogunt. *Corymbos.*) Mammarum summitates, quæ & papillæ dicuntur. Possunt autem & omnia summa, corymba dici. Vnde & hederæ racemus in orbem circumactus, corymbus dicitur.

Turgere.

Corymbi.

Si castigatas studium est præstare mamillas
Ex hederę sertis ambas redimire memento
Protinus & raptas fumis mandare coronas.

Si castigatas.) Docet nunc emendare mammas iusto maiores et propendulas, quales etiam pannosas, pannuceasq; uocant, hoc est, rugosas & aranearum telis similes: tales enim corrigere & minores horridulasq; efficere conuenit, quo æquæ magnitudini restitutæ, ornatiores, magis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Castigatum. decoræ, & honestiores existant. Castigatum enim dicitur quod correctum & emendatum est, quasi probum castum & honestum. *Studium.*) Conatus, intentio & uoluntas. *Præstare.*) Reddere, efficere. *Hederæ sertis.*) Dioscorides, Natura omnium hederarũ in medicina acris est & astringens: & per hoc contrariarũ uirtutũ esse intelliguntur. Nam acredo quæ gustu sentit, caliditatem: adstrictio uero frigiditatem indicat, ut tradit Gal. Quibus uirtutibus calore scilicet desiccante & adstrictione coadunante, mãmas magnas & propẽdulas flaccidasq́ colligit & minores horridulasq́ efficit circũdata hedera, stantes uero ne inclinent aut propendeant, seruat. Oportet aũt ipsam quàm primũ deponitur cõcremare, uti docet Ser. Sed hoc superstitionẽ sapit. Quid enĩ refert siue cõcremetur siue nõ postquã deposita est & effectum suũ produxit Nisi quis cõcremationẽ illã eò referre uoluerit (q̃d tamen ex litera nõ colligitur) ut per illam post circundationẽ suffumigarentur mamillæ: & hoc rationi magis consentaneum esset, quàm ut solum citra mamillorũ suffumigationẽ quomodolibet cremaret. Porrò meo iudicio maioris fuerit efficatiæ si contusa hedera cum succo suo mammis imponeretur, & alligaretur, donec uim suã exercuerit. *Sertis.*)

Hedera.

Serta. Coronis à serẽdo sic dictis, hoc est, à contexendo & ordinando, quæ ab initio ex floribus & frondibus inuicẽ digestis, ordinatis & cõnexis fieri solebãt. *Redimire.*) Ornare, coronare, circũdare & circũponere. *Raptas.*) Reuulsas, depositas. *Fumis mandare.*) Igni tradere & concremare.

Anseris aut seuum pariter cum lacte tepenti,
Aut ouũ impositum tulerit quod garrula perdix,
Præterea pluuio decocta papauera rore
Hærebunt multis post dissoluenda diebus.

Anseris aut seuum.) Ponit nuc medicamen quod mammis prodest, quę ob lactis exundantiam & coagulationem intumescunt, durantur & magnæ efficiuntur. Adeps enim

Adeps anserinus.

dura

dura emolliendo, densa rarefaciẽdo & attenuando & collecta discutiendo, lactis superantiam minuit, coagulationem dissoluit, quorũ causa & tumor discedit & duricies emollitur, unde tandem molles, rariores, inanes & propendulæ fierent mammæ: quod tamen ne accidat, lac efficit, quod ultra dictas iam uirtutes, exundantia absumit, & diffusa, sparsaq́ꝫ coadunat & adstringit. Porrò inter adipes cõuenientior est anserinus, qui maiorem aliјs tenuitatem habet & altius descendit. Lac uero medicatius est bubulum, quod etiam coctum esse oportet, ut quod tenue & serosum est in eo absumatur. Coquitur autem aut ignitos calculos in ipso extinguẽdo, aut lento igne & continuo lactis motu, donec crassius & dulcius euaserit quàm antea crudum fuerat, ubi id etiam summopere cauendum est ne uel exuratur seu caseus fiat & coaguletur. *Aut ouum impos.*) Oua temperatæ sunt qualitatis, humano tamen temperamento nonnihil frigidiora. Siccant humecta, coadunant & colligunt sparsa, diffusa & laxa, collecta uero & adunata ne se inclinent aut laxentur prohibent & in sua consistentia cõseruant: unde mãmis emendandis imposita sunt idonea, præsertim perdicum oua, quæ singularẽ quandam præ cæteris proprietatem & uirtutẽ huic effectui producendo idoneã habent. Accipiendũ aũt luteũ cum albumine & imponendum, aut putamẽ ipsum quod arefaciẽdo maioris efficaciæ est siue crudum siue ustum adplicetur. Verum quia aridum est, ideo molli cuipiam rei, quo melius impositum adhęrere possit, commiscendũ. Sic crudi puluere cũ cera utitur Kirannus cum ait, Testæ ouorũ perdicis tritæ & cum cera citrina & cadmia ualde commixtæ & inunctæ, mamillas laxas & cadentes erigunt. Plinius uero libro 30. cap. 4. usti cinerem commendat his uerbis: Ouorum perdicis putaminum cinis cadmię mixtus cerę stantes mammas seruat. Putant & ter circundatam ouo perdicis non inclinari. *Tulerit.*) Protulerit, produxerit, ediderit. *Garrula perdix.* Docilem

Lac.

Lac.

Oua perdicis.

Perdix garrula.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uidetur intelligere perdicem & quæ humano sermoni enunciando sit apta: quemadmodum Papinius etiam syluarum libro 2. in Psittaco Melioris, eandem inter doctas connumerat aues, & quibus nobile fandi ius natura dedit, cum ait: Quiq; refert iungẽs iterata uocabula perdix. Hanc etiam loquendi docilitatẽ in perdice comprobant, ni fallor, Plutarchus in symposiacis, & Athenæus in dipnosophistis. Cęterum quæ sit nostra ætate auis, perdix, ambigunt aliqui. Nam Papinium olim enarrans præceptor meus omnigenæ doctrinæ eruditissimus Hieronymus Aleander, dicebat, Quoniam loquacitatẽ in ea aue quam nunc perdicem dicimus, non est inuenire, per eam intelligere uidetur Papinus auem quam coturnicem appellamus. Et Marcellus Virgilius super Dioscoridem, de perdice, inquit, Nõ satis compertũ nobis est quo nomine nostra ætate indicetur hæc auis, tam multiplex diuersis

Papauer. locis earum auiũ genus & seminium est. *Papauera.*) Dioscorides, communis refrigerandi uis omnibus est papauerum generibus, ualentq; contra inflãmationes & destillationes tum folia tum uascula & semina, idq; ui refrigerante, crassescente, siccante & adstringente. Vnde cum mamillæ ob calorem superantem lacte exundant & intumescunt ac dolent, confert eis ex papauere & pluuiatili aqua impositum emplastrum. Calorem enim restinguit, lac deficcat, tumorem comprimit & laxa adunat, doloremq; arcet. Quod si quis dicat autoritate Auicẽnæ, papaueris semen lac augere & ideo non deficcare, huic respondetur quod hoc agit intus sumptum & per operationem à materia, non autẽ extra applicatum nec à qualitate manifesta. *Pluuio rore.*) Aqua pluuiatili quę cæteris

Ros. tenuioris est substantiæ. Ros proprie, ut inquit Apuleius in libro de mundo, nocturnus humor est quem serenitas tenuiter spargit. Porrò cum adiuncto, humorem sig

Rorulentus. nificat adiuncti. Fit autem à rore rorulentus & roscidus

Roscidus. hoc est rore conspersus. *Hærebunt.*) Imposita mane-

bunt

bunt. *Multis.*) Nõ uno,sed plurib⁹,ut duobus aut tribus aut quatuor, donec effectũ suũ compleuerint. Si enim cito amouerentur, effectum intentum producere non quirent,quare lõgiore mora ad id opus est. *Dissoluenda.*) De ponenda,amouẽda. *Post.*) Postea.Præpositiones enim postpositę,aut metri causa etiam præpositæ,si casum mutent,significationem suam & uim nominis & legem propriam non habent sed Aduerbia fiunt. Autor Donatus, Seruius. *Præpositiones.*

Vis & Phœbigenæ cælestia sumere dona
Vbera cum tetris laniata doloribus urgent,
Nauis ramentũ,& quæ nomine prassion herba est,
Et quæ uulgari sermone Insana uocatur.
Græcus hyoscyamon propria scit dicere lingua,
Necnon & calami radix,lapathiꝗ legumen,
Mixta dabunt miras,experto crede,medelas.

Vis & Phœbigenæ.) Aesculapij Phœbo geniti et in deorum numerum relati.Sic supra,cap.12. Vis & Phœbigenæ diuinam discere curam.Tradit autem nunc medicamẽtum ultimum mammis sanandis conueniens & utile,præsertim hijs quæ tument,inflammationem patiuntur & exulcerantur, quibus malis & dolor comes est nõ minimus, maxime ubi serpentia & exedentia fuerint ulcera. Componitur autem uarijs ex rebus, quarũ prima est nauium derasa pix,quę pus & saniem,omnemꝗ sordiciem in ulceribus siccat,discutit & euanescere facit.Optima hæc,ut Plinius libr .24. cap.7. ait, à tyrocinio nauium : additur autem in malagmata ad discutiendas collectiones.Secunda est marrubium,quod,ut Apuleius tradit, contra duricias efficax est.Inquit enim sic,Ad omnem duriciã, herba marrubium tunsa cum axungia & imposita, mire sanat.Idem et præsertim folia eius tantum ex melle illita sordida purgant ulcera, cohibent et quę serpendo pascunt, ut autor est Diosco.qui & de Apollinari siue hyoscyamo *Pix naualis.* *Marrubium.* *Hyoscyamus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

etiam tradit quod semen eius mammis à partu tumentibus tritum & ex uino emplastri modo impositum cõfert. Et paulo post, Recentia itidem folia emplastri modo imposita, omnium aliorum remediorum efficacissime dolo
Calamus.
res omnes arcent. Calamus item & Lapathon purgandi
Lapathon.
atq; discutiendi uires habent. Ex hijs itaq; simul mixtis medicamentum efficitur quod mamillarum tumorem et inflammationem discutit et restinguit, serpentia cohibet, pus & saniem, sordesq; purgat atq; dolores sedat, sanitatemq; restituit, uti se expertum testatur Serenus, quare illi confidendum audentius. *Laniata.*) Lacerata, exasperata
Nauis ramentum.
& exulcerata. *Vrgent.*) Molestant, & excruciãt. *Nauis ramentum.*) Hic corruptus fuit textus & pro nauis male nã
Zopissa.
bis legebatur. Est autem nauis ramentum, quã Zopissam uocant, hoc est, ut Dioscorides libro 1. ait, derasa nauigijs cũ cera resina, & à plerisq; hypochyma appellatur, quod marino sale maduerit discutiendi uires habens. Plinius item Zopissa, inquit, eraditur nauibus cera marino sale macerata. Porrò ramentum à radendo dicitur, quasi rasura, & est id quod deraso ligno uel re alia decidit, hoc est, tenuis cuiusq; rei particula derasa. *Nomine.*) Scilicet Græco. Latini enim marrubium dicũt. *Est.*) Id est, uocatur.
Praßium.
Praßion.) Quàm Græci πράσσιον uocant, Latini marrubiũ
Marrubium.
dicunt. *Vulgari sermone.*) Nomine communi, à uulgoq;
Herba insana.
trito & usitato scilicet Latino. *Insana.*) Ab effectu quo insaniam facit. Pota enim aut in cibo sumpta ebrietati similem amẽtiam facit, ut Dioscorides tradit. Apuleius & Pal
Symphoniaca.
ladius symphoniacam uocant. Macer autem Caniculatam, ubi mutatis literis paucis legendum potius censeo calicularem, quemadmodum etiam legitur apud Apu-
Calicularis.
leium, qui Pilisam quoq; uocari scribit. Insignitur & alijs
Pilisa.
nominibus, quæ copiose satis refert Apuleius. Et quamuis herba sit uulgaris & omnibus nota, nihilominus tamen paucis describitur. Est autẽ frutex crassis coliculis, folijs latis, oblõgis, incisis, colore nigris & hirsutis, habetq;

pe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

per caules deinceps flores punicæ cytinorum figura cli-
peolis in medio obstrusos, semine ceu papaueris plenos.
Plura eius genera. Vnum flore purpureo, semine nigro.
Alterũ flore luteo, semine subflauo: insaniã ambo gignen
tia, infelicis in usu euentus. Tertium flore & semine albo,
utile, & ad medicinam placidissimum. Nascitur in mariti
mis hoc & inter ruinas & rudera. Quod si hoc uti non li
cebit, utendum eo quod lutei seminis est. Nigrum quod
omnium pessimum ex omni usu abdicãdum. Colligitur
ex tenero semine folijsq; & coliculis succus, in quẽ usum
tundũtur omnia, expressusq; in sole siccatur succus. Vsus
eius ad annum tantum, facile enim putrescit. Colligitur
priuatim etiam succus ex semine iam sicco, adfusa cũ tun
ditur calida aqua & expressus. Est aũt sic expressus succus
priore illo innocentior: autor Diosco. Cæterum semini
eius, ut Plinius tradit, natura uini, ideoq; mẽtem caputq;
infestans. Vsus seminis & per se & succo expresso: expri-
mitur separatim, & caulibus folijsq; utuntur, & radice te
meraria in totum (ut arbitror) medicinæ. Quippe etiã fo-
lijs constat mentem corrumpi, si plura quàm quatuor bi
bantur. Hæc Plin. *Hyoscyamon.*) Id est, fabam porcinam, *Hyoscyamus.*
ὗς enim suem, κύαμος uero fabam significat. Sic dicta à ma
leficio eius, eo quod pastu eius, ut autor est in historia sua
Helianus, cõuellantur sues præsenti mortis periculo, nisi
copiosa aqua statim se foris & intus proluerint. *Calami.*) *Calamus.*
Harundinis. Cuius uariæ sunt differentiæ. Quædã enim *Harundo.*
nastos, id est, toto internodio concreta & plena uocatur,
ex qua sagittæ fiunt. Quædam contra femina appellatur,
ex qua tibijs lingulę conficiunt. Quædã itidem syringias
quasi fistularis dicta, carnosa, densis geniculis, scribendis
libris accommodata. Crassior quædam etiam & concaua
prope profluentes aquas nascens, quæ donax dicitur: ab
aliquibus autem cypria. Est & alia quàm uallis sepibusq;
utilem phragmiten Græci, nos uallarem uel sepicularem
dicamus, gracilis, cãdidaq;, omnibus notissima, cuius ra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

dix & folia tum aliarum partium tum mammarũ inflam=mationibus medentur. Poteftq; eadem quæ et Cypria dicitur, autore Diofcoride. *Lapathi.*) Lapathon, Romani rumicem dicunt. Plura eius genera, inter quæ oxylapathon quafi acuta rumex dicitur, paluftribus locis nafcens, duris & in cacumine acutis folijs. Eft & hortenfis huic omnino diffimilis. Eft & tertia agreftis, breuis, plantagini fimilis, mollis & in terra iacens. Quarta poftremo quam quidam ab aciditate faporis oxalida appellãt, funt qui eandem etiam anaxyrida aut agreftem rumicem uocent, cuius folia tertio generi fimilia funt. Eius caulis non adeo grandis eft: femen acuminatũ, colore rubro, fapore acri, quod in caule & adnatis nafcitur. Eft & quæ hippolapathos, id eft, grãdis rumex à Græcis dicitur. Nafcitur in paluftribus. Cunctarũ uires eædem, autore Diofco. Difcutit aũt lapathon omne, & apoftemata mirifice aut fpargit aut collectionẽ facit & aperit uulnus atq; perfanat impofitum quafi malagma, uti teftatur Apuleius, qui axun=giam illi permifcet. *Legumen.*) Hoc eft, femen feu euulfa cũ femine et radicibus herba. A legendo appellata funt legumina, quia ita legũtur, hoc eft ẽ terra uellũtur, ceu faba, lens, cicer, linum: non autem fubfecantur ceu triticũ, far, ordeum & frumentorũ reliqua. Cũ enim duo prima frugũ fint genera, frumenta & legumina, illa quidẽ fubfecantur, hæc uero uelluntur: autor Plin. lib. 18. cap. 7. & 17.

Lapathon. Rumex. *Legumen.*

REIIECTIONIBVS CIBI AVT SANGVINIS AB ftinendis.

CAPVT XX.

SI ftomachus nondum concoctas expuit efcas
Et magis atq; magis uitium reuomendo ualefcit,
Allia cedemus, crebrumq; trahemus odorem.

Re

REIECTIONIBVS.) Reiectio, quę & re Reiectio.
iectus dicitur, est rei per os expulsio: sic dicta à Reiectus.
uerbo reijcio, quod inter alias significationes Reijcio.
suas aliquando idem significat quod retro iacio ac sursum & extra fero & expello. Vnde & quæ uomitu eijciuntur reijci dicuntur. Plinius, Vini plusculum si à ieiuno sumatur, deinde reijciatur. Idē, Et uernatio utilis erit, si postquam sorpta fuerit, statim reiectio sequatur. Potest autem uariarum rerum esse huiusmodi reiectio & uomitus, utpote, cibi, sanguinis, pituitæ, & aliorū corruptorum exuperātiumq́ humorum. Verum hoc capite Serenus non omnibus horum mederi docet, sed illi tantum quæ (ut ait) cibi est, non aliorum: nec tali semper, sed tantum quæ superfluit & nocet. Accidit enim ut prosit aliquando uomitus, magnoq́ sit iuuamento, ubi rarus fuerit & moderatus. Vnde Auicenna Canonis libr. 3. fen 13. tract. 5. cap. 8. inquit: Et in administratione quidem uomitus cum æqualitate est iuuamentum maximum. Celsus item medicinæ lib. 1. Et reiectus cibi, ait, non erit inutilis, si raro fiat. Et lib. 1. ca. 3. Solet etiam prodesse post uarium cibum frequentesq́ dilutas potiones uomitus. Fit aūt uomitus cibi aut ob multitudinem & uarietatem suam, aut satietatem nimiā, quæ ut Celsus lib. 1. cap. 2. ait, nunquā utilis est, aut quia uis cōcoctrix est uitiata, aut stomachus quomodolibet perperā affectus, ut alias interim causas omittam. Cæterum dicuntur & ea quæ ex pectoralibus efferūtur reijci, præsertim si sanguinis fuerit expulsio, de qua in præsenti agitur capite: quod uel hinc (ne quis pro uomitione tātum accipi credat, quū sanguis etiā uomitu aliquando eijciatur) patere potest, quod aperte Serenus pectus nominat. Solet etenim à uarijs partibus per os expelli sanguis. Aliquando enim (ut inter medicos conuenit & autor est Gale. lib. de affect. locorum notitia 4. cap. 6.) è gula uentriculoq́ uomitione expellitur, aliquādo uero ex spiritalibus partibus tussi, ex faucibus & gurguliōe

screatu, ex ore simplici expuitione. Vbi illud etiam diligentius animaduertendum est, quod quamuis ex spiritalibus instrumentis nihil sine tussi expui potest: quia tamẽ subito gutturi irruentia, tussim mouere possunt, ideo nõ semper ex spiritalibus membris eiecti sanguinis nota est tussis. Solet enim interdũ à cerebro, ad gurgulionis partes internas quæ faucibus præpositæ sunt, affatim descendere et tussiẽdo educi sanguis. Sed huius certior nota est capitis uel dolor uel grauitas siue præsens siue præterita, aut capitis ictus percussúsue. At de hoc nihil ad præsens, sed de eo tantum qui ex spiritalibus effertur: quod bifariam accidit, aut enim ex pulmone educitur, cuius indicium est quod cõfertim & plurimus, tum ruber tũ feruens reijcitur, & maxime spumosus, quod efficacissimũ signum est excretionis ex pulmone factæ: cuius testis etiã est aphorismorum lib. 5. Hippocrates inquiens, Quicũq; spumosum sanguinẽ expuũt, hijs è pulmone eductio fit. Aut ex pectore & thoracis parte quapiam reijcitur: cuius nota est pectoris dolor & sanguis non confertim reiectus, nec multus, minusq́ tum ruber tum calens, sed nigricãs & grumosus. Suntq́ uariæ huiusmodi reiectionum sanguinis species: de quibus Galenus therapeutices libro 5. & de locis affectis lib. 4. cap. 9. *Stomachus.*) Stomachum pro uentriculo accipit, in quo cibi recipiuntur & concoquuntur. *Escas nondum concoctas.*) Hoc est, nondũ digestum, ut nunc loquimur, sed crudum adhuc cibum. *Vitium.*) Scilicet uomitio. *Reuomendo ualescit.*) Nõ rarum sed frequentem uomitũ indicat: qui non utilis ut rarus, sed noxius esse solet, teste Auicẽna, qui decima tertia tertij, sic ait, Assiduatio eius maxime debilitat uirtutẽ stomachi, & facit ipsum lacunam superfluitatum. *Allia.*) Quamuis cibi reiectionibus allium comestum mederi possit, stomachum refrigeratum & humectum calfaciendo & desiccando, ac superflua excernendo: tamẽ quia ui quadam comprimente dotatum est, quam tusi ipsius efficacius exhibet

Allium.

hibet

hibet odor: ideo creber olfatus eius, os ſtomachi, quo magis receptum cibum contineat, corroborat, ac cibi reiectiones compeſcit. *Cædemus.*) Cæſum enim fortiorem ac magis adſtringentem prębet odorē. Cædo cum diphthongo ſcriptum ut hic, excidere eſt, frangere & contundere. Sine diphthongo tamen & prima breui cum accentu in ultima modo da, modo dic ſignificat. Plautus in captiuis: Cedò manum. Idem in ciſtellaria: Cedò quid tam abhorret hilaritudo te obſecro? *Trahemus odorem.*) Odorabimus, olfaciemus, ac per os etiam nedum per nares ſolum, trahemus halitum & inſpirabimus. *Cædo.* *Cedò.*

Sin etiam rutilus referetur pectore ſanguis,
Sorbitium menthæ, raphanus uel cocta iuuabit.
Sæpe lapis teritur ſpecularis nomine dictus
Et mixtis hauritur aquis, ſiſtitq; cruorem.

Sin etiam rutilus.) Ruffus. Docet nūc mederi ſputo ſanguis qui expellitur ex partibus maxime pectoris. *Referetur.*) Retro & extra feretur, reñcietur & expelletur. *Sorbitium.*) Succus & decoctionis eius liquor. *Menthæ.*) Nota omnibus herba eſt mentha, calefaciendi, adſtringendi, deſiccandiq; uires obtinens: ideoq; ſanguinem ſiſtit, maxime ubi frigidus humor ad uenarum extenſionē concurrit. Plinius, Datur mentha ſanguinē excreantibus in ſorbitionem. Et Auicenna, Mentha prohibet fluxum ſanguinis & ſputum eius. Verum Dioſcorides acetum ſucco miſcet: & id forte propter penetrationem ſuam, cum ait, Sanguinē ſiſtit potus cum aceto ſuccus eius. *Raphanus.*) Raphanus, quę & radix, & radicula dicitur, q̄d ſanguinē reñcientibus proſit, hoc etiā ex Plinio colligitur, qui Medium autorem id comprobantem citat inquiens, Medius & ſanguinem excreantibus coctos dari iubet raphanos. Et hoc uirtute ſua deſiccante & tuſſim contra quā elixa eſtur, ſedante. Solet enim nonnunquam tuſſis ipſa re *Mentha.* *Raphanus.* Lib. 20. cap. 4.

iectionis sanguinis causa esset: qua sedata, sanguis quoque facilius sistitur. Habet adhæc comprimentem uim qua sanguinem sub se ac cibum quoque præassumptum comprimit. *Cocta.*) Elixa. Sic enim temperatior est, autore Auicēna, minusque inflans: uis enim inflatiua per decoctionem tollitur. *Lapis specularis.*) Humorē hunc terræ quidā autumant crystalli modo glaciari, & in lapidem concrescere manifesto apparet, quod cum feræ decidere in puteos tales medullæ ex ossibus earum in eandem lapidis naturam post unam hyemem figurantur, uti libro 36. ca. 22. tradit Plinius. Sanguinem sistit ui sua refrigerante & adstringente.

Lapis specularis.

Vritur interdum raptus de subere cortex
Et cinis è calido prodest epota lyeo.
Aut platani pilulas acri infundemus aceto:
Nullus erit sanguis quem non cibus iste moretur.

Suber.

Vritur.) Incineratur. *Subere cortex.*) Suber, inquit Plin. minima arbor, glans pessima, rara, cortex tantum in fructu præcrassus ac renascēs, atque etiam in denos pedes undique explanatus. Vsus eius anchoralibus maxime nauium, piscantiumque tragulis, & cadorum obturamentis. Præterea in hyberno fœminarum calciatu, quam ob rem non infacete Græci cortices arborū appellant. Sunt qui fœminam ilicem uocent, atque ubi non nascitur ilex pro ea subere utuntur. In carpentariis præcipue fabricis ut circa Elin & Lacedæmonem: nec in Italia tota nascitur, aut in Gallia omnino. Cæterū uirtutis est adstringentis, qua sanguinis reiectionibus medetur: quod Plinius etiā lib. 24. ca. 4. attestatur his uerbis, Corticis suberis cinis ex uino calido sanguinem excreātibus magnopere laudatur.

Cinis corticis suberis.

Platani pilulæ.

Platani pilulas.) Fructum qui in paruæ pilæ ac globuli modum nascitur. Idem medicametū habes apud Plinium naturalis historiæ lib. 24. cap. 5. his uerbis, Platani pilulæ tusæ cū aceto acri magisque Scyllitino, sanguinē omnem sistunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

fiſtunt. Sunt enim uirtutis adſtringentis multum partici pes. *Aceto.*) Et hoc maxime in principio ubi ſanguinis congelatio ſuſpecta eſt. Acetum enim, autore Auicenna, ſanguinem fluentem adſtringēte ui ſiſtit: ſpiritalia membra à ſanguine detēto purgat, ac cōgelationi reſiſtit. Adminiſtrandum eſt autem cum adſtringentibus & conglutinantibus, adſtrictione etenim hic maxime opus eſt, cui ſi mundificatio accedit, præſentiſſimus ſanitatis effectus conſequetur. Sed animaduerſio habenda eſt ad tuſſim: quę ſi recens affuerit, ab aceto cauendum eſt, & eius loco adſtringentibus comiſcendum potius uinum aut aqua: non ita tamen in ueteri tuſſi, quam potum acetum lenit. Vnde Dioſcorides de aceto ſic ſcribit: Adſtringit & refrigerat acetum: ſanguinis eruptiones omnes potum compeſcit, contra ſanguinis grumoſas in ſtomacho concretiones, ui opis & auxilij pręcipua. Potum ueterem tuſſim lenit, recentem proritat. *Nullus.*) Quantumcunq; multus uel acutus & impetuoſus effrenisq́. *Moretur.*) Tardet, detineat & ſiſtat. *Acetum.*

IECORIS ET LATERIS VITIIS MEDENDIS.

CAPVT XXI.

SI molles iecoris fibras dolor hauriet acer,
Protinus ex mulſa potanda elelisphagos herba eſt.


IECORIS.) Hepatis: quod membrum eſt principale, cuius operationes à ſeipſo producuntur citra aliorum membrorum in ipſum influentiam, ut autor eſt Auenzoar theizir libro 1. Hinc Hippocrates uitæ bonitatem hilaritatemq́ à perfecta hepatis ſanitate prouenire tradit. Eſtq́ naturalium uirtutum fons & principium, à quo ipſę in uniuer- IECVR.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

sum corpus propagantur & operationes suas exercent. Suntq; generatim in qualibet corporis nostri parte quatuor, autore Galeno de locis affectis libro 5. cap. 7. Prima quidem attractrix uocata, quæ peculiares parti succos, alendi ipsam gratia, & appetere et attrahere potest. Altera deinde est quæ alteratrix dicitur, qua succus attractus similis euadit parti quæ alitur. Huic aliæ duæ ministrãt: Retentrix, quum pars attractum succum coquit, donec in suam ipsius naturam eam mutauerit: Et expultrix, quando à coctione, quod inutile est, excernit, idq; excrementum uocatur. Cæterum est etiamnum hepar præcipuum sanguinis organum & uenarum principium. Siquidem cibum in stomacho iam in succum transmutatum et chilum ab ipso per uenas meseraicas suscipiens, ipsum in sanguinem, sine quo uita consistere nequit, conuertit. Sanguinis etenim generatio hepatis munus est & facultas propria, ut tradit Galenus: & propriã uocat propter alias tres quę omnibus corporis nostri partibus communes sunt, ceu attractiua, retentrix & expultrix. Nã quarta generatim quidẽ alteratrix, speciatim uero sanguifica uocatur. Sitũ est aũt hepar à dextra parte sub præcordijs ab ipso septo ortũ, intrinsecus cauũ, extrinsec⁹ gibbũ, quod prominens leuiter uẽtriculo insidet, & in quatuor fibras diuiditur, quas Auicenna additamẽta uocat. Porrò morbum patitur quem hepaticum Græci, Latini iecorarium uocant, & à Plauto in Curculione hepatarius dicitur, dũ infit, Tum te igitur morbus agitat hepatarius. Qui hunc patiuntur hepatici & iocinorosi uocantur: suntq; tales, quibus hepatis uires sunt imbecilles, nunc quidem ob solam intemperaturam citra tumorem præter naturam: aliquando uero ubi unà cum intemperatura tumor quoq; infestat. Estq; modo longus, modo acutus morbus: doletq; hepar (non quidem de se, quum nullus per totum corpus eius dispersus sit neruus, sed ratione membranæ adiacentis & qua tegitur, per quam neruus dispergitur) in

Virtutes naturales quatuor. *Adtractrix.* *Alteratrix.* *Retentrix.* *Expultrix.* *Sanguinis organum iecur.* *Venarum principium iecur.* *Iecoris officiũ.* *Iecoris fibræ et additamenta.* *Morbus hepaticus, Iecorarius, Hepatarius.*

in longo quidem propter obstructionem à crassis & uiscosis humoribus in extremis uasorum partibus, quæ ex uenę ipsius portis exoriuntur: uerum mediocriter et cum quodam ponderis sensu potius quàm uehementis doloris. In acuto autem dolor uehemẽs est, qui propter flatuosum spiritum, uel inflammationem, quæ scilicet maxima est aut suppurata, accidit. Cæterum hepatis patientis indicia sunt potissimum in dextra pręcordiorum parte grauitas, tumor, præcipue grandis & duricies, quę si in gibba parte fuerint, perfacile solo tactu dignosci possunt. Dolor item non modo is qui in eo ortũ habet, uerũ et ille qui cõpatiendi ratione prouenit: hepatis enim dolor, si quispiam alius, uicina corpora ad consensum inducit. Nam & ad iugulum usq; porrigitur, & spirandi difficultatem creberrime affert, atq; interdum tussim quoq;, neq; raro nothas costas infestat, item sitis, uomitus biliosus, linguæ color in primis quidem ruber deinde uero niger, ac corporis color malus. Hepate enim uitiato, & linguæ & uniuersi corporis color alteratur. *Lateris.*) Omne id quod in anteriore homine spatium est, & utrinq; à superiore parte qua brachium humero iungitur ad imas pertinet costas, cui ex interiore parte costæ subiacent: Latini latus, Græci nunc fœminino, nũc neutro genere πλευρὰν καὶ πλευρὸν dicunt. Quæ pars morbis tentatur nunc grauioribus, nunc leuioribus. Græci grauius malum πλευρῖτιν, leuius πλευρᾶς πόνον, Latini uero, ueteres quidẽ utrunque lateris & lateralem dolorem, nullo inter illa facto discrimine: recentiores autem pleuritin, hac tamen facta differentia ut grauius malum pleuritin ueram, & leuius non ueram appellarint. Porrò uera & exquisita pleuritis fit, autore Galeno de locis affectis libro 5. cap. 2. ubi ex inflammatione cingẽs ex interiore parte costas membrana, aut musculi illi continui primario affectu laborant: cuius accidentia inseperabilia sunt, febris uehemens & acuta, quia sedes affecta & parum distat à corde, & cum

Latus.

πλευρά. πλευρόν. *Pleuritis. Laterum dolor.*

Pleuritis uera & exquisita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

panniculo ipsum inuoluente ac septo transuerso cognationem habet. Cæterum afficiatur ne magis cingẽs membrana an musculi ipsam contingentes, à pulsu indicium petere oportet: nanq; musculi minus, cingens uero membrana magis & tendit & indurat arteriam: dolor perinde ac si locus uel intendatur uel pungatur, qui modo ad iugulum superioribus eius partibus affectis, modo ad præcordia, ubi inferiores afficiuntur, peruenire uidetur. Spiratio frequens & exigua difficilisq;. Tussis magna ex parte cum sputis coloratis: nonnunquam uero sine hijs, & has incoctas pleuritides nominant, quæ uel celeriter hominem rapiunt uel longo temporis spatio finiũtur. Sunt præterea alij costarum cum febre dolores, per quos spirationem exiguam reddi necesse est, sed nullũ redditur sputum, ut in ea re nihil à pleuritide sine sputo constante differre uideatur. Verum hij facile ab illis discerni possunt. In hijs enim nulla omnino tussis est: illi uero qui sine sputo pleuritide laborãt, sicca tussi molestãtur: deinde quod neq; tensionẽ, neq; duriciem ullam refert pulsus: postremo quod non æque acuta febri laborant, neq; adeo difficulter spirant. Adhæc pleuritin etiam uocant & illam ueram, ubi in septo transuerso fit inflammatio, cuius dolor acutissimus est, cito interimens: & hunc Serenus forte intelligit morbum quem in capitis fine TELVM appellari tradit. Demum pleuritin non ueram uocant lateris dolorem, quem Græci πλευρᾶς πόνον dicunt, qui siue in membrana costas ex interiore parte cingente & musculis contingentibus, siue in exteriore pectus cooperiente & cum cute communicante fiat, sine febre sentitur: fitq;, ut Celsus ait, uel ex frigore uel ex ictu uel ex nimio cursu uel ex morbo, aliáue huiuscemodi causa. *Fibras.*) Fibrę proprie præcordiorum et omnium rerum dicuntur extrema. Vnde quæ in hepatis extremitate pinnulæ sunt à medicis uocatæ, fibræ dicuntur: Auicenna additamenta uocat. Aliquando uero fibrę dicuntur arborum uenę, quę in folijs fila-

Pleuritis incocta.

Telum morbus.

Pleuritis non uera.

Lateralis dolor.

Fibræ.

filamentorũ instar conspiciuntur. *Hauriet.*) Exhauriet, uiribus destituet & exinaniet. *Ex mulsa elelisphagos.*) Idem prodit Macer in libello de uiribus herbarum hijs uerbis: Saliua cui nomen elelisphacos est apud Argos Cum mul sa iecoris prodest potata querelis. Est autem elelisphacos quam nos saliuam appellamus. Plinius, Nostri qui nunc sunt herbarij elelisphacon Græce, Latine saliuam uocãt. Notus apud omnes frutex, affecto hepati utilissimus. *Elelisphacos.* *Saliua.*

Sumitur & semen quod fraxinus alta profudit,
Vulturis atq; iecur: uel ius perdicis apricæ,
Præterea simili drachma pix dura, piperq;
Franguntur, sic in mollito puluere cuncta
Egelidis miscentur aquis, recreantq; bibentem,
Absinthi quoq; decocti potabitur humor.

Semen quod fraxinus.) Fraxini semen, quod folijs inest, ut Plinius tradit lib. 24. cap. 8. Est autem fraxini uirtus refrigerans & extenuans. Vnde & iecoris inflammationibus, et tumoribus remedium est efficax, præsertim semen. Plin. cum semine folia etiam ex uino utilia tradit inquiens, Semen folijs fraxini inest, quę medentur iocinoris & lateris doloribus ex uino. *Alta.*) Celsa, & ut Vergilius ait, fraxinus ingẽs. *Profudit.*) Protulit, produxit & progenuit. *Vulturis iecur.*) Et hoc à singulari quadam proprietate sua & occulta, naturęq; tantum percognita. Multarũ etenim rerum abditę & occultæ sunt proprietates, quarũ causa à medicis reddi nõ potest. *Ius perdicis.*) Aqua decoctionis eius & succus, hepatis uim corroborãdo. *Apricæ.*) Sole gaudentis. Vergilius, Et apricis statio gratissima mergis. Dicitur & locus soli expositus apricum. *Simili.*) Aequali: tantum de uno quãtum de alio. *Drachma.*) Scilicet una. Est aũt drachma, id est δραχμὴ, ponderis genus & octaua pars unciæ: uncia uero est duodecima pars libræ. Continetq; drachma in se scrupulos tres, Scrupulus uero granis triticeis siue ordeaceis constat uiginti: quorum sexa- *Fraxinus.* *Iecur uulturis.* *Ius perdicis.* *Apricus.* *Drachma.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Denarius. ginta drachmam cõstituunt, quæ alio nomine etiam Denarius dicitur. Est etiam nummi genus drachma, & semper scribendum est drachma, non autem dragma, ut perperam uulgo nunc fieri solet. Estq; longe aliud dragma, Dragma. utpote, manipulus siue fasciculus nũc dict⁹, hoc est, quantum sinistra manu cõprehendit metẽs, autore Hesychio. Drama. Inuenitur & drama, id est δράμα, idq; etiã in alio significatu. Sed de hijs fusius à nobis dictũ est in enarratione herbarij de Vetonica Antonij Musæ: quare nunc nõ plura. Pix dura. *Pix dura.*) Spissa: quæ fit, ut Dioscorides docet, decocta liquida, et uocat à plerisq; palimpissa, quasi iterata uel iterum cocta pix. Et hæc durior est, & in puluerẽ redigi potest. Sunt enim duo picis genera, spissum ac liquidum: de quibus etiam Plinius libro naturalis historiæ 24. capite 7. Piper. *Piper.*) Hoc hepati utile esse, Celsus etiã testatur, sed cum absinthio et melle id exhibendum docet cum ait: Neq; alienum est absinthium cõtritum ex melle & pipere, eiusq; Frigida iecori nociua. catapotium quotidie deuorare. *Egelidis.*) Calidis. Nam, ut Celsus tradit, abstinendum utiq; est ab omnibus frigidis: neq; enim res ulla magis iecur lædit. *Recreant.*) Refocillant, corroborant, & pristino uigori restituunt infirAbsinthium. mum. *Absinthi.*) Præsertim Pontici, quod Galeno therapeutices li. 11. autore, ad iecoris phlegmonas eligi pręstat.

Si latus immeritum morbo tentatur acuto,
Accensum tinges lapidem stridentibus undis,
Hinc bibis: aut aceris radicem tundis, & unà
Cum uino capis, hoc pręsens medicamẽ habetur.

Si latus.) Postquam morbis iecoris auxiliari docuit, tradit nũc medicamenta quibus dolori lateris medicemur. *Immeritum.*) Citra ius & nõ promeritum: nec dirum aut ab infesto numine immissum, uti scelerum suorum conscij cum huiusmodi malo afficiuntur, existimant, iuxta illud Iuuenalis Satyra 13. Præterea lateris uigili cum febre dolorem Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum

Infesto credunt à numine. *Accensum lapidem.*) Maxime si- *Lapis ignitus.*
licem candentem & ignitum. *Tinges.*) Intinges, immit-
tes & extingues: idq́ non semel, sed bis, ter, quater, aut sæ
pius iterando: quo maior ipsi aquæ uirtus acquiratur.
Stridentibus undis.) Aqua stridente & sonante: dum enim ig *Aqua lapidata.*
nitus lapis in ipsa extinguitur, stridorem & sonitum ex se
reddit. Ni malit quispiam per stridētes undas intelligere
eas quæ fluminum sunt lapidosorum: quæ cursu suo per
lapides decurrentes, stridere etiam solent. *Aceris.*) Acer *Acer.*
arbor est operū elegantia ac subtilitate cedro secundum.
Plura eius genera, de quibus Plinius libro 16. capite 15. &
17. Qui alibi etiam libro 24. capite 8. radicem eius contu-
sam iocinoris doloribus utilissime imponi tradit. Ex quo
facile colligi potest, quum iecori prosit, nō minus utilem
fore uel lateris doloribus. Sunt enī uicini morbi & mem
bra sæpius compatientia: amborumq́ eadem quasi dolo
ris regio, ut sæpius uno affecto, alterum tantum affici exi
stimetur. *Vnà.*) Simul. *Capis.*) Accipis & bibis, seu loco
dolenti imponis. *Præsens.*) Præsens siue præsentaneum *Præsens.*
dicitur remediū, quod mox sine cunctatione & citra mo-
ram auxiliatur: quemadmodum uenenum præsentane-
um, quod rapidissimum est, & præsentem subitariamq́
sine ulla tardatione mortem adfert.

Quid referam multis composita philonia rebus?
Quid loquar antidotum uariis? quis ista requirat?
At nos pauperibus præcepta feramus amica,
Nec non & iecoris quæretur fibra lupini.
Iunganturq́ simul costum, foliumq́, piperq́,
Quæ diluta mero dantur potanda lyeo.

Quid referam.) Quoniam non diuites solum sed & pau-
peres morbis aliquando tentantur, qui preciosa & quæ
uel Deorum manus iuxta adagionem uocāt pharmaca,
comparare nequeunt: ideo uiliora quædam se traditurū

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

præfatur, quæ sola (ut Plinius libro 24. scribit) naturæ placuerat esse remedia, parata uulgo, inuentu facilia, ac sine impendio. Non autem preciosa ex officinis illis, quas hominum fraudes & capturæ ingeniorum inuenere, in quibus sua cuiq; homini uenalis promittitur uita, & statim cõpositiones mixturæq́; inexplicabiles decantãtur, quæ hominum ingenijs constant, ut alibi quoq; scilicet libro 22. cap. 24. à Plinio scribitur: Nõ enim fecit cerata, malagmata, emplastra, collyria, antidota, parens illa ac diuina rerum artifex. Officinarum, imò uerius auaritiæ commenta sunt. Naturæ quidem opera absoluta atq; perfecta gignuntur. Paucis ex causa non ex coniectura rebus absumptis, ut succo aliquo sicca temperantur ad meatus aut corpore alio humentia adnixus. *Philonia composita.*) Hoc est, ex uarijs rebus coaceruatas & curiosas compositiones, cuiusmodi à Philone confici solebant. Fuit autẽ Philo medicus, cuius meminit Galenus & Celsus. *Antidotum.*) Antidota quamuis etiam in laterum doloribus recte dentur, sunt tamen preciosa, maximeq́; contra uenena quocũq; modo corporibus nostris illata, desiderãda: non obstante quod alijs malis grauissimisq́; casibus interdum opitulantur & necessaria sunt, ut tradit Celsus. Dicitur autem antidotum & antidotus genere neutro ac fœminino. *Varijs.*) Diuersis ac multis inuicem congestis & cõmixtis rebus: in quib⁹ coniecturã sæpe fallacẽ esse apparet: nulli satis custodita in mixturis cõcordia naturę ac repugnantia, cum in simplicibus naturam esse appareat, imò etiã uere cõstet, ut Plin. ait. *Quis.*) Quasi dicat, Nullus. *Amica.*) Grata & sine impendio acquisibilia. *Præcepta.*) Documenta, consilia & remedia. *Nec non.*) Duæ negationes, ut Logici tradũt, affirmationis sunt loco. *Iecoris fibra lupini.*) Hepar lupi. Accipit autem partẽ pro toto: Quælibet enim iecoris pars utilis est, nedũ fibræ solũ, quæ extremitates eius tantum existunt. Et non solum lateris sed & iecoris doloribus cõfert omnibus, uti testatur

Antidota.

Lib. 5. cap. 23.

Lib. 22. cap. 23.

Iecur lupi.

Auicen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Auicēna. Cōmuniterq; omnia quæ laterū doloribus prosunt, eadem & hepati prodesse poterunt, ac è diuerso. *Costum.*) Costum peregrina res est, utpote ex Arabia, India, Syriaq; ad nos allata: cuius radix medicū usum nunc præstat. Est autem uirtutis calorificę atq; discutientis, ualetq; contra lateris dolores, maxime eos qui ex humore fiunt frigido ac uiscido aut spiritu flatuoso. *Folium.*) Quod & malobathren dicitur, è quo unguētum olim fiebat quod foliatum & malobatrinum dicebatur. Multi Indicę nardi folium esse opinati sunt: sed falso. Nā, ut Dioscorides tradit, propriū genus est in Indiæ lacustribus locis nascens, nihil aliud quàm folium in aquis lacustris lentis modo fluitans & nullis radicibus hærens. Cuius loco in officinis nunc alio arboroso folio utimur, quod forte arboris Syriacę, quam malobathron etiam uocat Plinius, folium est, à uero folio uirtute parum & nihil differens. Prodest autem folium inflationibus, iocinorosis & laterum doloribus. *Piper.*) Quod, ut uere Macer inquit, notius ipsa coquina, quàm medicina facit, et cuius nemo potest omnes describere uires. Nāq; piper fermè medicamina cuncta requirunt. Antidotisq; solet preciosis pluribus addi. Hinc puto tam paucas laudes de simplice dictas Quodq; fit in numeris hoc dignū laude medelis. *Diluta mero lyco.*) Temperata et mixta uino meraciore.

Costum.

Folium.

Piper.

Est & uis morbi quod Telum commemoratur,
Cum subito dolor insanus furit incitus ictu,
Persicus huic potu è nuce traditur interiore,
Quæ mihi cura satis casu monstrante probata est.

Est & uis.) Docet nunc alteri malo mederi, quod telum appellat, & in septo fit transuerso, et à recentioribus pleuritis quoq; uera nuncupatur, morbus acutus ac cito interimens. Sic dictus ab acutie teli, quod nūc gladium nunc quicquid longe iaci potest, significat. Hic enim morbus ægrotum affligit ac si telo aut gladio traijciatur & punga

Telum morbus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tur: nec minus distantia membra ceu caput & mentem affligit. Vtitur autem locutione qualis est illa apud Sallustium, Est locus in carcere quod appellatur Tullianum. *Insanus.*) Ad insaniam ducens: mentem enim sensumq; perturbat, & continuum ferè delirium inducit, adeò ut ueteres putauerint hac parte inflammatione affecta, homines phreneticos euadere, atq; ob eãdem suspitionem, phrenas (id est mentem) eam appellauerunt, tanquam sapienti parti acciderit quippiam, uti de locis affectis lib. 5. autor est Galenus. *Persicus.*) Hoc est, nucleus ossium persicorum. *Nuce interiore.*) Nucem uocat os mali persici, quod soliditate sua nuci simile est & intra pomũ ipsum continetur, & adhuc intra se nucleum habet qui edendo est & huic morbo medicatur.

Persicus.

SPLENI CVRANDO.

CAPVT XXII.

QVANDO lien tumido circumligat ilia uinclo,
Et plenum splenis demonstrant membra rigorem,
Mollibus ex hedera tornantur pocula lignis,
Hinc trahit assuetos æger quoscunq; liquores.

Splen. *Lien.*



PLENI.) Lieni, hoc est, ęgritudinib⁹ eius. Est autem splen siue lien membrum in sinistra parte aduersus iecur situm, natura molle & rarum, simile spongiæ, longitudinis & crassitudinis modicę. Cuius officium est melancholicum sanguinem quo nutritur ex hepate ad sese attrahere. Afficiturq; uarijs modis. Aliquando enim attrahendi uis & facultas imbecillior redditur, quare sanguinẽ ex iecore non attrahit: ob quod idem impurus in uniuersum corpus transmittitur & corporis colorẽ efficit nigriorem. Aliquando uero accidit illi meatuum obstructio. Interdum autem in flam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

flammatio, aut alius tumor & duricies, quę facile tactu de prehenduntur. Et, ut Celsus scribit, Lienis ubi affectus est, intumescit, simulq́ cum eo pars sinistra, eaq́ dura est, & prementi renititur, uenter intentus est, aliquis etiam cruribus tumor est, ulcera aut omnino non sanescunt, aut certe cicatricem uix recipiunt: in intenta ambulatione cursuq́ dolor & quædam difficultas est. Et taliter affecti, maxime quibus, ut Galenus tradit, post inflammatio nem lien in antiquum non restituitur habitum, sed tumor permanet & duricies, splenetici & lienosi uocantur. Therap. li. 13. *Splenetici.* *Lienosi.*
Cæterũ lienis cura proxima est curæ iocinoris: nisi quod lien ualidioribus & magis penetrabilibus indiget medicinis, quibus semper, ne uirtus eorũ exhalet, uiscida quædam propria sunt admiscenda, siue intus assumantur siue extra applicentur. Est enim in profundo situm, minusq́ nobile membrum, humor etiam crassior, magisq́ resistens. Vnde Abinzoar theizir libr. 1. Et scire debes quod splen sustinere potest fortiores medicinas ualde ipso hepate. Sed res calidæ ualde (ut inquit Auicenna) non sunt multum conuenientes spleni, propterea quod indurant & exiccant & prohibent à resolutione. Nec tantum relaxantibus lienem, uti Galenus ait, curare oportet, cum hic quoq; ex iocinore, quicquid limosum et melancholicum est, expurget: propterea scilicet, quod ex eo humore nutritur. Iccirco quoties obstructio in eũ incidit, aut phlegmone, potissimum quæ scirrosa fit: tũ ea quæ obstructiones eximant, tum quæ dissecent uehementiora exigit.
Tumido uinclo.) Tumore intẽdente & uinciẽte. Lien enim nonnunquam adeo intumescit ut uiscera quasi zona cingere uideatur. Hinc illud Plauti in Curculione, Quasi zona liene cinctus ambulo. *Ilia.*) Ilia dicuntur partes illæ quæ respiratione in lateribus concutiuntur, & quæ super umbilicum, ut Aristoteles scribit, constitutæ sunt. Inter quæ sumen & abdomen pubesq́ intercluditur. Et quia chondro, sub ore uẽtris quod in condri meditullio *Ilia.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

dicitur, autore Galeno, in superficie exteriore subijciun-
Hypochōdria. tur: hypochondria etiam quasi subcartilagia appellãtur.
Ceneona. Et ab inanitate Ceneona, hoc est partes inanes. Est enim in more, uti Galenus in prognosticorum expositione scribit, partes illas uocari inanes, quæcunq; inter extremam thoracis costam & femoris ossa habentur. Atqui inanis uidetur omnis talis sedes si eam cum supernis infernisq; partibus utrisq; osseis, cõferas. At uero omnis talis pars, quoties non fuerit aliquis paulò ante repletus esculentis poculentisq;, flaccida habetur. Vnde & Lagona uo-
Lagona. cant Græci, & Homerus Lapara à flacciditate. Cæterum
Lapara. ὁμωνύμως interna uiscera, quoniam sub chondris etiã notharum costarum existunt, hypochondria quoq; & Ilia uocantur: ueluti ieiunum & lactes & intestina tenuiora: item arteriæ quæ inter uesicam & aluum ad pubem tendunt, ut Plinius ait, Ilia appellãtur. Celsus item ubi de interiorum membrorum situ loquitur, Ipsa autem ilia, in-
Præcordia. quit, inter coxas & pubem imo uentre posita sunt. Di-
Exta. cuntur item uiscera hæc in homine præcordia & exta, ut Plinius scribit. *Plenum rigorem.*) Duriciem intentam &
Hederaceum poculum. tumidam. *Mollibus.*) Teneris. *Hedera.*) Frequentem ex hederaceo uase potum spleneticis mederi testatur etiam Plinius libro 24. cap. 10. inquiens, Huius quoq; ligni uase spleneticos bibentes sanari inuenio. Et ab facultate hac qua lieni medetur, dicta est ab aliquibus asplenos. Apuleius item lieni utilem tradit, sed aliter hijs uerbis, Hederę nigræ grana primo, 3. secundo, 5. tertio, 7. quarto, 9. quinto, 11. sexto, 13. septimo, 15. octauo, 17. nono, 19. decimo, 21. in uino bibantur diurnis diebus: si habet febrem in aqua calida, maximo auxilio lienosis auxiliatur. *Tornantur.*) Cęlantur & fabricantur. *Pocula.*) Vasa è quibus bibitur.
Poculum. Poculum enim quoduis uas dicitur quo bibitur, à po-
ποτήριον. tando sic dictum, quemadmodum ποτήριον apud Græ-
Calix, κύλιξ. cos: cuius species est calix, Græce κύλιξ dictus. *Hinc.*) Ex poculo hederaceo. *Trahit.*) Haurit & bibit. *Assuetos quoscunq;*

cunq; liq.) Hoc est humorem & potum, quem in consuetudine & usu bibendi continuo familiarem habet, siue aqua siue uinum id fuerit: lignum enim uim suam illi administrat & miscet.

Aut uiridis oleris potabitur unda salubris.
Proderit exsucto fluuialis hirudo cruore.
Siue myrica recens. Seu ros cum pane marinus.
Aut hederæ succus potu appositu**q́**; iuuabit.

Viridis oleris.) Per olus uiride uidetur betam intelligere, quæ uiridi folio est, & duum generum. Nigra altera quæ aluum sistit: & candida altera quæ mollit, & nigræ præfertur: quæ differētia in radice est, uti Columella docet, dum infit, Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu Deprimitur folio uiridis pede candida beta. Vbi per pedem intelligit radicem. Et olus hoc est quod Celsus quoq; ex aceto sumptum contra lienis affectus laudat. Ni malit quis per olus uiride intelligere brassicam, quæ etiam (ut Cato tradit) si bilis atra est, & si lienes turgent, & si cor dolet, aut pulmones, aut præcordia, uno uerbo omnia sana faciet, quæ intro dolitabunt. *Vnda.*) Succus & aqua decoctionis eius. *Hirudo.*) Sanguisuga, cuius ad extrahendum sanguinem usus est. Sed uitium, ut Plinius attestatur libro 32. cap. 12. quod admissæ semel, desiderium faciunt circa eadem tempora anni semper eiusdem medicinæ. Verū postquam satietate & sanguinis pondere plenæ tument, quo facilius decidant, sale uel cinere aspergendæ sunt. Postq́; casum earum locus sycia fugatur ad tollendam morsuræ malitiam, uti quarta primi capite 22. docet Auicenna. Et si sanguis fluxerit, administrētur res adstringentes ceu gallæ & similes. Solent etiā aliquādo capita adfixa relinquere: quæ causa, ut Plin. scribit, uulnera insanabilia facit & multos interimit: sicut Messalinum è consularibus patritijs cum ad genua admisisset. Inuehunt uirus re

Olus uiride.

Hirudo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

medio uerso, maximeq́ ruffæ ita formidantur. Ergo sugentia ora forficibus præcidunt, ac ueluti Siphonibus defluit sanguis, paulatimq́ morientiũ capita se contrahunt nec reliquuntur. Hæc ille. *Fluuialis.*) Quæ in aqua degit fluuiatili, & cæteris præstat. Sunt etiam aliæ bonæ hirudinis proprietates, uidelicet, ut sit coloris hepatici, rotunda, minuta, capitis parui, similis locustis paruis & caudæ muris, fila habens duo similia colori arsenici, cuius uenter sit rubeus, dorsum uiride. Contra mala est & uenenosa quæ in aquis degit cœnosis & limosis nigris & fœtidis et in quibus ranę abundãt malæ ceu ruffę grossæ & diuersorum colorũ: nam quæ cum ranis uiridibus, quas comedunt, uersantur, non omnino inidoneæ aut malę sunt. Mala est item nigra, uiridis ac liuida, filum habens nigrũ, caputq́ magnũ: & lanuginosa: autor Auicẽna. *Exucto cruore.*) Extracto & euacuato sanguine. Et hæc sanguinis extractio ualidior est, magisq́ ex profundo attrahit quàm ea quæ cucurbitarũ medicinaliũ est, quas sycias uocãt & uẽtosas: quamuis eadẽ utrarunq; sit ratio, scilicet, meatus quos poros dicunt, laxare, & corpora sanguine alleuiare. *Myrica.*) Id est, μυρίκη Græce, Latine tamarix, arbor est quæ nascitur prope paludes & in stagnantibus aquis: fructum fert, quemadmodũ & florem concretione sua muscosum. Cuius folia in uino coquuntur, potumq́ eorum decoctum lienem minuit. Fiuntq́ ex ligno eius calices à quibusdam, quibus lienosi in bibendo utũtur utilissimo eis, ut credunt, in hac materia potu, autore Dioscoride, cui Auerrois & Auicenna subscribũt. Plinius item lib. 24. capite 9. Myrice, inquit, quam & tamaricem uocat Leneus similem scopis amerinis, ad lienem pręcipua est, si succus eius expressus in uino bibatur. Adeoq́ mirabilẽ eius antipathian contra solum hoc uiscerum faciunt, ut affirment si ex ea alueis factis bibant sues, sine liene inueniri. Et ideo homini splenetico cibum potumq́ dant in uasis ex ea factis. Et quod ad sues attinet, de eo sic tradit Columella

Sanguinis extractio per hirudines ualentior ea quæ per cucurbitas fit.
Cucurbitæ medicinales,
Syciæ uentosæ.
Myrica.
Tamarix.

mella rei ruſticę lib.7.ca.10. Solet etiam uitioſi ſplenis dolor eas infeſtare, quod accidit, cum ſiccitas magna prouenit, & ut Bucolicon loquitur poema, ſtrata iacent paſſim ſua quæq; ſub arbore poma. Nam pecus inſatiabile eſt. Sūes enim dum dulcedinem pabuli conſectantur, ſupra modum æſtate ſplenis incremento laborant. Cui ſuccurritur, ſi fabricentur canales ex tamaricibus, & ruſco, repleanturq; aqua, & deinde ſitientibus admoueantur. Quippe ligni ſuccus medicabilis, epotus inteſtinum tumorem compeſcit. Hæc ille. *Ros cum pane marinus.*) Medicamen hoc impoſitum lieni medetur, & maxime quidem inflammationibus eius ob duriciem. Panis enim, ut Dioſcorides inquit, loquitur aūt de triticeo, in aqua mulſa coctus, nec minus etiam crudus maxima molliendi refrigerandiq; ui quā habet, omnes inflāmationes illitus lenit: præſertimq; admixtis ſuccis herbiſue aliquibus ad id facientibus. Cuiuſmodi eſt ros marinus: qui, ut idem teſtatur, ueteres tumores diſcutiente ui præditus eſt. *Hederæ ſuccus.*) Prius ex hederaceo uaſe bibentes ſpleneticos ſanari prodidit: nunc uero ſucco eius epoto aut impoſito eundem effectum tribuit: quod & Dioſcorides quoq; teſtatur cum ait, Medētur lieni hederæ tenera folia in uino decocta, aut cruda cum pane coacta. Plinius item, Lieni, inquit & pota & illita proſunt folia. Et, Corymbi quoq; poti uel illiti lienem ſanant.

Ros marinus. **Panis triticeus.** **Hedera.**

Nec non intactam ferro cum uideris alnum,
Hinc liber eripitur ferro ſine, decoquiturq;
Donec uictarum pars tertia ſubſit aquarum,
Hinc medico potu pulſus dolor omnis abibit.
Nonnulli memorant conſumi poſſe lienem
Quiq; ſerum ſemper ieiuno ſumpſerit ore.

Intactam ferro.) Ferrum non expertam & ab eo illęſam, nec abſciſſam et arentem, ſed uiuam in terra adhuc hærentem

Alnus.

Alnus. & crescentem, quę succulenta est & ui efficaciore. *Alnum.*) Quod hic cortici tribuit Serenus, id de folijs testatur Plinius lib. 24. cap. 10. inquiens: Folia alni ex feruenti aqua certissimo remedio sunt tumori. *Liber.*) Cortex media- Liber. nus ligno adherēs qui proprie liber dicitur: hinc delibra- Delibrare. re uerbū quod est corticē detrahere. *Sine ferro.*) Absq; ferri contactu & incisione. Et hoc superstitionē sapere uidetur. *Victarū.*) Coctarū. *Subsit.*) Desit. *Quiq;.*) Pro quicunq;. *Serum.*) Aquam lactis. Hęc enim, ut Musue docet, Serum. splenis oppilationibus & grossitiei confert. Et hoc ratione transpositionis atq; euacuationis humorū crassorum ac melancholicorum lieni insertorum. Cuius causa Hippocrates in aphorismis dicebat, Lienosis difficultas intestino superueniens, bonum.

Arida ficus item feruente domatur aceto
Et trita illinitur: uel splen apponitur hædi.
Marrubium in uino potu prodesse putatur.
Præterea piper, ac nepetæ cum flore & anethum,
Capparis atq; apium, bulgossaq; iungitur una,
Horum decoctos latices potare salubre est.

Ficus arida. Carica. *Arida ficus.*) Ficus siccata, quam caricam Latini uocāt: quę spleni extrinsecus imposita medetur, uti Celsus quoq; libro 4. cap. 9. testatur inquiens: Fit & unguentum ex arida ficu. Et Plinius lib. 23. cap. 7. Siccæ fici semper utiles lienū uitijs. Et hoc maxime ubi duriciem patitur lien. Nam, ut Acetum. Dioscorides tradit, siccatę ficus coctæ mox concisæ ad discutiendas duricies illinūtur. *Feruente domatur aceto.*) Hoc est, in acri aceto decoquitur. Acetum enim & præsertim acre, nec modo cum alijs mixtum, sed & per se haustum lieni utile est: nec acetum solum, sed & omnia acida maxime conueniunt, autore Celso libro 4. De aceto item sic scribit Auicēna, decimaquinta, tertij. tr. 2. c. 6. Scias quod acetum multum ingreditur in curis spleneticorum. Inest enim ei proprietas in resoluendo apostemata et duriciem eius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

eius. Item Abinzoar libro 1. tr. 13. cap. 5. Et non tradas hæc obliuioni, scilicet quando uis dare medicinas pro splene ut admisceas eis semper ea quæ habeant acetositatem, eo quod istud membrum proprie nutritur isto sapore, & propter hoc attrahit acetositatem & rapit eam uiolenter. Et hac de causa miscenda sunt acetosa medicinis splenis, ut deferant uirtutes earum citissime ad ipsum. Et acetum habet dictas medicinas ipsi spleni ferre et deportare. *Splen hædi.*) Idem tradit Plinius libro 28. cap. 10. hijs uerbis: Prodest item hædorum lien impositus. *Marrubium.*) Quod pleriq; inter primas herbas commendauere, ut scribit Plinius libr. 20. cap. 22. Cuius multus in medicina usus, præsertimq; in splene laxando & obstructiones aperiendo. *Vino.*) Idq; etiam per se, nedum cum alijs. Celsus, Potest dari uinum tenue austerum, omniaq; in cibis & potionibus quæ urinæ mouendæ sunt. *Præterea piper ac.*) Docet nunc composita quædam medicamẽta & potiones, quorum simplicia per se quoq; sunt cõuenientia spleni & utilia. Inter quæ piper ex aceto tum bibitum tum illitũ splenis apostematibus bonum est, autore Auicenna, idq; uirtute discutiente & imminuente. *Nepetæ.*) Nepeta quæ & calamintha seu montana menta dicitur, lienosis conuenit ui sua mictuali, qua humores deducit. Nam, ut Celsus tradit, quæ urinæ mouendæ sunt ceu apium, nepeta & alia, in cibis & potionibus dari possunt: hæc enim inde commodissime uidentur humorẽ deducere. *Flore.*) Hic enim reliquis partibus tenerior est & subtilior. *Anethum.*) Et hoc humores crassos per urinam deducẽdo, ceu de nepeta iam dictum est. *Capparis.*) Capparis quẽ cynosbaton, id est sentem canis, aliqui appellant, spinosus frutex est in girum per terram stratus: hamatas habet rubi modo spinas: folia rotunda cotonei mali folijs similia: fructũ oliuæ figura, qui dehiscens candidum profert florem: eoq; deflorescente superest ueluti oblonga glans, quæ dehiscens grana punicæ modo intra se ostendit exigua,

Splen hædi. *Marrubium.* *Vinum.* *Piper.* *Nepeta.* *Calamenthum.* *Anethum.* *Capparis.* *Cynosbatos.* *Sentis canis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

rubentiaq́: habet radices multas lignosas & grãdes, quarum siccatus cortex, ut Dioscorides tradit, lienosis prodest, & cum hordeacea farina hydrelæo subacta emplastri modo imponitur, duriciesq́ discutit: & semen eius lienem minuit quadraginta diebus pondere drachmarum duarum cum uino potum. Estq́, ut Celsus testatur, multis modis cappari aptum. Nam & ipsum cum cibo assumere, & muriam eius cum aceto sorbere, cõmodum est. Quin etiam extrinsecus radicem contritam uel corticem eius cum furfuribus aut ipsum cappari cum melle contritum imponere expedit. Plinius itẽ, Spleneticis, inquit, prodest in uino potus radicis cortex duabus drachmis dempto balneorum usu. Feruntq́ trigintaquinq́ diebus per urinam & aluum totum lienem emitti. Adhæc quale medicamentum iocinori est absinthium, tale est lieni capparis cortex. Siquidem similia genere medicamenta, ambo uiscera postulant. Cæterum tanto ualentiora lienis, quanto crassiore utitur alimento. *Apium.*) Apium spleneticis conuenire, testis est Auicenna canonis libro 2. Et hoc ideo, quia crassos humores per urinam trahit ceu nepata & anethum. Est autem apium herba, quam nunc petroselinon uocant, aliud ab eo quod nunc apium appellamus. *Buglossa.*) Buglossam Latini bouis seu bubulam linguam, à boum linguæ similitudine, nuncupant. Et Plinius ab animi lætia quam facit Euphrosinon quoque uocari tradit. In uinum etenim deiecta, uoluptates animi & lætitiam, hilaritatemq́ conuiuis facere dicitur: autor Dioscorides, Galenus, Paulus Aegineta, Plinius, Apuleius. Et hęc quia crassis ac melancholicis, ex quibus tristitia gignitur & splenis uitia oriuntur, humoribus aduersatur, accommodatissima est lienosis. *Latices.*) Succos & aquam decoctionis illorum.

Apium. *Buglossa.*

Pulegium, abrotonum, nitida cũ mastiche coctum,
Ac thymbræ speciẽ, quã cõmemorant cephaloten,

Præ

Prædixit spleni Deus Idæ posse mederi.
Dulcia Plautus ait grandi minus apta lieni.
Splen tumidus nocet, et risum tamē addit ineptum.
Vt mihi sardois uideatur proximus herbis,
Irrita quæ miseris permiscent gaudia fatis.
Dicitur exectus faciles auferre cachinnos,
Perpetuoq; æuo frontem præstare seueram.

Pulegium.) Puleium lienosis accommodum esse, testis est Apuleius inquiens: Ad splenis dolorem, herbam puleï decoque ex aceto, & idem acetum calida permixtum potui dato. Nam, ut Dioscorides tradit, potum cum posca nigram per inferna trahit bilem. Et quia inflammationes & duricies discutit, eodem autore, cum sale impositum etiam lienosis confert. *Abrotonum.*) Abrotonum duum generum frutex est, Alterum enim fœmina quod arborescit, albicātibus folijs, incisuris minimis seriphij absinthij modo circa ramulos diuisis, floribus plenum: comantibus in summo fulgore auri ueluti corymbis quibusdam. Nascitur æstate odoratum cum grauitate aliqua & in gustu amarum. Alterum uero mas uocatur, sarmentosum absinthij modo fruticosum. Cæterum abrotonum humores per urinam deducendo lienosis prodesse creditur, quemadmodum & apium & alia paulò ante dicta. *Nitida mastiche.*) Dioscorides, Nascitur ex lentisco resina quæ ab arbore lentiscina, à quibusdam uero mastiche appellatur: quæ plurima & probatissima nascitur in Chio insula. Bonitate in ea antecedit quæ pellucet & thyrrenæ ceræ candore suo similis est, crassa, friabilis, & odorata. Quæ contra uiridis, deterior. Adulteratur mastiche admixtis pinea resina aut thure. *Thymbræ speciem cephaloten.*) Videtur hic autor duo plantarum genera simul miscere, uidelicet, thymbram & thymum, quod quidem Dioscorides Cephaloton, id est capitatum, à quibusdā appellari

Puleium.

Abrotonum.

Mastiche.

Thymbra cephalotes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tradit, non autem thymbram, quæ etiam cumila & satureia dicitur. Potuitq́ hoc facile fieri ex uirium notarūq́ earum similitudine. Nam, ut Dioscorides testatur, nascitur thymbra thymo similis, potestq́ thymo eadem, similiter sumpta. Suntq́ ambo pro condimento in sanitatis usu gratę ac utiles. Nascunturq́ ambo locis asperis & incultis. Valent item lienosis tum intus assumpta tum extra imposita. Intus quidem, quia humores crassos per inferna ducunt & ciendæ urinæ uim habent: Extra uero, quia nouos corporis tumores ex aceto emplastri modo imposita discutiunt, & concretos sanguinis grumos disijciūt.

Deus Idæ. *Deus Idæ.*) Aesculapius, qui apud Pergamum sub monte Ida numinis uice ac tanquam sanitatis autor & deus habebatur ac colebatur.

Dulcia. *Dulcia.*) Tradit nunc à quibus generatim abstinere debeant lienosi, & talia ait esse dulcia: unde Celsus ait, Dulcia omnia lieni sunt inimica, acida autem maxime coueniunt. Et Gale. Nouimus, inquit, dulcibus omnibus, tum iecur, tum lienem maxime intumescere. *Nocet.*) Officit. Quo pacto aūt noceat, ipse mox subiungit, estq́ id quod risum efficit intemperantem, & quem uocare possis sardonium: quo qui afficiuntur, ad interitum usq; ridere solent: ceu contigit Zeusi pictori & Crysippo, qui immoderato risu obiere. *Risum ineptum.*) Risum petulantem, immodicum, insanum & dementem: qui non minus indecorus est uiro graui quàm muliebri more eiulatus.

Risus sedes. Risus autem sedes in splene collocatur, ad cuius magnitudinem, risus intemperantia sequitur, & ad paruitatem eius atq; ablationem, risus etiam minuitur & aufertur.

Herba sardoa. *Addit.*) Efficit. *Sardois herbis.*) Hoc est, hijs qui herbam sardoniam gustati risu intereūt. Dicta est autem Sardoa siue sardonia herba, quia plurimum in Sardinia nascitur. Estq́ secunda batrachij siue ranunculi species. Quæ, ut Dioscorides tradit, in cibo potúue sumpta, mentis alienationem & cum labiorum contractione eas conuulsiones facit ut risus speciem præbeat. A quo euentu

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

etiam Sardonius risus miserabili dicterio inter homines iactatur. Hanc multi apium risus uocant: Apuleius uero Sceleratam. Porrò de risu sardonio plura Erasmus Roterodamus in adagiorũ chiliadibus. *Dicitur exectus.*) Post enumerata magni lienis nocumenta & effectus, nũc eius dẽ exempti & ablati uitia tradit, quae sunt risus ablatio & uitae seueritas atq; tristitia. Hinc Plin. Et per uulnus etiã, inquit, exempto uiuere animalia tradũt. Sunt qui putent adimi risum simul homini, intemperantiamq; ioci constare lienis magnitudine. *Faciles cachinnos.*) Risus leues & ineptos. *Perpetuo aeuo.*) Vita uniuersa. *Frontem seueram.*) Vultum & faciem tetricam, tristitiaeq; plenam. *Splen exectus.*

PRAECORDIIS SANANDIS.

CAPVT XXIII.

LANGVIDA si duro turgẽt praecordia morbo,
Miscetur mulsae farris sextarius unus,
Necnon & lini tunsum siliquaeq; legumen,
Haec decocta simul nondumq; tepentia nectes.



RAECORDIIS.) Quamuis nonnunquam succingens mẽbrana quae diaphragma dicitur, quia cordi praetẽditur, precordiorum nomine censeatur, ut Plinius testatur libro 11. Hic tamen à Sereno praecordia appellantur exta in homine. Et sic etiam interpretatur Plinius libro 30. cap. 3. cum inquit, Praecordia uocamus uno nomine exta in homini. Greci quoniã sub chondro, id est cartilagine, sint, hypochondria quasi subcartilagia uocant. *Duro turgent morbo.*) Hoc est, tumore & abcessu apostemateq; duro afficiuntur. *Mulsae.*) Scilicet aquae: quae & melicraton & hydromeli dicitur. Quamuis hydromeli à melicrato nõ nunquam discrepet: non quidem substantia ipsa, sed aeta *Praecordia.* *Exta.* *Hypochondria* *Aqua mulsa.* *Hydromeli.* *Melicraton.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tis ratione tantũ, uti colligitur ex Plinio & Dioſcoride. Et quia molliendi uim habet, ideo duris præcordiorũ abſceſſibus perutilis eſt, illos emolliendo diſcutiẽdoq́;, præſertim ſi cum alijs idoneis temperetur & imponatur. *Far*
Far. *ris.*) Far frumenti genus eſt, quod adoreum ueteres appellarunt. Valet et hoc uel per ſe, nedũ alijs mixtũ, ad præcor
Sextarius diorũ duriciã emolliendã & diſcutiendã illitũ. *Sextarius.*) Sextarius menſuræ genus eſt, & ſexta pars chus: diuiditurq́; in duas lances, cotuláſue, quas heminas uocamus. Lanx uero in duo acetabula, oxybapháue diuiditur. Acetabulum aũt in tres cyathos. Cyathus uero myſtra quatuor facit. Cochlearium uero myſtri dimidium eſt. Sextarius ergo in chochlearia ſex & nonaginta ſoluitur. Dictusq́; eſt ſextarius quod eũ ſexies capit cõgius, qui chus
Linum. Latine dicitur: autor Aphricanus medicus. *Lini.*) Notum omnibus linum. Cuius ſemen omnes intus & foris inflammationes diſcutiendi & emolliendi uim habet, au
Siliqua tore Dioſcoride. *Siliquæ.*) Siliqua cõmuniter pro leguminum folliculo & theca qua claudũtur accipitur. Plinius, Siliquæ rotũdæ ciceri, cæterisq́; leguminum longæ & ad figurã ſeminis latæ, piſo cylindraceæ. Aliquando uero arboris ceratiæ fructus Siliqua dicitur, de qua habitum eſt ſupra capite 17. Nõnunquam uero proprium leguminis genus eſt quod Siliciam uocat Plinius, & fœnũ Græcum quoq; appellatur teſte Varrone & Columella. Et in hoc ſignificatu hic accipit Seren. Cuius ſiliquę farina, ut autor eſt Dioſcorides, molliendi diſijciendiq́; uires habet, & ad collectiones facit, quæ intus forisq́; colligũtur, cum
Legumen. decocta aqua mulſa ſubacta. *Legumen.*) Semen, quod ſiliquis ho c eſt thecis & folliculis includitur. Sic dictum à legendo, quod terra uellitur, non ſubſecatur. *Nondum tepentia.*) Hoc eſt, calore ſuo nondum deſtituta nec algida, ſed adhuc calentia & feruida. *Nectes.*) Annectes & impones.

Aut quæ poma Cydon Creteis miſit ab oris

Cocta

Cocta lines, durum ut possis mollire tumorem.
Ocyma præterea bulbiue linuntur amari.
Proderit & lymphis corpus mersare marinis.
Quin etiam catulum lactentē apponere membris
Conuenit, omne malū transcurrere fertur in illum,
Cui tamen extincto munus debetur humandi,
Humanos quia contactus mala tanta sequuntur,
Et iunctus uitium ducit de coniuge coniunx.
Quod superest tritæ iunges ramenta carinæ,
Quodq; decē ex rebus* consit simul atq; uocatur, *decatorthoma rite
Masticis addentur cum puluere mollia farra,
Talibus auxilijs præcordia tuta resistent.

Poma Cydon.) Describit mala quæ uocamus cotonea, & Græci Cydonia ex Creta insula aduecta: quorum plura sunt genera, de quibus Dioscorides, Plinius & cęteri. Cydon autem amplissima illustrissimaq; Cretæ insulę ciuitas est, de qua plura Strabo libro 10. à qua ciuitate & mala Cydonia nomē adepta sunt. *Creteis ab oris.*) A regione et insula Creta, centum urbibus clara fama: de cuius situ & claritate plura Strabo libro 10. & Plinius libro 4. *Ocima.*) Ocimum, quod & basilicon dicitur, uim habet maturantem & discutientem: quare & contra præcordiorum duriciam mammis illinitur, ut Plinius tradit libro 20. cap. 12. *Bulbi amari.*) Maxime qui edendo sunt & saporis inter hos amarioris. Et hunc effectū eorum Plinius etiam testatur lib. 20. ca. 9. hijs uerbis: In uino cocti, illiti uentri, duriciā præcordiorum emolliunt. Quamuis etiam alijs qui edendo nō sunt, & medicamini tantū nascuntur, ad hunc affectum uti quis posset, inter quos nobilissima est etiā Scylla. *Lymphis corp. mersf. mar.*) Maris enim aqua per sese discutiendis tumoribus efficax est. Vnde, ut Plinius etiam libro 31. ca. 8. testatum reliquit, Præcordia maris piscinæ corrigunt. *Catulum lactentem.*) Idē tradit Plinius hijs uer-

Mala Cydonia. *Cydon.* *Creta.* *Ocymum.* *Bulbi amarū.* *Aqua marina.* *Catulus lactens*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

bis: Præcordia uocamus uno nomine exta in homine, quorum in dolore cuiuſcunq; partis ſi catulus lactens ad moueatur, adprimaturq́; ijs partibus, tranſire in eũ mor bus dicitur. Idq́; exẽterato, perfuſoq́; uino deprehendi ui tiato uiſcere illo quod doluerit hominis et obrui, alijs reli gio eſt. *Cui extincto &c.*) Eſt enim morbus letalis & contagioſus, qui quem corripit, ni ſtatim ſuccurratur, actutum interimit. *Humanos quia.*) Reddit nunc cauſam propter quàm humari iuſſit catulum mortuum. Et eſt hæc, quia morbus quo infectus obijt, eſt cõtagioſus, quem unus ab alio facile contrahit et per contagionem inficitur. Si enim Catulus per contactum inficitur, quanto magis homo infici poteſt, qui cutis & ſubſtantiæ eſt tenerioris. *Quod ſupereſt.*) Ponit nunc ultimum medicamentũ quod cõſtat ex pice nauali, maſtiche, farre, & medicamento ex decem rebus, ut ait, compoſito. *Ramenta carinæ.*) Intelligit picem naualem quam zopiſſam uocant, de qua ſupra etiam habitum eſt, & quæ additur in malagmata ad diſcutiendas collectiones, autore Plinio libro 24. cap. 7. qui & optimã eſſe ait quę ſit à tyrocinio nauiũ. Porrò ramentũ à rado dicitur, tenuis cuiuſq; rei particula, quaſi raſura. Carina uero infima pars eſt nauis, & pro tota naue aliquando accipitur. *Quodq; decem.*) Videtur intelligere cõfectionem illam theriacæ & compoſitionẽ medicaminis Antiochi, quam refert Plinius naturalis hiſtoriæ libr. 20. circa finem hijs uerbis: Sed ante diſceſſum ab hortẽſibus unam compoſitionem ex ijs clariſſimam ſubtexemus aduerſus uenenata animalia, inciſam lapide uerſibus in limine ædis Aeſculapij. Serpilli duum denariorum pondus. Opopanacis & milij tantundem ſingulorum. Trifolij pondus denarij. Anethi & fœniculi ſeminis, & aniſi & mei, & apij denariorum ſenum ex ſingulis generibus: eruij farinæ duodecim. Hæc tuſa cribrataq́; uino quantũ poſſit excellenti digeruntur in paſtillos, uictoriati pondere. Et hijs ſinguli dantur ex uini mixti cyathis ternis.

Ramẽta carinæ
Zopiſſa.
Pix naualis.
Ramentum.
Carina.
Medicamentũ a..rerum.

Hac

Hac theriaca magnus rex Antiochus aduersus omnia uenena usus traditur. Hactenus Plinius. Verum loco horum uerborum, Confit simul atq; aliqui codices sic scriptum habent, decatorthoma rite. Vbi per decatorthoma intelligendum est medicamentum ex decem rebus recte confectum, à δέκα quod est decem, & ὀρθὸς, id est rectus.

LVMBIS ET RENIBVS SANANDIS.

CAPVT XXIIII.

CVM sæuit penitus hærens iniuria lumbis,
Igne lapis candens datur exultantibus undis,
Hoc poteris potu tristem superare dolorem.
Aut pice cum dura, mel, nitrum, sulphur, acetum,
Succida lana rapit contacta calentibus ijsdem,
Proderit hanc ægris crebro perducere membris.


VMBIS.) Lumbi dicuntur pars illa ab cinctura usq; ad nates, ubi & renes situati sunt: sic dicti, ut quidam uolunt, à lubidine, hoc est, libidine: antiquitus enim & lubido dicebatur et libido, sicut lubet & libet. Porrò lumborum uitium & debilitas lumbago appellatur: quamuis etiam renum dolor, qui nephritis dicitur, ad lũbos referatur, & de utroq; mixtim præsenti capite agit Serenus, potissimum tamen de eo qui affectis renibus accidit. *Renibus.*) Dolori renum affectorum: qui duo sunt in animali, &, ut Celsus ait, diuersi, qui lumbis sub imis coxis inherent à parte ea rum resimi, ab altera rotũdi, qui & uenosi sunt, & uentriculos habent, & tunicis supercõteguntur. Quorum munus & officium est ut, concocto in iecore & ab humore aquoso superfluo sequestrato & in corpus penetraturo *Lumbi.* *Lumbago.* *Nephritis.* *Renes.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſanguine, eius ſeroſum, ne corruptioni locum præbeat, ab iocinore adtrahant. Suntq́ʒ, ut uolunt, dicti renes ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, hoc eſt à defluxu humoris obſcœni, id eſt ſedimen torum urinę. *Penitus hærens.*) Omnino & multũ infixus, unde et longo tempore affligit. Nam, ut Celſus ait, Renes ubi affecti ſunt, diu male habẽt. *Iniuria.*) Malum & morbus. *Candens.*) Ignitus. Quamuis enim candens proprie candidum dicitur, quia tamen ea quæ igneſcunt, candidiora fiunt, ideo aliquãdo pro ignito accipitur. Sic etiam ferrum candens & carbo candẽs dicitur. *Datur.*) Immittitur & extinguitur. *Exultantibus undis.*) Aquæ bullienti. Cum enim ebullit aqua, effertur & exilit quaſi ſaltare uideatur. *Aut pice cum dura.*) Docet nũc conficere malagma quod extra lumbis inijciendũ eſt, & frigido dolori conuenit. Eſtq́ʒ medicamenti huius uis & natura calefacere, diſcutere & extrahere, quibus hic opus eſt: unde Celſus ait, At ſuper quoq; recte quędam malagmata inijciantur, maximeq́ʒ ea quę humori extrahendo ſunt. Per picem uero duram, intelligit Serenus picem ſiccam. Duplex enim eſt picis genus, liquidum & ſiccũ ſiue ſpiſſum. Fit autem pix ſicca, decocta liquida, & à multis palimpiſſa uocatur, quaſi iterum cocta pix. Cui uis eſt calefaciens, molliens et diſcutiẽs. Mel autem aperit & humores in ſummum proritat. Nitrum uero uires ex alto in ſummũ etiam euocandi habet. Sulphur calfacit & diſcutit. Acetum autem reliquis ad interiora penetrandi uim addit: & quamuis frigidum ſit, habet tamẽ admixtam ſibi aliquam caliditatem, autore Galeno therapeuticæ libro 10. *Succida lana.*) Lana ſuccida quid & qualis & unde ſic dicta ſit, docet nos Varro rei ruſticæ libro 2. hijs uerbis: Tonſuræ tempus inter æquinoctium uernum & ſolſtitium: cum ſudare inceperint oues, à quo ſudore recens lana tonſa ſuccida eſt appellata. Quæ, ut Dioſcor. tradit, probatiſſima eſt, mollis & ex collo femoribusq́ʒ pecoris detõſa: præbetq́ʒ duplicem utilitatem, Vnam, quod natura ſua & ſordium ſuarum pin-

Candens. *Aqua lapideata.* *Pix dura.* *Palimpiſſa.* *Mel.* *Nitrum.* *Sulphur.* *Acetum.* *Lana ſuccida.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

pinguedine, quæ œsypus est, egregie mollit & ad omniũ partium dolores facit imposita. Alteram, quod res liquidas cito dilabentes suscipit & combibit, ut diutius adhæreant.

Aut caput asparagi cum uino sume uetusto:
Seu mauis appone: modus conducit uterq;.
Aut adipe mixtum lumbis inducito sulphur.
Sæpe chelidoniam cum succo Palladis addes,
Farraq; quæ tremulis prosunt sudantia flammis.
Fertur amygdaleæ succus nucis esse bibendus:
Pinsitur hæc tepidisq; absorbitur addita lymphis.
Aut tres ex uino cochleas feruescere coges
Cumq; suis domibus franges, piperis quoq; grana
Ter quinq; adijcies, potuq; iuuaberis illo.

Caput asparagi.) Radicem asparagi caput uocat, eo quod ex ea tãquam capite & fonte initioq; frutici uniuerso uis sua influit. Hæc decocta cum uino & bibita lumborũ ac renum dolores sedat: quod & Apuleius testatur inquiens, Ad renum dolorem: Herbę asparagi radix trita cum uino & potata proficit. Nec modo hausta, sed & extra lumbis imposita eiusdẽ uirtutis habetur: cuius rei testes sunt etiã tum Plinius tum Dioscorides. Id autem agit uirtute qua urinam cit et per eam renes purgat. *Adipe sulphur.*) Ponit idem Plinius libro 35. cap. 15. hijs uerbis: Rhenibus quoq; et lumbis in dolore cum adipe mire prodest impositũ sulphur. *Succo Palladis.*) Succo oliuę, hoc est oleo oliuarum, cuius inuentrix Pallas perhibetur, quæ & disciplinarum dea est habita, unde & oliua illi consecrata fuit tum propter olei inuentionem, tum quia lucubrationibus & lucernarum oleo disciplinę perdiscuntur. Quod & Marcianus Capella in hymno testatur cum ait, Hinc nam uerni comę frondent tibi munera oliuæ Ars & cura uigil per te quo discat oliuo. Item de oliua Mineruæ sacra Ouidius

Asparagus.

Succus Palladis.

Oleum oliuarum.

Pallas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

etiam libro metamorphoseon sexto. Columella in hortulo palladiam baccam uocat dicens, Rutaq; palladię bacce uictura saporem. *Tremulis.*) Propter radios ignis scintillantes & motu trementes. *Amygdaleæ nucis.*) Pręsertim amaræ. Vnde Plinius libro 23. cap. 8. Amygdalæ amaræ sanant renum dolores ex aqua potæ. Et hoc maxime obstructionem renum aperiendo, autore Auicenna, & urinam mouendo. Opus enim est, autore Celso, quæ maxime inde urinam mouere consueuerũt. Et inter nephretica medicamenta eandem amygdalam sed alio utpote nucis Græcæ nomine, connumerat. *Pinsitur.*) Contunditur. Docet autem modum extrahendi succum. Hunc nostro ęuo propter coloris candorẽ & albedinem, lac amygdalarum uocamus. *Tres ex uino cochleas.*) Hoc idem medicamentum comprobat Plinius libro 30. cap. 3. dum infit: Cochleæ tres contritæ cum testis suis atq; in uino decoctæ cum piperis granis 15. lumborum dolori bibuntur. *Feruescere coges.*) Decoques. *Domibus.*) Testis, quibus pro domo utuntur. Vnde & domiportam uocauit cochleam Cicero, more Græcorum qui φερέοικον ipsam appellant. *Piperis.*) Hoc libro 4. cap. 10. Celsus etiam in renum morbis modo cibo modo potioni adijcere iubet.

Amygdala amara. **Lac amygdalarum.** **Cochleæ.** **Cochlea domiporta.** **Piper.**

Furfur item parca fuerit cum feruidus unda,
Post oleo madidus succis immittitur aptis,
Quæ uix passuris urentes addito membris.
Prodest ceruinæ uehemens natura medullæ,
Nec nocuit ciceris cocti potasse liquorem.
Aut mixtam teneris maluam contundito porris,
Contritumq; simul, cum mastiche, cõfer anethum,
Quodq; decem rebus cõponi ex nomine clarũ est,
His continge locũ, Deus hæc mihi certa probauit.

Furfur.

Furfur.) Malagma ex furfure, aqua & oleo non modo renum, ut hic docet autor, sed omnium etiam dolorum mitigatorium est impositũ. *Parca.*) Modica. *Feruidus.*) Co

ctus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ctus. *Ceruinæ medullæ.*) Inter medullas probatissima est ceruina, autore Dioscoride: molliunt autem omnes, rarefaciunt & calfaciunt. *Vehemens natura.*) Virtus fortis et efficax. *Nec nocuit.*) Imò prodest & iuuat: modo renum & uesicæ ulcerationem non patiatur: tunc enim læderet potius quàm prodesset, autore Dioscoride. *Ciceris liquorem.*) Hoc est, ius ciceris: aperit enim renum obstructiones, et eos per urinam purgat. *Aut mixtam teneris.*) Hoc ultimum est lumborum & renum affectorum medicamentum ex uarijs rebus compositum: quod autor diuino munere probatum testatur. Cuius uires ex simplicium quæ compositionem eius ingrediuntur, natura haberi potest. Malua etenim mollit & lenit. Porrum urinam cit: quod & mastiche facit cum discussione. Anetum mollit, lenit & urinam mouet, quod & alterum ex decem rebus medicamentum facit, de quo dictum est capite præcedenti. *Contingε.*) Inunge & impone. *Deus.*) Aesculapius.

Medulla ceruina.

Ciceris liquor.

Malua.
Porrum.
Mastiche.
Anetum.
Medicamẽtum decem rerum.

VENTRIS DOLORI MITIGANDO.

CAPVT XXV.

SI dolor insanus tota desæuit in aluo,
Heminis tribus in lympha ualidam coque rutam,
Aut apium, donec pars duplex desit aquarum,
Potus erit medicus non detrectante palato.



VENTRIS.) Venter multifariam accipitur. Primo pro eo quod à pectore ad pubem appa ret, id est, quod inter abdominis membranam interiorem et cutem exteriorem interiacet: hoc est, pro abdomine seu sumine, quod Græce epigastrium dicitur: & sic accipitur cũ dicimus uentris musculos esse octo, de quibus Galenus libro de locis affectis quinto: sic

Venter & eius acceptiones.

etiã accipit Cel.lib.4.ca.16.cũ ait, Sub hoc uẽter indurescit, dolorq́; eius est. Secundo accipitur uenter pro ijs quæ infra abdominis membranã interiorẽ continentur, hoc est, pro uentriculo, intestinis & cauitate infra abdomẽ in profundo existẽte, ut apud Hippocratem prognosticorũ lib. 2. cum ait, Si talis excernitur, inferior uenter bene ualet. Vbi dictionem INFERIOR solius thoracis causa adiecit, qui aliquando superior uenter ab eodẽ appellatur, quod & Galenus in huius loci expositione testatur inquiẽs, At uero bene ualere uentrẽ dixit inferiorem, conferens eum cum thorace ut inteligamus uẽtriculum ipsum, & item ieiunũ simul cum intestino omni, per uentrem inferiorem. Tertio per uẽtrem intelligimus partes iam dictas utrasq; & interiores & exteriores simul. Et sic accipit etiam Hippocrates aphorismorum libro 6. cum ait, Dolores uentris sublimes, leuiores: qui uero non sublimes, fortiores. Pro cuius clariore notitia Galeni hunc locum exponentis uerba subijciam. Inquit autem, Sublimes nunc audiendi sunt, nõ secundum longitudinem corporis, sed profunditatem. Interstinguuntur aũt hij in locis ad uentrem attinẽtibus membrana interiore abdominis: adeò quod quicunq; supra hoc fiunt, sublimes uocantur: qui uero infra, hoc est, in ipsis intestinis, atq; uentriculo, & in profundo, non sublimes dicuntur. Et in hijs duabus significationibus accipit etiam uentrem hic Serenus. Quarto accipitur uenter pro ut comprehendit uentrem inferiorem & superiorem, & sic accipit Hippocrates in libro de ulceribus cum ait, Purgatio per aluum plerisq; ulcerum prodest: præterea uulneribus quæ in capite sunt accepta, item quæ in uentre & articulis. Sed ne quis de significatu hoc dubitet, testatur id Galenus lib. therapeutices quarto hijs uerbis: Ventrem autem hoc loco non solum inferiorem intelligendum esse, sed etiam superiorem, patere cuiuis arbitror. Diuiso nanq; quod inter collum & crura est trunco, in duas capacites maximas, prior sub thorace, secunda

cunda sub membrana quę abdomini subtenditur, perito neon Græci uocant, continetur. Quinto accipitur uenter pro eo qui cibi receptaculum est, ut apud Pliniũ cum ait præcordijs subesse uentrem in quo conficiuntur cibi, & hinc in aluum delabũtur. Sexto pro tota cauitate quæ est infra thoracem. Sic Hippocrates aphorismorum libr. 7. accipit cum ait, Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, his uenter aqua repletur & moriuntur. Secundum quod significatum, uentrosi nominantur. Septimo uenter pro omni cauitate accipitur, ceu apud Hippocratem aphorismorum libro 6. Si in uentrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari. Et ultimo uenter accipitur pro utero, quemadmodum et aluus. Vnde mulieres dicuntur gestare uentrem, id est, uterum. *Dolor insanus.*) Magnus, acutus, & quasi ad insaniam ducens prę uehementi afflictione. *Desæuit.*) Furit, & magno cruciatu torquet & infestat. *Aluo tota.*) Vniuerso uentre. Alui nomine Plinius lib. 11. portionem illam intelligit in quam medio adnexam umbilico cibi iam in uentre confecti delabuntur. Serenus alui & uentris nomine idem intelligit. Dicitur item & qua sordes effluunt & eluuntur aluus. *Heminis.*) Hemina duplex est. Vna ponderis, quæ & libra dicitur, uncijs constans duodecim, pręsertim Italica. Altera est hemina mensurarum frugum & liquidorum, quæ & Cotyla dicitur, Sextarij dimidium. Continet aũt acetabula bina, cyathos uero sex. *Validam rutam.*) Rutam efficacem, qualis maxime est siccata, & id quidem modice. Vt enim si plusculum siccetur, acris amaraq; redditur, & supra quàm par est calida: sic si prorsus non siccetur, excrementitium quędam humorem retinet, nondum ex toto concoctum, cuius uitio flatum discutere minus potest: autor Galenus de sanitate tuenda libr 4. Plin. libro 20. capite 13. Ruta, inquit, cruditates discutit, mox inflationes, dolores stomachi ueteres. *Apium.*) Vt quod inflationes discutiat. Est autem apium herba quæ nunc uulgo petrosilinum uocatur: quod uel ex Plin. colligitur,

Aluus.
Hemina.
Ruta.
Apium.

qui ait, apium gratum esse iuribus. *Pars duplex.*) Scilicet respectu eius quod remanet: ita ut tertia pars aquę solum remaneat, & duæ per decoctionē absumantur. Erit enim sic uirtute magis efficax. *Medicus.*) Medicinalis & salubris. *Non detrectante.*) Non abhorrente, nec fastidiente palato: in quo etiam saporum intellectus quidam est, autore Plinio.

Præterea niuei sterilis testa uritur oui,
Quæ postquam in tetram fuerit conuersa farinam
Ex calidis potatur aquis & pota medetur.
Nec non iungenda est utero noua uirga myricæ,
Illæsa hæc ferro terraq; intacta geratur.
Aut medio uentris prodest aspergere terram,
Quam signauerunt uestigia pressa rotarum.
Proderit & puluis facili sub cardine raptus.
Quin etiam ex lymphis tritum potare cuminum
Cōueniet, quod iam nobis documenta probarunt.
Mēta quoq; hoc pacto medicos dabit hausta sapores

Testa oui. *Sterilis testa oui.*) Hoc est, putamen oui inane & uacuum, & maxime à quo pulli exierūt, & sine membrana interiore. *Tetram farinam.*) Id est, pollinem & puluerem mollissimum nigrum. Per ustionem nanq; candidus color in nigrum
Vterus. mutatur. *Iungenda utero.*) Id est, uentri imponenda. Vte-
Myrica. rum enim pro uentre accipit. *Noua uirga myricæ.*) Recens decerptum uirgultum myricæ, quæ & tamarix dicitur: de qua dictum est supra. Porrò medicinæ huius Plinius quoq; meminit libro 24. capite 9. his uerbis: Grauis autem autor in medicina uirgam ex eadem fractam, ut neq; terram neq; ferrum attingeret, sedare uentris dolores asseuerauit impositam, ita ut tunica cinctuq; corpori apprimeretur. *Geratur.*) Ventri circūcincta portetur. *Medio uentris.*) Circa umbilicum. *Terram quam signauerunt, &c.*)
Terra orbitæ. Hoc est, terram ex rotarum orbita desumptam, quæ exic-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

cando & discutiendo est. *Puluis sub cardine.*) Hoc est, scobes & puluis uel terra quę circa portas & ianuas à calceis cadens colligitur. *Cuminum.*) Inflationes enim discutit & pituitas, autore Plinio lib. 20. cap. 14. *Mentha.*) Dioscorides, In uniuersum uentri accommodata est mentha. *Medicos sapores.*) Liquores & potus salubres. Terra ianuariũ Cuminum. Mentha.

Cœliacos autem recreabis pane salubri,
Quem madido farre efficies ac mollibus ouis,
Quorum testa prius sparso euanescet aceto.
Refert & teretes bulbos mollire terendo,
Cumq; his lenei durum potare fluentum.

Cœliacos.) Κοιλία Græcis uenter est, hinc cœliaci qui morbum patiuntur quem Gręci cœliacum etiam uocant, uentriculo & intestinis simul affectis eueniens, teste Galeno, qui de locis affectis libro 6. sic ait, Sunt alia quoq; accidentia, quæ quidem haud absurde & intestinis & uentriculo simul affectis euenire creduntur, ut quas lyenterias & cœliacas nominant, cum uidelicet materię nequaquam sunt mordaces. Nam ut mordaces, ob mordendi uim, omnia intestina ad excretionem excitant: ita non mordaces, intestinorum imbecillitatem sequi consueuerunt, quia retinere contenta, ne exiguo quidem tempore possunt. Siquidem illico excernunt ea, perinde ac si graue aliquod onus deponerent. *Recreabis.*) Refocillabis & confortabis. *Pane salubri.*) Idem medicamentum & panem conficere & cœliacis prodesse docet etiam Plinius lib. 29. cap. 3. hijs uerbis: Ouorum maceratorum in aceto molliri diximus putamen. Talibus cum farina in pane subactis, cœliaci recreantur. *Madido farre.*) Farina tritici aqua madefacta ut subigi possit. Panis uero tritici, teste Dioscoride, fluentem aluum sistit: quemadmodum & acetum, quod etiam, eodem autore, adstringit & cibarijs concoctum alui fluctionibus utile est. *Refert.*) Commodum, utile et salubre est. *Bulbos.*) Qui scilicet edendo sunt: tales enim, Κοιλία. Cœliacus. Panis cœliacorum. Panis tritici. Acetum. Bulbi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

autore Dioscoride, stomacho in cibo utiles sunt, & dolores eius sedant, concoctionesq; adiuuant. *Fluentum durum Lenei.*) Id est laticem & liquorē uini, hoc est uinum ipsum austerum siue acerbū. Vtrunq; enim utile stomacho resoluto, uires firmans, & in aluum, intestinaq; destillationes compescēs, ut autor est Dioscorides. Lenon, id est ληνὸν, & hypolenion, id est ὑπολήνιον Græcis lacuna dicitur & torcular atq; uas in quod uuarum liquor & uinum excipitur. Vnde Bacchus poëtis Leneus dicitur, & transumptiue pro uino ipso accipitur. Verg. Geor. libr. 3. Profuit inserto latices infundere cornu Leneos.

Vinum austerum, acerbum. ληνὸν. ὑπολήνιον. *Leneus Bacchus.*

HYDROPISI CVRANDAE.

CAPVT XXVI.

CORRVPTI iecoris uitio, uel splenis acerbus
Crescit hydrops, aut cum siccatæ febre medullæ,
Atq; auidæ fauces gelidum traxere liquorem:
Tum lympha interius uitio gliscente tumescit,
Secernens miseram proprio de uiscere pellem.



HYDROPISI.) Hydrops siue hydropisis Græce, Latine aqua intercutē dicitur. Cuius tres sunt species. Vna quæ ab utris similitudine ascites uocatur, in qua plus humoris continetur, spiritus autem minus. Altera tympanites, eo quod summus uenter percussus sonitum edit qualem tympana: & in hac plus spiritus est, humoris uero minus. Et hęc ab Hippocrate sicca nominatur hydropisis, teste Galeno. Hoc enim genus non humidum est sicut ascites, in quo materia collecta non est flatuosus aër, sed humor aquosus. Videtur autem à maiori frigiditate generari aquosus hydrops quem asciten uocant, quoniam ueluti in utre

Hydropisis. *Ascites.* *Tympanites.* *Hydropisis sicca.* Aphor. lib. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quodam in membrana abdominis interiore humor continetur: à minore autem tympanias. Neq; enim humida substantia in flatuosum aërem sine calore aliquo potest transmutari. Et in hijs duobus generibus cibus in aquam conuertitur, & in locum iam dictum diffunditur: nec in alio differunt quàm in spiritus & aquæ maiore aut minore quantitate. Tertia species est quæ hyposarcidios, hyposarca & anasarca dicitur, quæ solidis partibus in aquæ naturam resolutis per totum fit corpus. Et hanc quidam leucophlegmatian etiam, hoc est, albam pituitam uocãt: quasi uidelicet, uti Galenus scribit, fit etiã pituita liuida, uel tanquam sui quidem ratione fit semper alba, sed propter mixtionem quorundam aliorum humorum uerum mutet colorem. Quamuis etiam simpliciter absq; distinctione albi potest esse facta adiectio. Cæterum Hippocrates libro de uictu acutorum 4. duo tantum aquæ intercutem genera facit, Vnum nunc dictum hyposarcidion, quod etiam incurabile tradit, Alterum quod ex flatibus constat, quod multa, eaq; bona fortuna indiget. Et sub hoc duo priora genera, asciten & tympanian, quia eiusdem naturæ sint, comprehendit: non enim differunt, nisi (ut iam dictum est) spiritus & aquæ maioris minorisúe ratione. Porrò omnium, uti Celsus lib. 3. cap. 21. ait, communis est humoris nimia abundãtia. Estq; cuiusuis aquę intercutem communis genitura, autore Galeno, ubi sanguificationis officium intercidat. Demum omnis hydropisis initium traditur esse malus corporis habitus, quem Græci καχεξίαν uocant. Causæ uero sunt uariæ, quarum & si non omnes, potiores tamen & magis communes, frequentiusq; contingentes autor ponit in textu. *Corrupti ie coris uitio.*) Inter hydropiseos causas præcipua est iocinoris uitium, siue per sese & suapte ui, siue per aliarum partium consensum afficiatur iecur: nisi enim hoc alijs consenserit, aliorum nullũ hydropisim efficere poterit. Nam cuiusuis hydropiseos communis genitura est, ubi sangui

Hyposarcidios. *Hyposarca.* *Anasarca.* *Leucophlegmatia.* Aphor. lib. 7. *Hydropis communis genitura.* Prog. lib. 2. *Kachexia.* *Hydropisis causæ.* 1. *Iecur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ficationis officium intercidit & ſanguinis generatio fruſtratur: quod iecoris uitio accidit, natiuo eius calore utcũq; extincto. *Splenis.*) Altera hydropiſis cauſa eſt lien,

2. Splen.

ſed conſentiente iocinore: niſi enim ad hoc tranſmittatur malũ, hydropiſis ſubſequi poteſt minime. Vnde per longos morbos indurato ſeu obſtructo, aut ex tumore uel aliter refrigerato ſplene, ad conſenſum agit iecur, perq; tale medium uniuerſo corpori aquam intercutẽ & hydropiſim concinnat. *Acerbus.*) Moleſtus & dirus. Horatius in Odis: Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops, Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi Fugerit uenis, & aquoſus albo Corpore languor. *Creſcit.*) Generatur. *Siccatæ febre medullæ.*) Febrem hydropiſis cauſam eſſe bifariam intelligere poſſumus. Primo cum febrilis calor corporis humiditates conſumit: quod maxime in longis & diuturnis accidit febribus, potiſſimumq; in quartana, cum iecur, membra & uniuerſum corpus extraneo calore excaleſcit & deſiccatur, natiuusq; calor extinguitur & reſoluitur. Vnde iecur natiuo calore deſtitutũ et refrigeratum, extraneo uero accẽſum et ſiccatũ areſcens, uis eius cõcoctrix afficitur, ſuoq; munere deſtituitur, quare cibus in ſanguinẽ tranſmutari nequit, ſed aquoſus efficitur humor, ſanguisq; pituitoſus, qui et aquam intercutem hydropiſimq; concinnat. Secundo hydropiſeos cauſa eſt febris, cum iecur in febribus calida & ſicca intemperatura tam grauiter afficitur, ut conſumpto corporis humido & areſcẽtibus membris, ſitim inducat non minimam, quam infirmus ſufferre non ualens, & refrigerium refocillationemq; quęrens ad frigidæ aquæ potũ recurrit, qua intempeſtiue pota & hepate affatim refrigerato, ſtatim aqua inter cutem inducitur. Et ſic febris mediante frigidæ aquę potu, hydropiſis cauſa dici poterit. *Medullæ.*) Medulla pingue id eſt quod in oſſium medio reconditur: hic autem pro omni corporis ſucculentia ſumitur indifferenter. *Auidæ.*) Siticuloſæ propter humorũ deſiccationẽ & frigidi humidiq; deſide-

Sine iecoris uitio hydropiſis nunquam fiet.

3. Febris, quo modo hydropiſis cauſa.

Medulla.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

desiderium & appetitum. Sitis enim frigidi & humidi appetitus dicitur. *Fauces.*) Fauces enim ex membris sunt quæ per colligantiam siti afficiuntur. *Gelidum liquorem.*) Aquam frigidam & eius potum. Ex intempestiua etenim aquæ frigidę potatione iecur affatim refrigeratum, statim aquam intercutem concinnat, autore Galeno de locis affectis libro 5. cap. 6. & alibi. Et hæc est quarta hydropisis causa à Sereno proposita. Sunt & aliæ, quas tamen ceu minus occurrentes, ipse obmittit, & ad curationem progreditur. *Tum.*) Post causas iam relatas. *Lympha.*) Humor aquosus. *Interius.*) In uentre & membris subcutaneis. *Gliscente.*) Crescente & pinguescente, incrementumq́ accipiente. Gliscere enim crescere est, & aliquando idem quod pinguescere. Columella libr. 8. cap. 7. Gallina quæ prima luna saginari cœpta est, uigesima pergliscit. *Tumescit.*) Tumefit & in tumorem attollitur. *Secernens.*) Diuidens, diuellens & separans. *Miseram pellem.*) Cutem infelicem & inualidam, infirmamq́. *Viscere.*) Ventre et carne cui adnectitur cutis ipsa.

Sitis.

Fauces quomodo siti afficiantur.

4. *Aqua frigida hydropis causa.*

Gliscere.

Conueniet teneræ radix decocta sabuci
In geminis calidi cyathis potanda lyæi.
Fraxineum semen cum Bacchi rore bibendum est.
Necnon apposito curantur dropace membra.

Conueniet.) Vtilis erit & cõmoda. Enumeratis causis quibusdam, ponit nunc autor morbi curam per medicamenta, tũ quæ intus assumuntur & hydragoga dicuntur, hoc est, quæ aquositates purgant & aquam intercutem proliciunt atq; educunt, tũ per cataplasmata & alia quę extra adhibentur & aquositates siccant & discutiunt. *Radix sabuci.*) Idem hoc medicamẽtum ponit Plinius lib. 24. hijs uerbis: Radicis sabuci in uino decocti duo cyathi poti, hydropicos exinaniunt. Dioscor. potus quantitate omissa, eundem sabuci effectũ testatur cum ait: Radix in uino decocta, hydropisi auxiliatur. Aquas enĩ ex corpore pellit.

Hydragoga medicamenta.

Radix sabuci.

Semen fraxini. *Fraxineum semen.*) Plinius, Semen folijs eius inest, quæ aquam, quæ subit cutem, extrahunt. *Bacchi rore.*) Id est, uino. *Apposito dropace.*) Exterius imposito & illito unguēto illo. Est aūt Δρώπαξ, hoc est dropax, unguenti genus & medicamentū ruptorium desiccatoriumq́, quale sinapismus. Oportet enim, autore Celso, ubi inflatio & ex ea dolor creber est, fomētis siccis calidisq́ uti, & crebrı⁹ in uentrē imponere sinapi, donec cutē erodat, & seruare ulcera diutius. Vtiliter etiā scylla cocta delinit cutis, si ualens est qui id accipit. Hęc ille. *Membra.*) Tumentia et hydropica.

Dropax.

Aut calido filicis radicem mollis Iaccho,
Vnguine quo frangis uires languoris aquosi.
Nec non in tepidis conuoluere corpus harenis.
Appositu lenes nepetæ, gustuq́ iuuabunt.
Sæpeq́ scyllino pelluntur noxia Baccho.

Iacchus. *Calido Iaccho.*) Per calidum intelligit, quod coqui debeat ut mollescat, similiter quod calidum actu imponi debet. Per Iacchum uero Bacchum & uinum. Dictus est autem Iacchus à uerbo ἰαχῶ quod est clamo et uocifero, quoniā Baccho sacrificantes clamare ac uociferare soleant. Et sicut per Bacchum ita etiam per Iacchum uinum intelligitur. *Filicis radicem.*) Dioscorides libro 4. Filix, inquit, folia sunt sine caule, sine flore, sine semine, ex uno pediculo cubitali magnitudine: incisuris diuisa, & alarum auium modo explicita, in quibus odoris grauitas aliqua est. Radicem habet filix in summa terra nigram oblongam: ex qua plures ueluti adnatæ progrediuntur aliæ quadantenus in gustu adstringentes. Nascitur montanis & saxosis locis, imò ut Plinius tradit, ubiq; sed maxime frigido solo. Effodi debent Vergilijs occidentibus. Vsus radicis in trimatù tātum, neq; ante neq; postea. Desiccatoriū uero est ceu dropax si extra imponit: si uero intus assumitur, aluum soluit, primo bilem trahens, mox aquam. Cæterum quia sine semine est, ut probati testantur autores omnes

Radix filicis.

Lib. 27. cap. 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

mnes, falsum esse conuincitur, quod superstitiosius à qui busdã iactatur cõmentum, scilicet, una solstitiali, seu ut ali qui, natali diui Ioãnis Baptistæ nocte, florere filicem, eademq; hora cum defloruit maturum in terram semen ca dere, ideoq; nisi aliquis tunc adfuerit, nec uideri florem, nec colligi semẽ posse. *Mollis.*) Decoquendo & dein con tũdendo in uino mollem reddis & cataplasma inde conficis & tumentibus membris imponis. *Vnguine.*) Vnguento, cataplasmate. Vnguen proprie omnẽ succum significat ex quo aliquid ungi potest. *Frangis.*) Destruis et tollis. *Vires lang. aquosi.*) Vim noxiam & morbum ipsum aquosum hydropisis. *Harenis.*) Scilicet littorum maris. Plinius libro 31. cap. 6. Nec non harena littorum maris precipue tenuis & solibus candens in medicina est siccandis corporibus coopertis hydropicorum. Et Dioscorides lib. 5. capite 100. Exiccat corporis aquas littoralis harena sole feruens obrutis usq; ad capita in ea hydropicorum corporibus. *Nepetæ.*) Nepeta est herba, quæ & chalaminthe dicitur. Hæc & pota & emplastri modo imposita hydropicis subuenit, idq; eadẽ ratione qua & reliqua proxime iam dicta. *Scyllino Baccho.*) Vino scyllite siue scyllitico. Cuius concinnandi modos uarios quia perlongũ & molestum esset recensere, ideo loca ubi hos, qui uolet, requirere poterit, signasse tantum, contentus ero. Docet autem id Columella rei rusticæ libro 12. capite 33. Palladius libro 8. mense Iulio, Titulo. 6. Dioscorides medicinalis syluę libro 5. capite 18. Qui etiam id cutem subeuntibus aquis & hydropisi utile esse, & uetustate bonitatem acquirere tradit. Et lib. 2. ca. de scylla, Additur, inquit, scylla potionibus medicamentisq; quæ rarefaciẽdo sint. Daturq; his in quibus urinã ciere uolumus. Facit ad cutem subeuntes aquas. Cæterũ Apuleius scyllæ medicinã con tra hydropisin sic instruit. Bulbus scyllitides torretur, de inde circumpurgatur, & medium eius in aqua decoquitur, cũ bene decoctũ fuerit eximit, et ex eo tres obolidãtur

Vnguen. *Harena littorum maris.* *Nepeta.* *Vinum scyllinũ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

potui cum melle & aceto hydropico, & euacuatur per urinam. Et si folium aliquãtulum sub lingua quis habuerit, sitim compescit hydropicorum, eodem autore.

Elleboro bene purgatur lymphaticus error,
Aut huius uice quod fert semen lenta genista,
Miscetur mulsis & cautis ducitur undis.
Est qui præualidum nitro, sale, miscet acetum,
Atq; olei succo refricant albentia membra.

Elleborus. *Veratrum.* Lib. 25. cap. 5. Libro. 4. Aphor. lib. 4.

Elleboro.) Ellebori, quod ueratrum Latini uocant, duo genera faciunt Plinius & Dioscorides. Vnum candidum, alterum nigrum. Quorũ coloris discrimen in radice ipsa intelligitur. Vterq; sanas carnes habentibus periculosus, autore Hippocrate. Porrò albus per superna uomitionibus purgat, morborumq; causas, humores diuersos & multiplices extrahens: sed ut Mesue scribit, corporibus nostri temporis est sicut uenenum proprie præfocans. Nigri uero usq; ad tempora nostra uirtus tolerabilis est, licet adhuc difficilis. Purgat autem per inferna, medeturq; hydropicis. Hoc multi melampodion & polyrhyzon et melanorhizon uocant. Nascitur autem probatissimum in Anticyra. *Lymphaticus error.*) Hoc est, uitium & morbus aquosus, id est, hydropisis & aqua inter cutem. Lympha enim aqua dicitur, hinc lymphaticus, id est, aquosus, & uinum lymphatius, autore Perotto, quod plus satis habet aquæ. Quod contra Beroaldum est, qui non uult dicendum esse uinũ lymphatum pro aqua diluto. Et lymphatos solum dici autumat laruatos & insaniẽtes, de quibus dictũ est in superioribus, quibus etiamnum succurrit elleborus: ob quod & in prouerbium abijt una cũ insula in qua nascitur, de quibus Erasmus Roterodamus in adagiorum chiliadibus. *Huius uice.*) Loco ellebori. *Lenta genista.*) Id est spartum tenax & infragile. Virg. Georg. lib. 2. Molle siler, lentæq; genistæ. Quid autem sit Genista & quæ uirtus eius quantum hic nobis satis est docet Dioscorides

Lymphatici. *Lympha.* *Vinum lymphatum.* *Lymphati.* Lib. Tuscu-lan. 3.

Genista. *Spartum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

rides medicinalis syluæ libro 4. inquiens, Sparton, sunt qui lobon id est siliquam, qui lygon id est uimẽ, Romani spartum uel genistam, dicant. Frutex est, breues, duras & sine folijs uirgas habens, easdemq́ natiuo lentore infragiles, quibus uites ligãt. Siliquas phaselorum modo fert, in quibus semen ceu lentis est. Florem luteũ qualem uiolę habent, quas leucoia appellant. Bibuntur flores, semenq́ eius in mulsa aqua pondere obolorum quinque: purgantq́ per superna egregie ueratri modo sine periculo. Solum semen itidem per inferna purgat. Hæc ille. Est autem aliud à sparto quod in Hispania nascitur & à Plinio lib. 19. cap. 2. describitur. *Mulsis undis.*) Aquæ mulsæ. *Cautis.*) Hoc est, cum cautela summaq́ cura & diligentia pręparatis, præsertim si elleborus exhibendus est, cuius potio, ut Hippocrates docet, est drachma uel eius dimidium cum aceto mulso: tertiam autem huius partem cum helleboro misceto, & minus præfocat, strangulátue. Quibus autem & quo modo, tempore & pondere dandus sit aut non dãdus elleborus, docet idem Hippocrates cum alibi sparsim, tum in libro de elleborismo ad Democritum collectim. *Ducitur.*) Hauritur & bibitur. *Est qui præual. &c.*) Tale medicamẽtum tradit etiam Corn. Celsus, nisi quod aquam & non acetum accipit, quo tamen uel per se calente eo uaporari docet hydropicos Dioscorides, qui etiam horum tumores sale ac oleo inungi testatur. Verum cui speciei maxime conueniat & quomodo administrãdum sit hoc medicamentum, docet etiam Celsus cum ait, At si id uitium est cui leucophlegmatias nomen est, eas partes quæ tument subijcere soli oportet, sed non nimium, ne febricula incidat. Si is uehementior est, caput uelandum est, utendumq́ frictione, madefactis tamẽ manibus aqua cui sal & nitrum & olei paulum sit adiectũ, sic ut aut pueriles aut muliebres manus adhibeantur, quo mollior earum tactus sit: idq́ si uires patiuntur ante meridiem tota hora, post meridiem semihora fieri oportet. *Albentia*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

membra.) Per hoc intelligit speciem illā quæ leucophlegmatias, hoc est alba pituita, dicitur & hyposarca.

VENTRI MOLLIEDO.

CAPVT XXVII.

SAEPE cibi specie, uitio uel corporis ipso,
Potibus aut duris restricta morabitur aluus:
Vincetur talis mora gramine Mercuriali,
Cuius aquam coctam minimo cum melle bibemus.
Prunaq; conueniunt quæ mittit clara Damascus.

Causæ uentris adstricti.



ENTRI *molliendo.*) Leniendæ uentris duriciæ, aluo duræ atq; adstrictæ, quæ fecales reddere nequit superfluitates, imò fecibus ipsis induratis & remoratis: cuius adstrictionis uariæ solent esse causæ, quarum nōnullas autor à capitis initio ponit. *Cibi specie.*) Qualitate cibi, præsertim duri & constipantis, quales sunt castaneæ, sorba, mala cydonia, pira acerba, & id genus alia. Cum enim talis ēstur cibus, communiter uenter induratur, potissimum si ante alium cibum assumitur: nam post comestus comprimendo soluit potius uentrem adstrictum. Et hæc est una astricti uentris causa. *Vitio corporis.*) Malitia membrorum, præsertim iecoris & intestinorum. Iecoris quidem, cum nimio calore exiccatum ab intestinis & aluo humidum illud in ipsis & fecibus contentum sugit & extrahit, unde feces exiccatæ et induratæ exitum habere nequeunt. Intestinorum uero ratione alui excremēta retinentur, cum affectis ipsis naturales actiones & uis expultrix læduntur. Et hæc est altera duræ alui causa. *Potibus duris.*) Tertia causa propter quam uenter & aluus adstringitur, est potus exiccans & adstringens. *Morabitur.*) Cunctabitur, detinebitur & nihi

1. Cibus adstringens.

2. Iecur calēs arensq;.

Intestinorum imbecillitas.

3. Potus adstringens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

hil reddet nec egeret. *Vincetur.*) Superabitur & emollietur. *Talis mora.*) Fecum & alui cunctatio & adstrictio. *Gramine Mercuriali.*) Herba Mercuriali, quam aliis nominibus linozostin & parthenion uocant Græci, & Hermupoan, id est Mercurii herbam. Latini Mercurialem appellant, ab inuentore Mercurio, ut autor est Plinius libr. 25. cap. 5. & Dioscorides libro 4. Folia habet omnino similia, ramulos geminatis geniculis & alarũ cauis multis. Eius duo genera, Masculus, quam masculatam id est testiculatam uocat Apuleius, minor est atq; rotunda & ueluti testiculis binis paruis circa exordium ornata. Semen fert, autore Dioscoride, iuxta folium exiguum, rotundũ, binum testiculorum specie pendens. Fœmina uero quæ maior est, racemosum & multum. Totus frutex dodrantalis, & aliquando maior est. Soluit aluum utraq; olerum modo in cibo sumpta. In aqua itidem elixa si ea bibatur aqua, bilem & aquosa trahit. Porrò quo pacto ad aluum soluendam coquenda sit herba Mercurialis, apertius docet Plinius, qui sal etiam addit, inquiens: Aluo quidem soluendæ decoquitur quantum manus capiat in duobus sextariis aquæ ad dimidias, bibitur sale & melle admixto. Apuleius tum foliis tum semini uim hanc extrahendi & purgandi tribuit, sed ex passo dandum præcipit. Nostro æuo hac herba communiter utimur in enematibus quæ molliendi uentris causa adhibemus. *Pruna.*) Pruna aluum molliunt, sed copiosius recentia, minus siccata. Quod & Galenus testatur de simplici medicina libro 7. Vbi et Dioscoridem siccata aluum cohibere tradentem, demiratur, idq; non immerito, cum manifestum sit uel hæc mollire aluum, licet minus quàm alia, idq; quottidiano usu uel expertissimum habemus. *Quæ clara Damascus.*) Hoc est, Damascena, & ut Plin. lib. 13. cap. 5. ait, in Damasco monte nata. De quibus idem etiam libr. 15. cap. 13. sic scribit: In peregrinis arboribus dicta sunt Damascena, à Syriæ Damasco cognominata, iam pridem in Italia nascentia, gran

Mercurialis. *Pruna Damascena.* *Damascus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

diore quanquam ligno & exiliore carne. Damascus autem Syrię urbs est insignis, omnium ferè nobilissima quę in ea sunt regione, Persiæ uicina, ut autor est Strabo geographiæ libro 16.

Multos præterea medici componere succos
Assuerunt, preciosa tamen cum ueneris emptum,
Fallêris, frustraq́; immersa nomismata fundes:
Quin age & in tenui certam cognosce salutem.
Aut igitur tectum lana supponis alumen.
Aut edis in patinis teneræ decocta sabuci.
Vel cum lacte capræ salsum mulsumq́; capessis,
Crede tamen potum meliorem lactis equini,
Dicitur hic ualidos asinæ præuincere succos.

Contra impostores quosdã. *Multos succos.*) Hoc est, uariarum rerum mixturas & compositiones uarias. Inuehitur autem nunc contra attonitas quorundam, ut Plinij uerbis utar, persuasiones, (Libr. 29. cap. 1.) qui prodesse nisi preciosa non putant. Cum sola naturæ placuerit esse remedia, ut idem inquit Plinius, parata uulgo, inuentu facilia ac sine impendio, ex quibus uiuimus. (Lib. 24. cap. 1.) Verum postquam fraudes hominum & ingeniorum capturæ officinas inuenere istas, in quibus sua cuique homini uenalis promittitur uita, statim compositiones & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æstimantur. Vlceriq́; paruo medicina à rubro mari importatur, cum remedia uera quotidie pauperrimus quisq; cœnet. *Frustraq́; &c.*) Hoc est, pecuniarum dispendium facies, nullo inde consecuto emolumento aut commodo. *Quin age.*) Imò potius agito & rem tuam commodumq́; & utilitatem curato. *Tenui.*) In re parua & nullius quasi impẽdij. *Cognosce.*) Intellige & inquire. *Igitur.*) Propter causam iam dictã, ne pecuniariæ rei dispendium facias. *Tectum lana.*) Linteolo inuolutum, quod in balani uel paruæ pilulæ modum

fit

fit effigiatum & concinnatum: oportet autem, ut inuolui possit, ipsum prius conterere & in puluerem redigere, & quo facilius intromitti possit, oportet ipsum prius parumper in oleo intingi. Nostra ætate utimur eo integro in balani formam disposito & in oleo intincto. *Supponis.*) In anum submittis. Hinc nostri æui medici suppositoria appellant, quos eruditiores balanos & glandes uocant. *Alumen.*) Aluminis plura sunt genera, sed in medicina usum habent, autore Dioscoride, scissile, rotundum & liquidum. Omnia calfaciunt, adstringunt atq; repurgāt. Sed dicet quispiam: Si adstringunt, quo pacto igitur uentrem subducunt & molliunt? Aio id fieri non ui sua subducēte, quam non habet, sed membrorum hoc est intestinorum uim expultricem læsam & officio suo fungi non ualentem corroborante & ad expulsionem irritante: & hoc quotidiano usu nobis satis compertū est. Quis enim ex uulgo ferè non est qui non eo in balani formam effigiato in astricta aluo utatur? quamuis non omnes eo iuuentur, præsertim ubi ob nimiam fecum duriciem citra intestinorum læsionē adstrictio contigerit: feces enim mollire non poterit, quod uel hinc manifestum est quod ubi læsa intestina ipso corroborata feces reddunt, eædem non mollitæ sed duræ eijciuntur, id quod experimento quotidie fieri uidemus. *Patinis.*) Patina uasis genus est quo dapes elixæ & iurulentę in mensam feruntur, Teutonice *Ein schüssel.* Nunc communiter pro uase accipimus in quo coquimus, et Teutonice uocatur *Ein pfann.* *Teneræ sabuci.*) Hoc est, sabuci minoris. Idem testatur Plinius lib. 24. cap. 8. inquiens, Caules teneri minoris sabuci in patinis cocti aluum soluunt. *Lacte capræ.*) Ex lactis commodis, autore Galeno, est uentris moderata deiectio. Quod aūt uentrem soluat, pręsertim caprinum, asininū & equinum, licet minus caprinū, reliqua uero magis, testis est etiam Diosco. & Hippocrates de uictus ratione lib. 2. SALSVM MVLSVMQVE.) Hoc est, lactis potū salis adie-

Suppositaria.
Balani, glādes.
Alumen.
Patina.
Sabucus.
Lac caprinum.
Equinum.
Asininum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ctione salsum, mellis uero mulsum effectũ. Additur aũt sal ut citius subducatur, mel uero ne in uẽtriculo cogatur. Et quãto recentius mulctũ bibitur, eo utilius, magisq́ profi cuum erit. Vnde Galenus therapeutices libro 5. ait, Hoc de lactis usu pro maximo præcepto habendum est, ut hĳ quibus eo est opus, omnino id adstante animali statĩ mul ctum bibant, etiã melle iniecto, si cui cogi in uentriculo solet: quod si ipsum descendere ad aluũ citius cupis, etiã sale. *Meliorem equini.*) Equinum simul & asininum lac ca prino magis esse uentris subductiuum, hoc ideò est, quo niam capræ multo adstringente pabulo utuntur, quare etiam minus tenue est. Equinum uero tenuius, & asini- num tenuissimum & minime coagulatur: uti tradit Gale nus therapeutices libro 7. Et lib. de sanitate tuenda. 5. asi- ninum caprino comparans, Asinæ, inquit, lac tenue sero sumq́ est, capræ mediocris substantiæ est. Itaq; hoc nu- triet magis, ubi uidelicet nutritione opus est. Illud omni no tutius est. Nam & si quãdo solum cum pane sumitur, tum citius subducitur, tum minime est flatulentum, sed nec in uentre cogitur, potissimum si prius salis aliquid, & mellis immiseris. Hæc ille. *Hic.*) Potus lactis equini. *Va lidos.*) In molliendo uentre potentes & efficaces. Cum e- nim cęteris omnibus fit tenuius lac asininum, ideo etiam merito magis alui suductiuum. *Asinæ succos.*) Lac asini- num. *Præuincere.*) Maioris esse uirtutis & efficacię in mol lienda & subducenda aluo.

Syluestris fici lachrymam prodesse loquuntur.
Quodq́ satis melius uerbis dicemus Horati,
Mytilus & uiles pellent obstantia conchæ,
Sed cochleas prius est urtica aut furfure pasci,
Purior hinc gustus noxa sine mouerit aluum.
Sæpe thalassomeli adiecto cumulabimus imbri,
Hæc purgant parili fuerint si pondere mixta.

Ficus satiua. *Syluestris fici.*) Duplex ficus est, Satiua & Slyuestris, quę ca

prificus

prificus etiam dicitur, utraq; aluũ mollit. Plinius, Aluũ soluit caprificus. Dioscorides, Syluestris & satiuæ fici lac animaliũ coaguli modo lac coagulat: idem coagulatum aceti modo soluit, aluum subducit. *Lachrymam.*) Succum quem à coloris lacteo candore lac nominare solent. *Horati.*) Q. Horatius Flaccus poëta nobilis diui Augusti imperatoris tẽpore floruit, multaq; præclara scripsit opera, præsertim Artem poëticã, libros Odarum, Epistolarum ac deniq; Sermonum, in quorũ secundo, satyra quarta, Epicureorum præcepta recẽsens, hoc quoq; ponit, Si dura morabitur aluus, Mytilus & uiles pellent obstãtia conchæ. Quem uersum huc transferens Serenus, ne furto sustulisse coargui possit, autorem à quo profectus est, indicat. *Mytilus.*) Mytili sunt, autore Plin. quas Græci myacas dicũt, & hunc sequut⁹ Diosco. interpres Florentinus, Myacas mytulos traduxit, quanquã de myacis quod aluum molliãt apud Diosco. nulla fit mẽtio, licet Plin. id asserat, inquiens, Purgant & myaces: quorum natura tota in hoc loco dicetur. Aceruantur muricũ modo, uiuuntq; in algosis, gratissimi Autumno, & ubi multa dulcis aqua miscetur mari, ob id in Aegypto laudatissimi: procedẽte hyeme, amaritudinem trahunt, coloremq; rubrum. Horum ius traditur aluũ & uesicas exinanire. Et paulo post, Degenerãt, inquit, in duas species, in mitulos qui salem uirusq; recipiunt, myiscasq;: quæ rotũditate differunt, minores aliquanto atq; hirtæ tenuioribus testis, carne duriores. Porrò aluum molliendi uim Dioscorides Tellinis attribuit cum ait, Bonam faciunt aluum recentes pręsertimq; coctarum ius esculentum. Et idem testatur Paulus Aegineta, tum sub tellinarũ titulo, tum ubi de omni esculento agit iure. Et has esse quos mitulos uocent Romani, autor est Athenæus. Cęterum mitulis ad aluum deijciendam inter alia utitur etiam M. Cato libri de re rustica capite 158. Quibus etiam herbam Mercurialem & cochleas iungit. *Conchæ uiles.*) Hoc est, conchæ minus preciosæ. Sunt enim preciosiores quædã quæ siccant potius quàm

Syluestris. *Lac fici.* *Horatius.* *Mytilus.* *Myaces.* *Myiscæ.* *Tellinæ.* *Conchæ.* *Cochleæ.* *Conchulæ oẽs.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

moueant aluum: de quibus sic scripto prodidit Hippocrates lib. de uictus ratione secundo: Conchilia uero utı pīnæ, purpupræ, patellæ, buccini, ostrea siccāt, sed ius mouet: musculi, pectunculi, mituli tellenæúe magis mouent quàm hi. Et Corn. Cels. medicinæ lib. 2. Aluū, inquit, mouent cochleæ, garū, salsamēta, ostrea, pelorides, echini, musculi & oēs ferè conchulæ, maximeq́ ius earū. Sed ne Dioscoridis autoritas circa hæc silentio prætereatur, quid is de talibus scripserit, audiamus. Nā capite de Echino marino, Stomacho, inquit, accommodatus est & bonam facit aluum. Et capite de chamis, quas hiatulas uocant, sic infit: Soluit aluum chamarum, conchularumq́ aliarum in exigua aqua coctarum ius esculentum: bibitur autem cum uino. Et capite de conchula Indica, quam onychen Græci, Plinius cōmuni omnium testaceorū appellatione Ostracum, & posteriores Blattam Bizantiam dicunt, sic ait: Aluū potæ turbant. Item capite de cochleis, Cochleæ marinæ, inquit, stomacho accommodatæ facillime excernūtur, fluuiatiles uirus habent. Quæ uero syluestribus frutetis & sentibus hærentes inueniuntur, quas sesilos aliqui nominant, aluum & stomachum turbant, & ad uomitiones mouent. Ex quibus omnibus patet Serenum per conchas & cochleas intelligere omne ferè conchularū genus, præsertim minus preciosarū. *Pellent.*) Expellent, subducēt & deijcient. *Obstantia.*) Remorantia & fecū exitū impedientia. *Sed cochleas prius &c.*) Quo facilius ac citius aluum deijciant conchæ, docet eas ad id nūc præparare & rebus ad idem efficacibus nutrire, quales sunt urtica, qua nō quidē pastas sed illi cōcoctas conchas aluū mollire tradit libr. 4. Dioscorides inquiens, Aluum molliunt urticæ folia marinis conchulis concocta. Et Plin. libro 22. capite 13. uel solum urticæ semen tostum cibo difficilem uentrem mollire asserit. Item furfur, uim & naturam habens detergendi. *Purior gustus.*) Gustatio, esus & cibus salubrior propter uiscositatis abstersionem. *Hinc.*)

Echinus marinus.

Chamæ, hiatulæ

Onyx, conchula Indica.

Ostracum, Blatta Bizantia.

Vrtica.

Furfur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Ex tali præparatione. *Noxa.*) Nocumēto. *Thalassomeli.*) Quid sit thalassomeli, & quæ eius confectio ac uirtus, docet Dioscorides libro 5. hijs uerbis: Creditur thalassomel hoc egregie purgare. Conficitur autem mellis, cælestis aquæ, marisq; æquis portionibus per colum traiectis, & in picato uase per canis æstum insolatis. Sunt qui decoctę maris aquæ partibus duabus unam mellis miscentes in dolia diffundunt. Estq; hoc ad purgandum maris aqua lenius & mitius. Hęc ille. Cui non dissona prodit Plinius naturalis historiæ libro 31. cap. 6. inquiens: Inueteratur quod uocatur thalassomeli æquis portionibus maris, mellis, imbris. Ex alto & ad hūc usum aduehunt, fictiliq; uase & picato condunt. Prodest ad purgationes maxime sine stomachi uexatiōe, & sapore grato & odore. *Imbri.*) Aqua cælesti & pluuiatili. *Cumulabimus.*) Augebimus, diluemus & temperabimus, quo scilicet lenius & mitius fit in purgādo uentre. *Parili pondere.*) Aequis portionibus. *Thalassomeli.*

SOLVTIONI VENTRIS ET DYSENTERIAE COMPEscendæ.

CAPVT XXVIII.

TAM uarij casus mortalia sæcla fatigant,
Vt sint diuersis obnoxia corpora morbis:
Sæpe etenim nimio cursu fluit impetus alui.



OLVTIONI *uētris.*) Alui et intestinorum fluori, qui duorum est generum. Vnum cum defluxio liquida & longa infestat, quæ fit cum nutrimentum, cibusúe solus putrefactus subterfluit, autore Hippocrate libro de uictu salubri 3. & hæc diarrhœa dicitur: putrefactum autem uocat, teste Galeno *Diarrhœa. Ventris fluor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

aphorismorum lib. 6. quod nos coctum, seu, ut nunc loquimur, digestum dicimus. Et tales copiosi sunt alui sine inflammatione exulcerationeq; fluores. Alterum uero profluuiorum uentris genus est quod Greci lyenteriam, hoc est intestinorum leuitatem appellãt, intestinis & uentriculo simul affectis eueniens: quę, ut Galenus tradit, est cibi & potus sine aliqua transmutatione uelox excretio, hoc est, earum quæ comeduntur & bibuntur uelox exitus, quæ talia deijciuntur qualia fuere deuorata. Idq; ob coctionis carentiam, cum neq; secundum consistentiam, neq; secundum colorem uel odorem, uel ullam omnino qualitatem in uentriculo facta fuerit eorum mutatio. Porrò huiusmodi excretionum uelocium causæ sunt, aut ex ulceratio in superficie uẽtriculi aut intestinorum, uel uirtutis retentricis imbecillitas: quorum primum ex mordacibus & substantiam tenuem habẽtibus fit humoribus: secundum uero ex magna corporum uentriculi atq; intestinorum intemperatura, seu propter humorem aliquem in uentriculo atq; intestinis contentum prouenit, ex quibus humoribus unus est pituita: unde hæ partes cibis tanquam graui onere quodam grauatæ, ipsos confestim excernunt atq; deijciunt, etiam doloris citra sensum. In ea uero quæ ob humorum fit mordacitatem & exulcerationem, quamuis uis ipsa contentiua non multum patiatur, tamẽ permeantibus cibis, partes exulceratæ dolorem sentiunt, atq; ideo illos propellunt atq; à seipsis citissime emittunt, quo in omnibus partibus facto, uelocitas exitus subsequetur, & nullum fiet coctionis initium: uerum tali intestinorum leuitati cuiusdam morsus inerit sensus. Et talis etiam, cessante humorum malignitate statim sanatur, cibis ac potibus quæ uim habent densandi. Quod si longiori tempore perseueret, in alteram passionem quæ dysenteria nominatur, transmutatur: quamuis etiam ex dysenteria nonnunquam intestinorum leuitas oriatur, teste Celso, cum ait: Ex torminibus (sic dysenteriam uocat)

Lyenteria.
Intestinorum leuitas.
Lib. Aph. 3. 6.

cat)interdum inteſtinorum leuitas oritur, quæ contine-re nihil poſſunt,& quidquid aſſumptū eſt, imperfectum protinus reddunt. Id interdum ægros trahit, interdum præcipitat. *Dyſenteriæ.*) Inteſtinorum difficultati, quæ duum eſt generum. Vna quæ proprie ita dicitur: altera uero quam cum adiuncto cruentam ſiue ſanguineam & hepaticam uocant: quæ,autore Galeno aphoriſmorum libro 5. ſanguinis eſt euacuatio per inteſtinum abſq; exulceratione, ſic ob excrementorum ſpeciem dicta. Nam interdum ſyncerus plurimusq́ ſanguis, interdum ueluti limus ipſius & fecis non parua quantitas excernitur. Ea uero per quam ſyncerus plurimusq́ ſanguis excernitur, uniuerſum corpus plerunq; euacuat, haud ſecus quàm hæmorrhoides aut muliebre profluuim. Quæ uero proprie dicta eſt dyſenteria, nominata eſt ita ab ἔντερον quod eſt inteſtinum, & à particula δυς, quę alijs humani corporis mala deſignantibus dictionibus addita, ſemper ferè grauitatem, difficultatem, laborem, dolorē & tormētum indicat. Et hanc à tormento Celſus libro 4. inteſtinorum tormina uocat. In huiuſmodi etenim fluore aluus & inteſtina maximo afficiuntur & torquentur dolore, imò & uentriculus ipſe cōpatiendo torquetur & ad concoquendum offenditur, quæ quidem tormenta non ita fiunt in alijs fluxibus. Fit autem ab humoribus acribus, qui primum ſumma occupantes, inteſtina abradunt: poſtea uero temporis progreſſu profundiora etiam petentes, exedunt, adeo quod exulcerentur, & tunc primum dyſenteria uocatur. Nam, uti Galenus libro 6. de locis affectis tradit, Dyſenteria proprie ex appellatione ipſa inteſtinorum ulcus ſignificat. Neq; enim affatim fit huiuſmodi affectus ceu qui hepatis uitio accidit & proprias habet notas. Etenim protinus ab ipſius initio, bilis mordax ſecernitur, quam deinde interaneorum abraſiones ſequūtur, poſtea paulum cruoris ſimul excerni uidetur, quando uidelicet affectus ipſe iam dyſenteria debet appellari. Quum

Dyſenteria duplex.

1. Sanguinea uel hepatica.

2. Proprie dicta.

Tormina.

δυς.

itaq; huiusmodi abrasiones solæ excernuntur, considerandum est, num pingue quippiam simul cum ipsis deijciatur, ita enim in crassis intestinis ulcus consistere credendum est. Vbi uero cruorem quoq; excerni uideris, intueri oportet, utrum is reliquis excrementis ita sit admixtus, ut uniuersus misceatur uniuersis, an pars eius aliqua reliquis supernatet: etenĩ si admixtus est, in superioribus, si uero supernatat, in humilioribus intestinis ulcus esse portendit. Ac idem quoq; in abrasis excrementis uidere est. Verum non ita manifeste ut in cruore. Similis etiam de ramentis ratio est: nam & ipsa, quod intestinum fuerit oblæsum, declarant, tum ab essentia propria, tum ex modo, quo uel commisceri reliquis excrementis, uel uni eorum parti supernatare uidentur. Cæterum non mediocriter conducit ad curationem, nosse in qua intestinorum parte consistat ulcus. Nam si in superioribus intestinis est, ab epotis medicamentis præsidium petendum est: si uero in humilioribus, clysterem subijcere magis conuenit. At huiusmodi dysenteriæ, ab his quæ ab hepate profluunt, ita discernuntur. Nam ab initio tenuis sanies sanguinis ab hepate deijcitur: deinde aucto malo, crassus humor, fecibus uini haud absimilis. Præterea quod in hepaticis excretionibus nihil abrasum expellitur, atq; interdum duorum, aut trium dierum interuallo, supprimitur euacuatio: deinde rursus redit malum, atq; excernuntur excrementa prioribus multo peiora, id uero per intestinorum ulcera haudquaquam apparet, quippe in ijs neq; affatim, neq; ex longis temporũ interuallis, laborãtes deijcere cõsueuerunt. Hactenus Galenus. *Casus.*) Passiones et morbi. *Fatigant.*) Molestant & turbant atque cruciant. *Obnoxia.*) Subiecta. *Nimio cursu.*) Fluxu immodico & superfluo. Nam qui moderatus est, non statim constringi debet. Quia, Celso autore, uno die fluere aluum, sæpe pro ualetudine est: atq; etiam pluribus, dum febris absit, & intra septimũ diem id conquiescat: purgatur enim corpus,

Dysenteria hepatica.

Lib. 4. cap. 9.

& quod intus læsurum erat, utiliter effunditur. Verum spacium periculosum est: interdum enim tormina ac febriculas excitat, uiresq; consumit. *Impetus.*) Immoderata deiectio.

Frenat commixto cum feruet brassica uino,
Aut cerasi uictum longo iam tempore pomum,
Succus Amineæ uitis cum pane medetur.

Frenat.) Compescit, constringit & sistit. *Feruet brassica.*) Caulis coquitur, coctio enim mediãte feruore & igne feruefaciente completur. Dat aũt sic nobis intelligere quod non simplici coctura opus est brassicã coquendo, sed pluribus potius, ita ut per iteratam decoctionẽ uis eius mollitiua magis euanescat & alia adstringens illi acquiratur. Vnde & Celsus medicinæ lib. 2. inter ea quæ aluũ adstringunt brassicam bis decoctam etiam connumerat. Dioscorides item aluum sistere tradit coctã, multoq; magis bis. Quibus & Plinius ex Græcorum autoritate subscribit. *Vino.*) Maxime austero & adstringente. *Cerasi pomum.*) Hoc est, Cerasia quæ in triplici sunt differẽtia. Dulcia quę recentia stomacho inutilia, aluũ molliunt citoq; dilabuntur: siccata uero, ut hic Serenus asserit, & idem Plin. cum Dioscoride testatur, aluum sistunt. Alia sunt austera, stomacho utiliora. Sunt & acida quæ ob incidendi uim, autore Paulo Aegineta, pituitosis & excrementosis stomachis prosunt. Et hęc duo genera stomachũ corroborant, uentrẽq; adstringunt, præsertim sole siccata: sitim deniq; sedãt ac cibi appetentiã prouocãt. Vulgo marena & amarella uocantur. *Victum.*) Sole aut aliâs siccatum. *Succus Amineæ uitis.*) Vinũ Amineum quod & Falernum. Sic dictum à regione Aminea, quę fuit ubi nunc Falernum est, teste Macrobio. Falernus autem ager, ut Plin. lib. 14. ca. 6. scribit, à ponte Campano leua petentibus urbanam coloniam Syllanam nuper Capuę contributam incipit. Summis collibus Gauranum gignitur, mediis Faustianum,

Braßica bis cocta.
Cap. 29.
Cerasia trium generum.
Dulcia.
Austera.
Acida.
Marena.
Amarella.
Vinũ amineum
Ager Falernus
Vinum Gauranum.
Faustianum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Falernum. imis Falernum, cui inter generosa uina Italiæ secunda nobilitas erat, imò quod in Italia, uti Dioscorides tradit, primam bonitatis æstimationem habet. Et hoc aluum sistit præsertim si cum pane sumatur: quod Celsus etiam testatur, inquiens, Via est ubi uelis supprimere, panis circa selibram ex uino Amineo mero sumere, imò ut idem docet, Tritici hemina in uino Amineo austero decoquitur, idq́ triticum ieiuno ac sitienti datur, superq́ id, uinum id sorbetur, q̊d iure ualentissimis medicamẽtis annumerari potest. *Pane.*) Scilicet triticeo, siue qui ex tritico fit siligineo, similaceóue. Celsus lib. 2. cap. 29. Adstringũt, panis ex siligine uel ex simila, magis si sine fermento est, magis etiam si ustus est, intenditurq́ uis eius etiam si bis coquitur.

Panis triceus. Siligineus.

Vel bene permixtum calida potatur acetum,
Vile quidem, facili facto tamen utile opinor.
Si lædent modicum tum purgatoria dextra,
Adiecto piperis medicatur puluere calda.
Sin autem longo decurrent intima fluxu,
Atq́ immane malum multo iam tempore gliscit,
Torridus ex uino cortex potabitur oui.

Acetum cum calida.

Permixtũ calida acetum.) Hunc aceti & aquæ potum aluos sistere, uel ex simplicium natura manifestum est. De aceto siquidem testatur id Hippocrates de ratione uictus libro 2. cum ait, Acetum frigefacit: & quia humidum corporis cõsumit, sistit potius quàm moueat. Et idẽ testatur etiam Plinius & Dioscorides. De aqua uero Corn. Celsus lib. 2. capite 29. dicens, Aqua, uel tepida, uel præfrigida dura, id est, ea quæ tarde putrescit, ideoq́ pluuia potissimũ aluum adstringit. *Vile.*) Plebeium & non preciosum. *Facili facto.*) Facile ad faciendum, compositionis leuis & nõ operosæ. *Si lædent.*) Solet nõnunquam ex pharmaci purgatorij substantia stomacho & intestinis nonnihil adhærere, cuius ratione uenter ultra modum soluitur, si non resistatur: nec sistitur donec id ablutum & extra corpus

expulsum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

expulsum fuerit: cui fluori sistendo & rei adhęrenti expellendo, nunc medicamenta accōmoda tradit autor. *Modicum.*) Parum. Nam si multum lęserint, adeo ut tormina maximosq́ dolores & febres ac ulcera excitarint, uiresq́ consumpserint, periculosum est, & timendum ne incurabilis morbus, hominē tollat. Sunt qui non modicum sed medicatum, hoc est medicina purgatum, legant, nec etiā contemnenda est lectio: unicuiq; in hoc suū sit iudicium, nobis indicasse hoc, satis erit. *Tum.*) Tum inter alia significata sua nonnunquam etiam, ut hic, significat Aliquando. *Purgatoria.*) Medicementa uentris subductiua, qualia sunt Scamonium, agaricus, cucumer syluestris, elaterium, esula, elleborus, & id genus alia. Dicuntur uero purgatoria à purgando, hoc est corpus mundando. Purgare enim mundare est, & Purgatio, mundatio ac prauorum humorum euacuatio, & proprie humorū qualitate sua peccantiū eductio, autore Galeno. *Dextra.*) Dextrum aliquando ualidum significat & efficax, ut hic, purgatoria dextra, id est medicinę purgantes, ualidę, fortes & efficaces. *Piperis.*) Piperi enim, ut autor est Dioscorides, uis est extrahendi & uentrem roborandi: unde medicinę malignę substantiam stomacho & intestinis adhærentē & læsionem inferentem, secum extra corpus extrahit & expellit, idq́ potissimum si ex calida sumatur. Hæc enim est de qua Mesue in canonibus uniuersalibus autoritate Galeni sic scribit: Et dixit Galenus, uerificatur aquam calidam lauatiuam atq; mundificatiuā uirtutem habere, atq; solutiuam & omnem adhærentiam remouere: qua remota, remouetur etiam effectus quem inducebat. Remota enim causa, remouetur & effectus. Et ita medicari oportet, et in omnibus, hoc unum pręceptum obseruare, autore Galeno technes libro 3. ut unamquanq; prius quæ efficit causam rescindamus, deinde ita ad illam quę ab eadem causa facta est, ægritudinem accedamus. *Sin autem longo.*) Ponit nunc medicinas dysenteriæ, non quidē factæ & con.

Tum. Purgatoria. Purgare. Purgatio. Dextrum. Piper. Aqua calida. Dysenteria duplex.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Fiens. Facta. firmatæ, quæ curam non recipit, sed ei quæ adhuc in fieri est & curam admittit. Vbi illud etiam adnotatu non indignum erit, quod Galenus aphorismorum libr. 4. scribit in commento aphorismi Hippocratis, qui talis est: A difficultate intestinorum habito, si ueluti carunculæ exeant, letale est. Quem aphorismum exponens Galenus sic ait: In difficultatibus intestinorum, cum adhuc constituuntur, quædã corpora pinguia excernuntur, post hęc autem, nisi finiri anticipauerint quædã ramentą ipsorum intestinorum abiecta horum superficie interiore, quæ membranosa existit, & densa, illi quæ cutem exterius contegit membranulæ proportionalis. Post hanc aũt & aliquid ex ipsa abraditur substantia intestinorũ, in quo tempore non adhuc fieri difficultatem intestinorum, sed iam factam, atq; constructam dicimus esse. Quando igitur partes adeo magnæ intestinorũ excernuntur in difficultate intestinorum, ut possimus eas carnes nominare, letalem ait esse morbum, cum neq; caro concrescere, neque cicatrix obduci in tali possit exulceratione. Hactenus ille. *Decurrent.*) Defluent & expellentur. *Intima.*) Hoc est interiora, ceu corpora pinguia et intestinorum ramenta: non quidem quæ ex substantia ipsorum, sed ex superficie solum interiore membranosa abijciuntur. *Gliscit.*) Crescit & augetur. Talis enim naturæ est huiusmodi fluxus, ut nisi ab initio resistatur, indies crescẽdo in deterius uergat, ac demum in tantum firmetur, ut nullis amplius sit medicabilis herbis aut medicinis. *Torridus cortex oui.*) Hoc est, cinis corticum oui. Plinius medicamen hoc generalius facit, & omni sanguinis eruptioni mederi tradit lib. 29. ca. 3. inquiens: Medetur putaminis cinis in uino potus sanguinis eruptionibus.

Cinis corticum oui

Ramentum niuei credunt prodesse Elephantis,
Arbore piramea cortex direpta coquetur
Axe sub æthereo, sic nigro mixta lyeo,
Immensum poterit potu retinere fluorem.

Ramen-

Ramentum.) Puluerem quem Plin. scobē appellat: quamuis scobes sit priuatim quæ lima aut serra detrita cadunt. Ramentum uero magis se extēdit & generalioris est significationis. Nam quidquid radendo, secando, incidēdoúe ex materia aliqua decidit, ramentum dicitur. *Niuelj elephantis.*) Eboris quod albi coloris existit. Ebur autem os est dentium Elephantis, cui ut Dioscorides testatur, adstringendi natura & uis est. *Arbore piramea.*) Hoc est, moro. Sub qua Piramus adulescens Memphiticus Thisbes amore ardens seipsum interemit, ut fabulosa, ad quam autor alludit, narrat historia, & ab Ouidio Metamorphoseω̃n libro 4. descripta est. Porrò quod ad morum attinet, arbor est nota: poma ferens quibus succus in carne uinosus: trini colores, candidus primo, mox rubens, maturis niger: quamuis & albo colore nonnunquā maturescere quidam tradant, ut Ouidius: & præsertim si albę populo inseratur morus: quemadmodum & Cerasa albicantia uidimus aliquando matura. Mora item in nouissimis florent, sed inter prima maturescunt. De uiribus eorum & medicinis plura Dioscorides atq; Galenus. *Cortex.*) Nō quidem radicis, quam soluere aluum dicunt, sed arboris & trunci ipsius: & hanc etiam non recentem & uiridem, sed sole siccatam: sic enim humido absumpto & arefacta uim acquirit adstringentem magis. *Coquetur.*) Torrebitur & exiccabitur. *Axe sub æthereo.*) Hoc est, sub cœlo, dio & in sole. Axis enim pro cœlo accipitur: quanquam propriè sit linea quæ mundum dimetitur, sic dictus quod quod circa ipsum agatur & moueatur cælum. Cuius lineæ, puncta & termini, poli, cardines & uertices dicuntur, quoniam circa ipsos cælum uertatur. Quorum duo sunt, borealis siue arcticus quem nos aspicimus, & australis siue antarcticus nostro hemisphærio prorsus absconditus, licet Lusitanis nautis Indiam nauigantibus in usu esse dicatur. Aristoteles in lib. de mūdo ad Alexandrum Signa uocat circa quæ totus mundus mouetur. De hijs

Scobes. *Ramentum.* *Ebur.* *Arbor piramea.* *Morus.* *Cortex mori.* *Axis.* *Poli, cardines, uertices.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Vergilius sic scribit: Hic uertex nobis semper sublimis, at illũ Sub pedibus styx atra uidet manesq; profundi. Sunt tamen qui polum & axem idem esse existimẽt sed de hoc aliorum esto iudicium. Cæterum æthereum nunc pro puro, nunc pro igneo, interdum pro alto et sublimi, non nunquam pro sydereo, cælesti & lucido accipitur. Diciturq; ab æthere, qui aliquando pro aëre sumitur. Vergilius, Resonatq; fragorib9 æther. Et Cicero de natura deorum libro 1. Locus quidem, ait, hijs etiam naturis quę sine animis sunt, suus est cuiq; proprius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua, supremum æther, ignibus altissima ora reddatur. Aliquando uero pro igne accipitur, sicq; dicitur quasi ardens uel urens. Item dicitur aliquando æther quasi semper currens: & sic quod perpetuo moueatur cælum dicitur æther. Ouidius, Altoq; sub æthere fixis incursant stellis. Idem, Sic habites terras & te desideret æther.

Aethereum. *Aether.*

Numinis aut iussu cedrum cum mastiche misces,
Mollitamq; picem & rasum de nauibus unguen,
Languida quo fidens medicamine mẽbra fouebis.

Numinis iussu.) Præcepto & traditione diuina Aesculapij, qui medicus fuit insignis & post obitum in deorum numerum relatus. *Cedrum.*) Cedrus, autore Dioscoride, grandis proceraq; arbor est, ex qua cedrinus liquor colligitur: probaturq; qui crassus pellucet, & intenso firmoq; odore est, quiq; diffusus concretis stillicidijs seipsum continet, nec diffluit. Natura & uis illi est uiuentia corpora corrumpere, defuncta incorrupta seruare: quam ob causam cadauerum uitam pleriq; eum dixerũt. Siccat autem & adstringit. *Mastiche.*) Mastiche lentisci arboris resina est, quę & lentiscina dicitur resina, adstringendi ui participãs. Nam, ut Dioscorides testatur, tota arbor et omnes eius partes, fructus, folia, ramorumq; et radicum cortex, & quicquid ex eo est, æquali sunt potestate, aluumq;, ut

Cedrus. *Mastiche.*

Plinius libro 24.cap.7.tradit, sistunt. *Mollitam picem.*) Picem liquidam, quæ ex pinguissima tedæ & piceæ materia colligitur. Probatur splendore, leuore & puritate: facit contra letalia medicamenta: qualia sunt medicinæ quæ soluendo sunt & ultra quàm oportet soluunt & intestina excoriant & erodunt, quas erosiones lenit & glutinat, uiriumq; infirmitatem corroborat, & serpentia ulcera coercet. *Rasum de nauibus unguen.*) Hoc est, Zopissam, quæ derasa nauigijs cum cera resina est: eadem cum iam dictis ui præstans. *Fidens.*) Cum fiducia, & sine dubio subsequente effectu salubri. *Pix liquida.* *Pix naualis.*

Proderit & pueris quos dentis origo fatigat
Castaneas coxisse nuces & sorba uetusta
Atq; apium caulesq; rubus quos fundit acuta
Potio quæ fluidam consumpta morabitur aluum.

Proderit & pueris &c.) Ponit nunc medicamentum quoddam leue quod pueris dentientibus exhiberi possit dum fluida aluo tenentur. Solent enim communiter infantes eo tempore quo dentes oriuntur, uẽtris fluxu uexari, quibus facile cibis ac potionibus adstringentibus succurri poterit, præsertim potione quam Serenus prǫscribit, quǫ & grata est & nõ insuauis. Quod obseruandũ nobis proponit Celsus lib.4.cap.de leuitate intestinorũ, inquiens: Quod æque ad omnes similes affectus pertinet, in hoc maxime seruandum est: ut cũ pleraq; utilia insuauia sint, qualis est plãtago & rubi & quicquid malicorio mixtum est, ea potissimum in hijs dentur quæ maxiẽ æger uolet. Deinde si omnia ista fastidiet, ad excitandam cibi cupiditatem, interponatur aliquid minus utile, sed magis gratum. *Castaneas nuces.*) Castaneas Latini nuces cognominant. Plinius libr.15.cap.23. Nuces uocamus & castaneas, quanquam accommodatiores glandium generi. Armatum hijs echinato calice uallum, quod inchoatum glandibus: mirumq; uilissima esse quæ tãta occultauerit cura *Canon.* *Castanea.* *Nuces castanea.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

naturæ. Trini quibusdam partus ex uno calice, cortexq; lentus. Proxima uero corpori membrana, & in his & in nucibus saporem, ni detrahatur, infestat. Torrere has in cibis gratius modulantum laturas præstanti ieiunio fœminarum quandam imaginem panis. Sardibus heæ pro uenere primũ: ideo apud Grçcos Sardianos balanos appellant, hoc est, glandes Sardianas. Et Dioscorides inter glandes de hijs agit libro 1. capite de quercu, ubi de castaneis sic scribit, Sardianę uero glandes, quas aliqui lopima castanaúe aut mota aut Iouis glandes appellant, & ipsæ adstringentes eadem possunt, præsertimq; quæ inter corium et carnem earum membrana subiecta est. Et Plinius libro 23. cap. 8. Castaneæ, inquit, uehementer sistunt stomachi & uentris fluctiones. Has etiam Heracleoticas nuces appellant. *Coxisse.*) Crudæ enim acerbæ sunt & in cibo minus suaues coctis. *Sorba uetusta.*) Sorba sicca, magisq;, autore Celso, quæ torminalia uocantur. Cum enim in quadruplici sint differentia, ut Plin. tradit, quartum genus quod torminale appellant, remedio tantum probabile. At de horum ui & natura sic scribit Dioscorides: Sorba cum luteo colore adhuc sunt necdum maturuerunt, secta & in sole siccata, aluum in cibo cohibent. Mola eadem teruntur, sumiturq; pro polenta in eundem usum eorum farina. Potest idem & decoctum eorũ. Nec uires eorum in sistenda aluo tacuit Martialis inquiens, Sorba sumus molles nimium durantia uentres *Apium.*) De apio & generibus eius plura Theophrastus libro de plantarum historia 8. Plinius libro 19. cap. 7. et Columella libro 12. Quod ad medicinam attinet, apium compescit aluum, autore Dioscoride. *Rubus.*) Rubus quem Græci baton uocant, trium est generum. Vnus à loco in quo nascitur, Idæus uocatus, quoniam multus, ut Dioscorides tradit, in Ida monte nascitur, spinas habens breues & aliquando nullas. Alter quem Latini modo rubũ, ut Plin. modo sentem, ut Columella, nuncupant: et qui à Theophrasto

Balani Sardiani. Glandes Sardianæ.

Nuces Heracleoticæ.

Sorba.

Apium.

Rubus.

Rubus Idæus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

phrasto chamębatos, id est humilis et terrestris rubus uocatur. Hic, autore Dioscoride libro 4. siccat & adstringit, bibiturq; ad sistendam aluum ramorum eius decoctum. Quin etiam succus ex folijs caulibusq; expressus, mox in sole densatus, ijsdē efficatius medetur. Fructus pręterea in media maturitate in cibo sumptus, et flos eius in uino potus sistit aluum. Huius rubi, quē uulgo omnes nouerūt, mora, quę Vaticana, à loco ubi augustiora nascunt, appellant, extrema ęstate maturescentia, bestijs uel hominibus cibos dedit natura. Est & tertius rubus, quem Græci cynosbaton, Latini rubum caninum seu canis sentē appellant. Frutex est rubo longe maior: arborescit enim autore Diosco. libro 1. Foliaq; habet lōge quàm myrtus latiora. Spinas in uirgis durissimas, florem candidum, fructum oblongum, oliuę nucleo similem cum maturescit rubentem, intra quem lanis similia sunt: qui siccatus & in uino coctus & pot9, sic tamē ut sine interioribus lanis illis, quę faucibus et arteriæ nocēt, sumatur, aluū sistit. Estq; rubus hic, ut Theophra. tradit, inter foticē & arborē medius, punicæ similis, folio uiticis, fructū ferēs rubentem, punicæ cytino similem. Cæterū siccantē & adstringentē ruborum uim testātur etiā Plin. atq; Celsus. *Acuta.*) Spinosa propter spinas quas habet. *Cōsumpta.*) Exinanita, exhausta & ebibita. *Morabitur aluū.*) Ventrē sistet & adstringet.

Chamebatos.
Mora Vaticana.
Cynosbatos.
Rubus caninus.
Sentis canis.

LVMBRICIS ET TINEIS ASPVRGANDIS.

CAPVT XXIX.

QVID non aduersum miseris mortalibus addit
Natura? interno quum uiscere tinea serpens,
Et lumbricus edax uiuant inimica creanti,
Quod genus assiduo laniat præcordia morsu,
Sæpe etiam scandens oppletis faucibus hæret,
Obsessasq; uias uitæ concludit anhelæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Vermes.



VMBRICIS & tineis.) Animalibus & uermibus uentris. Quorum hic Serenus quemadmodum et Celsus duo tantum genera facit, cum tamen tria faciat Galenus. Vnum eorum qui tenues et minores in parte maxime inferiore intestini crassi & longanone generantur, & plurimi apparẽt in iumentis male cibũ coquentibus, et tales uocãtur ascarides.

Ascarides.

Lumbrici rotundi.

Alterum uero eorum qui teretes ac rotundi & palmares aut etiã maiores in superioribus & gracilibus magis intestinis cõsistunt, & aliquando ad uentriculum ascendunt & per fauces ac os exeunt: talesq; pueros maxime exercẽt & infestant, multoq; plures in eis generantur quàm ascarides. Tertium genus est eorũ qui rarius generantur, sed peiores sunt, lati et longissimi, qui sępe per tota extenduntur intestina, & totius intestini longitudinem æquant: dicti Ciriæ, eo quod assimilentur κειρίαις, hoc est fasciis, institis & zonis, qua ratione etiam ταινίαι tæniæ uocantur, ut facile suspicari quis poterit, muntatis literis, quod factu facile fuit, pro tæniis dici cœptum esse tineæ. Porrò hoc genus Paulus Aegineta haud aliud esse ait quàm mutationẽ adnatæ in interiore intestino membranæ in materiã animalis modo mobilẽ, quæ sæpenumero tota reddatur longitudine incredibili, aliquando autẽ pars eius aliqua. Tales tricenũ pedũ & plurium longitudine aliquando uisas tradit Plinius libro 11. Et nos itidem admirandæ longitudinis tales uidimus non semel, ceu relatum est à nobis in commentariis Apuleianis copiosius. Verũ quo pacto creentur animalia uentris & uermes, docet Hippocrates libro 4. de morbis: Estq; omnium causa, materia cruda, crassa & pituitosa, qualis in pueris colligitur, & in prouectioribus qui immoderate uiuunt. Suntq; omnes & ascarides & elminthes siue eæ teretes sint siue etiã latæ ex genere eorum quæ tota substantia præter naturã sunt. Quocirca & prorsus eas expelli è corpore conueniet. Expelles autem, ut inquit Galenus therapeutices libro ultimo,

Lumbrici lati & longi.

Ciriæ

Tæniæ.

Tineæ.

mo, si prius enecaueris. Necantur autem amaris medicamentis. Viuentes nanq; obsistunt intestinis adhærentes: At mortuæ expelluntur unà cum stercore. Expelluntur cum hoc etiam uiuæ: sed stupefactæ, & ut ita quis dixerit semimortuæ factæ. At teretes quidem absinthium perimere potest, latæ uehementiora medicamenta desiderãt. Pari modo quæ Ascaris dicitur. Hęc ille. *Quid nõ?*) Quasi dicat, Nihil. *Aduersum.*) Contrariũ, inimicũ & noxium. *Miseris mort.*) Hominibus calamitosis & infelicibus. Porrò de miseria humana plura Plinius naturalis hist. libr. 7. *Addit.*) Adducit, infert. *Interno uiscere.*) In intestinis. Solet enim & sub cute nonnunquam nasci uermiculorum genus quoddam φθεῖρες dicti, de quibus habitum est supra cap. 5. de phthiriasi. *Tinea serpens.*) Vermis repens et perambulans. Serpere & repere proprie sunt animalium humi gradientium & pedibus carentium, qualia sunt serpentes, lumbrici & reliqua genera uermium. *Lumbricus edax.*) Vermis à lubricate sic dictus, uorax, corrodens, mordicans & consumens. *Creanti.*) Homini è cuius humoribus superefluentibus procreantur. Generant enim ex materia pituitosa, quæ dum non est apta conuerti in substantiam aliti, nec etiam tantæ putredinis ut ex toto putrefiat, natura quæ semper ad optima nititur, mediãte calore illam disponit ut uitæ spiritum accipiat, & sic procreati uermes uiuunt, mouentur, nutriuntur & crescunt. *Laniat.*) Mordet & rodit. *Scandens.*) Ad superiora ascendens. Solẽt enim uermes uel ad uẽtriculum & fauces usq; aliquando ascendere, & inde fœdius ore nonnunquam reddi. *Vias uitæ.*) Guttur & gulã. Hæc enim uitæ nostræ, hoc est rerum corpus nostrum intrantiũ per quas alimur & uiuimus, uiæ sunt. Gula etenim cibi ac potus quibus nutrimur & alimur uia est. Guttur uero aëris, quo ad pectoralium membrorum cordis ac pulmonis refrigerium & spiritus nutrimentum maxime & necessario opus habemus. Sine aëris enĩ inspiratione & expiratione, homo

Serpere.
Repere.
Vermium procreatio.
Viæ uitæ.

Vermes in pectoralibus gigni. uiuere non poteſt. Quod autem in pectoralibus ceu pulmone & in canna uocata pulmonis aliquando generentur uermes, teſtantur Abinzoar theizir libro 1. tract. 2. & Azarauius cap. de tuſſi. Qui uermes, ut aiunt, parui ſunt & aſſimilantur muſcis.

Ergo cinis cornu ceruini proderit hauſtus.
Vel nepetæ tritum ex uino uel lacte capellæ.
Nec non & ſuccus medici potatur aceti.
Prodeſt præterea cum Baccho perſica frondis.
Democritus memorat menthæ conducere potum.

Cinis cornu ceruini. *Cinis cornu ceruini.*) Idem medicamentum ponit Plinius dicens, Tinearum genera pellit ceruini cornus cinis potus. Cornus huius comburendi & cremandi in cinerem modus & ratio, ut Dioſcorides tradit, hæc eſt: Secatur in fruſta cornu, ſectumq́ in fictile crudum primo, mox luto circumlito operculo in fornacem conijcitur: uriturq́ uſque dum albeſcat. *Nepeta.* *Nepetæ.*) Calaminthes, maxime fluuialis & quæ aquoſis naſcitur locis. Dioſcorides loco uini & lactis, ſal & mel illi admiſcet, & uim hanc uermium interfectiuam illi tum elixæ tum crudæ tritæ & potæ tribuit. *Vinum.* *Vino.*) Maxime rubro ſeu nigro & dulci: tale enim ob maiorem ſiccitatem magis uermium naturæ aduerſatur: propter dulcedinẽ uero uermes id libentius accipiunt. *Vermes dulcibus gaudent.* Dulcibus enim gaudẽt, et ad pharmaca quę amara ſunt illectantur, nõ ſecus ac piſces per uermiculos & lumbricos terræ ad hamũ. *Lac caprinum.* *Lactæ capræ.*) Quamuis omne lac ſit dulcedinis particeps, caprinũ tamẽ minus eſt humectans ſed magis ſiccans reliquis, propter cibũ quo ueſcũtur, & ideo quoq; accõmodatius. *Succus medici aceti.* *Succus medici aceti.*) Per ſuccum aceti medici intellige ſuccum mali medici qui ſemiacidus eſt. Medicum aũt malum eſt, quod Dioſcorides Perſicum etiam & Plinius Aſſyrium patriæ nomine uocari dicit. Latini citromalum & citrium uocant. Cuius uaria habentur genera, magnitudine potius quàm genere differentia, &

quorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quorum eadem quasi uis est, omnia odoratissima, & uenenis medentia, præcipue quod priuatim Citrum uocatur: de quo & Vergilius intellexit cũ ait, Fœlicis mali quo non præstantius ullum Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ Miscueruntq́ herbas & non inoxia uerba. Huius odor, ceu libro 12. scribit Plinius, transit in uestes unà conditus, arcetq́ animalium noxia. Arbor ipsa omnibus horis pomifera est, alijs cadētibus, alijs maturescentibus, alijs uero subnascentibus. Contra uenenum, ut idē lib. 23. tradit, in uino bibuntur, uel ipsa, uel semen. Faciunt oris suauitatem decocto eorũ colluto, aut succo expresso. Horum semen edendum præcipiunt in malacia prægnantibus: ipsa uero contra infirmitatē stomachi. Diosco. item libr. 1. Arborem, inquit, habent toto anno fœcundam & superfœtantem. Pomum oblongum est, rugosum, colore ad aurum inclinato, cum grauitate odoratum. Semen habet pyrorum seminibus simile, quod in uino potum uenenis aduersetur & aluum deijciat. Decocto, succoq́ eorum commendandi halitus gratia colluũtur. Comedũtur & in pregnantium fastidijs: quod malũ Græci κίσσαρ dicunt. Creduntur eadem in armarijs & scrinijs composita erosionum noxas à uestibus arcere. Suntq́ huius pomi partes non unius nec eiusdem uirtutis. Cortices enim calidi sunt: qui intus est succus, semiacidus: semē item calidum. Quæ omnia ferè de medicis etiam & citreis, quæ uulgo Narantia uocantur, quorumq́ duplex sapor est, acris & dulcis, dici possunt. Sunt & citrigenum species, quos limones uocant. De quibus omnibus eleganter satis & copiose scribit poeta celeberrimus Iouianus Pontanus in libris de hortis Hesperidum, in quorum secundo de horum pomorum utilitate sic etiam tradit: Omnibus his usus suus est: seu forte uoluptas Quæratur, seu certa salus, studiumq́ medendi Præcipue pueris, semen lege, conijce lectum In cyatho, & latices ad summum infunde liquēteis, Sub Ioue quos tacitę cōtingant frigora noctis,

Mane autem puero instilla, bibet acre uenenum Lumbricis: stomacho, mirum, medicabitur ægro. Quin & arundineis mala ipsa liquoribus, ante Arte quidem medicata coquunt, ac lenibus inde Intingunt succis, & uase madentia seruant Auxilium latura, et opem languentibus ęgris, Regalesq́ epulas uario affectura sapore. Qui quod & in calidis fornacibus igne tepenti Sæpe liquãt lectos flores, & in horrea condunt Vitrea, odoratos latices, suffimina nota. Sæpe & fictilibus in lancibus imbre recenti Dimensis spacijs, macerato cortice, melle Contingunt, Siculoúe premunt concocta liquore, Atque hos, atque alios conuertunt citria in usus. Hactenus de malis medicis & succo eorum, quem Serenus intelligit per succum medici aceti. Nisi quis per eum intelligere maluerit liquorem aceti & acetum ipsum medicũ, hoc est, laserpitiatum, quod è lasere & laserpitij seu silphij succo fiebat, multi quondam in oxyporis & oxygaris quibus miscebatur, usus. Meminit medici succi Strabo geographię libro xi. inquiens, Hæc regio, loquitur autem de Media, silphium fert, à quo medicus succus appellatur.

Acetum laserpitiatum.

Persica frondis.) Hoc est, arboris Persicæ folia, quæ uel Galeno teste, trita & umbilico imposita, lumbricos necant. Arbor nota & quæ poma fert lanata, hoc est, lanugine obducta: innocua & expetita ægris, stomachoq́ accommoda, quorum palma duracinis. Nec aliud fugacius pomum: longissima nanq; decerpto bidui mora est. Persica uero appellata sunt à regione Perside, unde ad nos aduecta. Non quidẽ uenenata in Persia, translata deinde in Aegyptum mutata natura innocua, ut quidam ferunt, & meminit Columella hijs uersibus, Stipantur calathi & pomis quę barbara Persis Miserat (ut fama est) patrijs armata uenenis. At nunc expositi paruo discrimine læti Ambrosios prębent succos, oblita nocendi. Quin etiam eiusdem gentis de nomine dicta Exiguo properant mitescere Persica malo. Non inquam Persicæ arboris in Aegyptum translatæ

Folia Persicæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

latæ fructus is est, qui in Persia letalis, deinde in Aegyptũ transplantatus factus est esculẽtus, sed Perseæ potius quę à Persica arbore diuersa est. Quod uel ea testantur quæ scribit Dioscorides libro 1. cap. 155. de Persea, ubi ait: Retulerunt quidam letalẽ in Perside hanc arborem esse: translatam deinde in Aegyptum mutata natura salubrem & edendo factam fuisse. Et Galenus libro 2. de alimentis ait, Vidimus & hanc plantam in Alexandria, magnis & ipsa arboribus annumeranda. Tradunt huius apud Persas fructum tantę perniciei esse, ut edẽtes interimat. In Aegyptum uero translatum, in esculentum mitescere, & pyrorum malorumq; modo, cũ quibus & magnitudine conuenit, esitari. Quin & Plinius ipse naturalis historiæ libr. 15. cap. 13. Idem testatur dicẽs: Persicæ arbores sero & cum difficultate transiere, ut quæ in Rhodo nihil ferant: quod primum ab Aegypto earũ fuerat hospitium. Falsum est uenenata cũ cruciatu in Persis gigni, & pœnarum causa à regibus translata in Aegyptũ & terra mitigata. Id enim de Persea diligentiores tradunt, quę in totum alia est, myxis rubescentibus similis, nec extra orientem nasci uoluit. Eã quoq; eruditiores negauerunt ex Perside propter supplicia translatam, sed à Perseo Memphi satã. Et ob id Alexandrum illa coronari uictores ibi instituisse in honorem ataui sui. Semper aũt folia habet et poma, subnascentibus aliis. Hactenus Plinius. *Frondis.*) Frons, estq; nominandi siue recto casu dictum frondis, sic supra capite 11. Delphica frondis. *Democritus.*) Democritus Abderitanus philosophus sapientissimus & medicæ rei peritissimus fuit: scripsit inter alia libellum etiam de insania. De hoc plura in epistolis Hippocratis. *Menthæ.*) Menthæ uim contra uermes testatur etiam Celsus, præsertim ubi teretes sunt & pueros exercẽt. Dioscorides succũ eius cũ aceto id facere tradit inquiẽs, Menthæ succus potus cum aceto, rotundos lumbricos necat. Plinius aliorum referens sententiam, Asperſa, inquit, in potionem mentha,

Persica differt à Persea.

Democritus.

Mentha.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uentris animalia expellere dicitur. Est autem ex medicinis leuioribus ad hoc.

Sumitur abrotonum nec non & uile melanthum,
Allia per sese sanant, & ius coriandri.
Quin et marrubium decoctum haustumq; iuuabit,
Pulegiumue potens & agreste iugatur anethum:
Synthesis hæc prodest unda mollita calenti.

Abrotonum. *Abrotonum.*) Abrotonum quod uermes amaritudine sua interficiat, testantur etiam Galenus, Paulus Aegineta, Serapio, Auerrois & alij. Melanthum. Nigella. Gith. *Melanthum.*) Quod Græcis melanthum, id Latinis est nigella. Vtrisq; à seminis colore sic dicta herba. Plinius Gith uocat & optimum esse ait quod quàm excitatissimi odoris & quàm nigerrimũ existat. Huius semen nõ modo potum, sed & extra umbilico & uentri illitum, uermes & reliqua interaneorum animalia interimere & pellere testes sunt etiam Dioscorides, Galenus, Serapio & Auicenna. Allia. *Allia.*) Allia per se sola sine alterius rei permixtione in cibo sumpta contra uermes prodesse, testantur etiam Celsus & Auicenna, nec refert siue cruda siue cocta edantur. Vtraq; enim autore Hippocrate libro de morbis mulierum 2. prosunt. Noua tamen & recentia, teste Rufo, sunt meliora. Porrò Plinius & Macer illis in aceto mulso coctis & exhibitis uim illam attribuunt. Coriandrum. *Ius coriandri.*) Succus coriandri. Quod uulgo notum est. Huius semen lumbricos & interaneorum animalia pellere cum mali punici succo & oleo potum Plinius asserit. Dioscorides uero cum passo sumptum: & paulum quidem. Copiosiorẽ enim continuumq; eius usum cauere oportet. Quoniam maiore copia sumptum, mentem non leui periculo tentat: haustum etenim ebrietati similem cum turpi loquacitate furorem facit. Porrò Apuleius foliorum usum per inferiora administrandum docet, dum infit: Ad lumbricos, Herba coriandrum coquatur ad tertias in oleo, & in anum mittatur. Cæterũ cuius qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

qualitatis sit particeps coriandrum, frigidum ne sitan calidum, autores inter se discrepant. Hippocrates enim lib. 2. de ratione uictus & libro de morbis qui extra, & Galenus libro 7. de simplicibus, Serapio tr. 2. de medicinis calidis, et Auerrois colliget libro 5. ipsum calidum ponunt. Dioscorides uero libro 3. & Auicenna undecima tertij, tr. 1. cap. 7. Rasis Almansoris libr. 3. cap. 19. & Hali abbas frigidum asserunt. Sed uerius Isaac in dietis particularibus capite proprio, diuersæ uirtutis esse tradit, testante id saporis sui uarietate. Cui & Gentilis Auicennæ expositor non postremus subscribit, omnesq́ certis signis motos ait. Primi enim qui calidum asserunt, argumentum ad id sumunt ab amaritudine & aromaticitate quas in eo sentiunt, quæ & partiũ tenuitatem illi faciunt. Alij uero qui refrigerandi uires ei tribuunt, id à frigiditate in ipso percepta colligunt, quæ & partium crassitiem causatur. Verum quæ pars præualeat, difficile esset ponderare. Nostri tamen æui medici frigiditatem pręcipue illi tribuunt præsertim intus assumpto. Exterius enim admotum nũc quidem calefacit nunc uero refrigerat, id tamen in diuersis morborum generibus, uti clare demonstrat Gentilis Canonis Auicennæ libro 3. fen 11. tractatu 1. cap. 7. de medicinis cordialibus. *Marrubium.*) Marrubij uim contra uermes prodit etiam Apuleius, sed iungit illi absinthij & lupinorum pondera paria: iubetq́ in aqua mulsa coquere cum uino & bibere aut super umbilicum imponere. *Pulegium.*) Idem testatur Auicenna: potestq́ id coctũ, potum, & illitum. *Agreste anethum.*) Etsi apud ueteres medicos unicam tantum anethi speciem repperio, simpliciter anethum dictum: uerum tamen est quod Plinius & Dioscorides herbam quandam tradunt quam hic meon, ille meu uocat, quæ caule & folijs anetho sit similis: quamuis utrobiq; tum apud Plinium tũ apud Dioscoridem, non anetho sed aniso perperam & falso legat Dioscoridis interpres ille Florentinus. Et hanc herbam meon intelligit

Marrubium. *Pulegium.* *Anethum agreste.* *Meon.* *Meu.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

nunc Serenus per agreste anethum. Et sic etiam meō interpretantur medici recentiores, dicentes id esse agreste anethum. Hocq; ui sua feruente uermium interfectiuū est, ut hic tradit autor: nec id mirum, si enim aliud domesticum tale est, autore Auicēna, multo magis agreste tale erit: cum syluestria domesticis cōmuniter sint efficatiora. *Synthesis.*) Synthesis compositio dicitur, à σὺν quod est con, & θέσις positio.

Decimasexta tertij tract. 5.

Synthesis.

COLO SEDANDO.

CAPVT XXX.

QVVM colus inuisū morbi genus intima carpit,
Mande galeritā uolucrem quam nomine dicunt.



COLO.) Dolori colico, qui fit in intestino crassiori colo: quamuis plurimi uehementissimos quosq; dolores in quacūq; parte intestinorum euenerint, ad colum referant. Sunt autē in duplici differētia intestina ordine quodam sese cōsequētia. Nam horum quædam superiora quæ gracilia uocantur, alia inferiora quę crassa dicuntur. Ante omnia uero in inferiore ipsius uentriculi parte foramen est & meatus qui πύλωρος & portanarius dicitur. Sic quidem nominatus, uti Galen⁹ ait, quod ueluti ianitor iustus nihil permittat exire, quod non fuerit prius in chylum conuersum atq; concoctum. Talem aūt chyli bene concocti substantiam certum est per pylorum ad inferiora intestina deduci, nō ut excernatur, sed potius ut intra corpus retineatur, ui hepatis in sanguinem trāsmutanda, ex quo omnia membra debent nutriri. Vnde libro de utilitate partium quinto, aperte pronunciat, Intestina non esse superfluitatum excretionis, sed alimentorum potius instrumēta. Quamuis

De intestinorū ordine.

Pylorus portanarius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uis Celsus pyloron primũ faciens intestinũ sic nominatũ dicat, q̊d portæ modo in inferiores partes, quæ excreturi sumus, emittat. Pylorum meatum sequitur intestinũ primũ, quod ἔκφυσις hoc est propago siue exortũ appellatur: sic dictum quia ex pyloro primũ exoriatur: aut δωδεκαδάκτυλον, id est, duodenum, à duodecim digitorum mensura. Quod quia non sit implicitum, uoluerunt quidam intestinum non esse appellandum, & primum faciunt ieiunum. Vnde Macrobius ait: Ieiunum omnium intestinorum principium habere exaratũ est. Nisi quis sub eo & ieiunũ & duodenũ comprehendi censeat. Sic etiam Galenus de locis affectis lib. ς. primum facit ieiunum, dicens: Omnia intestina à uentriculo ordine quodam descẽdunt atq; omnium supremum ieiunum est, deinde quod tenue uocatur. Suscipiunt autem ambo inuolutiones, ieiunum tamen, autore Celso, minus implicitum est: ac ita dictum, quia nunquam quod accipit, continet, sed protinus in inferiores partes trãsmittit: tenuius uero in sinus uehementer implicitum est. Differunt etiam autore Galeno, nam tenue non inuenitur uacuum, & quia non habet idem tenue tantum uenarum multitudinem. Imperitiores hoc ilion uocant, & morbum illius iliacum, quum tamen ileos, id est uoluulus, ab eruditioribus appelletur, et qui hoc affecti sunt ileosi. Nam iliaci iliosiue dicuntur qui lagopono, id est ilium dolore, uexantur. Plinius hæc gracilia intestina per quæ flexuosissimis orbibus cibi delabuntur, in homine & oue lactes uocari tradit, in cæteris ilæ plurali numero. Quamuis lactes etiam à nonnullis pro pinguibus intestinis accipiantur, unde Persius lactes unctos uocat: aliquando uero pro membranis quibus inter se intestina cohęrescunt. Sunt etiam qui lactes uocant loca sub umbilico pubetenus delicata, adeo ut plagam ferre nequeant. Vltra hæc quoq; significata, adhuc pro mesentertio accipit Theodorus, uir utriusq; linguæ doctus, ea

ἔκφυσις, exortũ.
δωδεκαδάκτυλον.
Duodenum.
Ieiunum.
Tenue.
Ileos, ileosi.
Iliaci, iliosi.
Lagoponos.
Lactes.
Ilæ.

forte ratione ductus, quod Macrobius quoq; mesenterō pro intestino accipit: ubi intestina principalia facit tria, unum dissipium quod uentrē à reliquis secernit, alterum medium quod Græci μεσέντερον dicunt, tertium quod ueteres hiram uocarunt: aut forte quia contentum pro cōtinente accepit. Est enim mesenteron non intestinum, sed potius in medio intestinorum collocatum, unde & illi apud Græcos nomen, sicuti & alterum apud eosdem nomen est à propria substantia sortitum, quo mesarcon appellatur: quoniã omnes, quæ ad ipsum ex iecore uenas feruntur, unà cum adiacentibus arterijs circunquaque ambit atq; cōplectitur: huic lactes inuoluūtur, ut à duro spinæ contactu munitiores magisq; septos reddat. Sed hæc missa faciēs ad intestinorum ordinem reuertar. Post gracilia itaq; & tenue intestinum est id quod cæcum uocatur, quod usq; ad infernas partes extenditur. Deinde colum quod ad superiores reuertitur partes, donec sæpe numero & lienem & iecur attingat, in quo dolorum maxima caussa est, qui & colici dicuntur, & inde colicon dictum medicamētum quod colico dolori medetur, quale est id quod à Scribonio Largo compositione medicinali 119. & à Cornelio Celso lib. medicinæ 4. & 5. ad Cassium medicum refertur, licet apud eos nōnulla sit compositionum discrepantia. Hoc intestinum colon Plinius Ile singulari numero uocat. In hoc dolor fit qui Colicus dicitur et Chordapsos ac Choridos: quamuis Diocles Carystius commutatis nomenclaturis, tenuioris intestini dolorē chordapson, crassioris uero Ileon nominauerit. Post colon est intestinum rectum, quod & aluum & longanonem uocant. Contegit uero uniuersa hæc omentum ex interiore parte leue & strictum, ex superiore mollius: cui adeps quoq; innascitur, qui sensu sicut cerebrum quoq; & medulla caret. Omento uero quod uenis etiam quibusdam uel maioribus illigatum est, autore Celso: iungitur abdominis membrana interior, quæ quoniam interiori-

bus

Dißipium. Mesenteron. Hira. Mesarcon. Intestinum cæcum. Colon. Dolor colicus. Medicametum colicon. Ile. Chordapsos. Chordios. Intestinum rectum. Aluus. Longanon. Omentum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

bus omnibus extensa adiacet & intestina cum omẽto continet, peritoneon à Græcis dicit & à Barbaris mirach. Cæterum quod ad colicum dolorem attinet, fit is à frigido crassoq́ aut uiscoso humore seu spiritu flatuoso egressum non habente. Estq́ uehemens & longus: uehemens quidem ob intemperantiam & corporum quibus continetur tentionem: longus uero et perseuerans, quia difficulter uacuatur, ob corporum ambientium crassitudinẽ ac spissitudinem quibus ipsum continent et arcent, quod tenuiora intestina ob tunicarum rarã tenuemq́ essentiam facere non possunt. *Colus.*) Dolor colicus. *Inuisum.*) Inuisum dicitur quod inuidia & odio habetur, cuiq́ inuidetur. *Intima carpit.*) Interiora uentris & intestina corripit, molestat & torquet. *Mande.*) Mandere proprie est dentibus cõterere et comedere. *Galeritam.*) Galerita auis est quæ nunc alauda dicitur, Græce corydalus, à galeæ similitudine, eo quod in summo uertice habeat apicem & plumulas elatas in modum galeæ. Plinius libro 11. cap. 37. ait: In capite paucis animalium nisi uolucribus apices: diuersi quidem generis, Phœnici plumarum serie medio eo exunte alio, Pauonibus crinitis arbusculis, Stymphalidæ cirro, Phasianæ corniculis. Præterea pauo, atque ab illo galerita appellata quondã, postea Gallico uocabulo etiã legioni nomen dederat alluda. Huius cõtra colon uarius usus est. Nã Diosco. tostã in cibo sumi iubet. Paulus Aegineta, Auerrois et Serapio simpliciter coctã & comestam diu. Plin. lib. 30. ca. 3. assã, siue in nouo uase cũ plumis exustam contritamq́ in cinerẽ, bibiq́ ex aqua coctũ cochlearibus ternis per quadriduũ, item cor eius adalligatum fœmini, amplius recentem tepentemq́ adhuc deuorari.

Peritoneon. *Mirach.* *Causa doloris colici.* *Inuisum.* *Mandere.* *Galerita.*

Aut pauidi leporis madefacta coagula pota.
Siue apio nepetam tereti cum mastiche iunges,
Necnon & species ambas redolentis anethi
Quorum decoctos patiens haurito liquores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Pauidi.) Inter animalia enim maxime pauidus est lepus. *Leporis coagula.*) Inter coagula intestinorũ doloribus maxime medetur leporinum ex uino trium obolorum pondere potum, autore Dioscoride. Coagulum autem ea uiscerum pars est, qua ad densandum lac utimur. Estq; substantia & mucillago quædam superflua lacti coagulato quodammodo similis in uentribus & certis animalium uesicis genita & appensa. Sic quidem dictum à cogendo, hoc est, à colligendo aut stringendo. Vnde etiam aliquando pro omni eo quod densat & coniungit, accipitur. *Madefacta.*) Humecta & resoluta, idq; præcipue in uino. *Apio.*) Scilicet satiuo et hortulano, quod non modo coli sed & aliorum quoq; doloribus medetur qui ex flatuoso spiritu egressum non habente generãtur. Vnde Dioscorides ad nullum determinatum morbi genus id applicat, sed omnibus indifferenter inflationibus utile pronũtiat, simpliciter dicens, Soluit inflationes. Quamuis saxatilis apij quod petroselinon dicitur uires cõtra colon proprie ualidas tradat inquiens, Petroselinon stomachi & coli inflationibus torminibusq; medetur. *Nepetam.*) Quemadmodum apium simpliciter inflationibus ubicunq; existant prodesse dicit Dioscorides: sic etiam nepetam simpliciter strophis & torminibus, hoc est doloribus uehementissimis, siue in colo siue alia quacũq; parte existant, utilem scribit. *Tereti.*) Rotundo. *Mastiche.*) Et hoc uentrem ac intestina confortando. *Species ambas.*) Genus utrunq;, domesticũ & agreste. *Redolentis anethi.*) Vtrunq; enim odoratum est. De agresti quod meon appellatur, agit Dioscorides libr. primo inter aromata et odoramenta, aitq; radicibus esse odoratis, quæ in aqua decoctæ & sine coctura tritę utiles sint inflationibus & torminibus, sed dolores capitis facere potum ultra quã deceat meon. Domestici uero redolentiam testatur Columella dicens, Et bene odorati flores sparguntur anethi: cuius siccati comæ & seminis decoctum, ut Dioscorides prodit, tormi-

Coagulum leporis.
Coagulũ quid.
Apium.
Petroselinum.
Nepeta.
Mastiche.
Anethum, domesticum, agreste.

na & inflationes finit. Estque nunc communis in omnibus uentris & intestinorum doloribus mitigandis anethini olei usus.

VESICAE ET CALCVLO PVRGANDO ET VRINAE prouocandæ.

CAPVT XXXI.

SI cui uesicæ tardus cunctabitur humor,
Hæc mora rumpetur uino peruicta uetusto.



ESICAE.) Vesica, quam κύστιν Græci dicunt, infra aluum à priore parte est, tota neruosa. Cuius officium unicũ est, ut uidelicet comprehendat, estque humidi excrementi conceptaculum. Vnde Aristoteles libr. de historia animalium primo cap. 2. Humidi, inquit, excrementi cõceptaculum uesicam: sicci, aluum nominamus. Nec à renibus trahit urinam uesica, sed renes per ureteras, quæ uenæ sunt à renibus ad uesicam protensę, excernendo in uesicam mittũt. Accidentia quæ uesicæ superueniũt, partim cæteris communia sunt, ceu omnes ipsius præter naturam tumores, dolores & quę hos facere possunt affectiones, partim ipsi soli propria, ut Ischuria, Stranguria, ac per alium quoque modum immoderata urinæ excretio, & quæ Dysuria dicitur. Verum huiusmodi affectus uesica tanquam meatu utuntur, ipsa haudquaquã affecta. E quibus Ischuria est integra urinæ detentio, propter meatus ipsius & fistulæ quam Vrethram uocant, constrictionem: quæ uariis fit modis, uidelicet, aut propter corporis ipsius tumorẽ pręter naturam, aut cum aliquid ei præter naturam innascitur, aut cum à re quapiam obstruitur. De quibus latius Galenus libro de locis affectis primo. Aliam demũ sup-

Vesica, κύστις. *Vesicæ officiũ.* *Venæ ureteræ.* *Ischuria.* *Vretra, fistula urinæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

pressæ urinæ & ischuriæ causam ponit item Celsus, qui urinam aliquando non reddi ait quia senectute iter eius collapsum sit. Stranguria, quam Cato lotij substillum uocat, est quãdo stillatim, parum & frequenter quis mingit: fitq; aut ob uirtutis retentiuæ imbecillitatem in uesica, aut ob urinæ acritudinem. Imbecillitas autem ob immodicam intemperaturam præsertim frigidam, siue tumorem aliquem præter naturam in ea. Acritudo uero urinæ aut ob renum passionem, aut aliarum partium uitium aliquod, cuius ratione humorum suorum uitia ad uesicam transmittunt & cum urina permiscent: nonnunquam etiam ab intemperaturis quibusdam, maxime à caliditate, deinde à caliditate & humiditate, & demum ab humiditate. Dysuria est mingendi difficultas, de qua Galenus sic scribit: Dysuria potest & quæ cum dolore fit mictio dici: potest autem & quæ cũ difficultate aliqua, adeo quod uix uesica operetur. Eam uero quæ cum dolore est, facit inflammatio & abscessus & ulceratio & inæqualis intemperatura & spiritus flatuosus. Si uero motus difficilis aliquis, uel potentiæ imbecillitas, uel tumor cõtra naturam, ex omnibus hijsce dispositionibus. Hęc ille. *Calculo.*) Lapidi, qui hominum quibusdam diro cruciatu in uesica generatur: maxime autem, ut in aphorismis libro 3. Hippocrates prodit, pueris, qui inter illos qui iam dentes ediderunt, & qui pubertati sunt proximi, mediam, quæ usque duodecimum & tertiumdecimum annum progreditur, habent ætatem. Et horum, uti Galenus scribit, lapis propria est passio: hij enim ob edacitatem nõ paucos crudos humores coaceruant, ex quibus pars crassior unà cũ urinis ad uesicam perueniens, fit lapidum generationis materia. Accedit altera causa, uehementia caliditatis, Aceruant enim et senes humorem crudum non paucum, non propter edacitatem, ut pueri, sed propter potentiæ concoquentis imbecillitatem, non tamen calorẽ fortem habent qui ex materia crassa uaporem resoluens lapidem generet.

[Margin notes: Aph. li. 3. & 5. — Stranguria. — Lotij substillũ. — Dysuria. — Aphor. lib. 7. — Calculus uesicæ. — Aphor. 26. — Hipp. lib. 4. de morbis.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

generet. *Vrinæ.*) Lotio suppresso & præter naturam retento. Est autem urina sanguinis & aliorum humorum colamentum et aquositas. Sic dicta, ut quidā putāt, quod in exeundo urat. Vel ut alij uolunt à uerbo Græco οὐρῶ quod est mingo, unde etiam οὐρὸν Græci urinam dicunt. *Vesicæ humor.*) Lotium & urina. *Tardus.*) Segnis, exire non potens, sed præter naturam detentus & remoratus. *Cunctabitur.*) Remorabitur & detinebit. *Hæc mora.*) Vrinæ detentio. *Rumpetur.*) Frangetur & ad exitum prouocabitur cieturq́ urina. *Vino uetusto.*) Vinum præsertim uetustum & tenue, diureticum esse & urinam mouere testatur etiam Dioscorides libro 5. dicens, Vrinam pellunt quę uetustissima tenuiaq́ & alba uina sunt. Et hoc maxime ubi aut grumus aut pus aut crassus lentusq́ humor retentionis causa fuerit.

Vrinæ. *οὐρῶ.* *οὐρὸν.* *Vinum uetus diureticum.*

Prodest ex paruis acinos potare sabucis,
Aut hederæ succum, ut lachrymosi trita sinapis,
Necnon resinas Oricia therebinto
In speciem heruiliæ paruos glomerabis in orbes,
Quos ternos tepida mixtos hausisse medela est.

Acinos ex sabucis.) Idem testatur Plinius libro 24. cap. 8. inquiens, Acini sabuci urinam mouent. *Hederæ succum.*) Hederæ in medicina acris est natura, autore Dioscoride. Vnde & urinam mouet, teste Plinio. *Lachrymosi sinapi.*) Acrimonia & feruore suo lachrymas cientis & prouocantis. Columella, Seq́ lacessenti fletum factura sinapis. Quod autem urinam ciat & moueat sinapi, testantur etiam Celsus & Plinius. *Trita.*) Contrita scilicet semina. *Resinas therebinto.*) Quamuis omnis resina moueat urinam, ut autor est Dioscorides, potior tamen inter omnes est therebintina, quæ omnes alias antecedit. *Oricia.*) Hoc est, circa Oricon ciuitatem nascenti. Est enim Oricos ciuitas Epiri, secus quā plurima nascitur therebintus, nigrum lignum habens, soliditatem in buxi speciē. Verg. Eneid.

Acini sabuci. *Hederæ succus.* *Sinapis.* *Resina therebintina.* *Terebintus* *Oricia.* *Oricos.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

libr. 10. Inclusum buxo aut Oricia terebintho. Et Propertius libro 3. Sed thiæ thalamo aut oricia terebintho. *In speciem heruiliæ.*) Hoc est formam paruam & rotundam, cuiusmodi est heruilia, quæ leguminis genus est, & Græce dolichus uocatur, ut sentit Io. Manardus in Epistolis medicinalibus. *Orbes.*) Orbiculos, globulos & pilulas paruas. *Glomerabis.*) Formabis & in glomeris formam conficies. *Ternos.*) Numero tres, & hæc quantitas una uice sumenda est sufficiens. *Tepida.*) Aqua moderate calida. Sic enim nō adhærent. Cum enim tenax & uiscosa res sit per se deglutiri nō posset. *Hausisse.*) Deuorasse, deglutisse.

Heruilia.

Quondam etiam nimium præceps urina fluendo
Irrigat exuuias, obscœnoq; inficit imbri,
Ergo cinis cornu ceruini proderit haustus,
Vel nepetæ ex uino tritum uel lacte capellæ,
Tum leporis cerebrum ex uino potare decebit.

Quondam etiam.) Aliquando. Postquam retentā urinam ciere docuit: nunc nimium fluentem, & incontinentiam eius sistere & cohibere docet. *Nimium præceps.*) Nimis uelox & plus iusto præterq; naturam fluens. *Irrigat.*) Humectat. *Exuuias.*) Vestes ab exuendo sic dictas, quemadmodum ab induendo induuiæ & indumenta sunt dicta. Dicuntur autem exuuiæ non solum de hominum uestimentis, sed & de aliorum animalium spoliis: unde & serpentum pelles exuuiæ dicuntur. *Obscœno imbri.*) Humore olente & lotio fœtente. *Inficit.*) Contaminat & fœdat. *Cinis cornu ceruini.*) Cerui cornu uim habet omnes humores exiccandi: quare & omnem fluxum tum uentris tum uteri tum uesicæ cohibet & sistit, doloremq; sedat, præsertim in cinerem redactum, drachmæq; unius pondere in potu datum. *Nepetæ tritum.*) Nepetæ puluis uel cinis contritus seu succus per cōtritionem extractus. Solet autem Nepeta urinæ incontinentiā cohibere, maxime ubi uirtutis retentiuæ ob frigidam intemperaturam imbecillitas aut

Exuuiæ Induuiæ.

Cornus ceruini cinis.

Nepeta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

aut spiritus flatuosus causa est. Frigus enim feruore suo reprimendo, uirtutem corroborat & flatuosos spiritus dissoluit, humoresq́ꝫ desiccat. Aliâs enī & ab aliǰs causis accidentē urinæ fluxum potius augeret. Nam, ut omnes testantur, urinam cit nepeta: nisi & hoc modo humores expurgando fluxus fluxum tollat. *Vino.*) Maxime acerbo & stiptico. *Lacte.*) Pręsertim ubi exulceratio adest. *Lac caprinum.* Nam, ut Dioscorides lib. 2. tradit, Interaneorum exulcerationibus cōmuniter lac medetur, pręcipueq́ꝫ gutturis, pulmonum, intestinorum, renū & uesicæ. *Capellæ.*) Capræ: propter cibum adstringentem quo plurimum uescuntur. *Tum.*) Deinde ultra dicta iā medicamenta. *Leporis cerebrum.*) Idem testatur Plinius lib. 28. cap. 10. dicens: *Cerebrum leporis.* Cerebrum leporis in uino urinæ incontinentiā cohibet.

Sed dolor internam uesicæ si capit aluum,
Subueniet radix frondosæ epota cupressi,
Pulegiumue potens domitum feruentibus undis.

Sed dolor int.) Solet nonnunquam urinæ incontinentiam dolor subsequi, præserti ubi exulceratio aut acris quispiā humor ipsi occasionē præbuerit: quemadmodū et in dysuria uocata accidit. Huic itaq́ꝫ affectui nunc idonea adhiberi docet medicamenta. *Internam uesi. aluum.*) Hoc est, cauitatem interiorem uesicæ & uesicam ipsam. *Capit.*) Afficit & molestat. *Radix cupreßi.*) Adstringit cupressus, siccat & refrigerat. Vnde & folia eius contra destillationes in uesicam & dysuriam cum passo & exigua myrrha utiliter bibuntur, ut autor est lib. 1. Dioscorides. Plin. uero libro 24. ca. 5. Radix, inquit, cum foliǰs trita potaq́ꝫ, uesicæ & stranguriæ medetur. Quæ mala quoniam dolor sequi solet, tolletur idem, ǰsdem malis sublatis: quod, ut hic Serenus testatur, cupressi radix efficit pota. *Cupressus.* *Frondosæ.*) Foliosæ & multorum foliorum: quæ eandem quoq́ꝫ cum ra radice uim habent adstringentem. *Pulegium.*) Vesicæ dolores, pręsertim qui ex urinę angustǰs & calculo originē *Pulegium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

habent, pulegij potu mitigari, uel Plinij testimonio certum est: libro etenim 20. cap. 14. inquit, Vrinam pellit ex uino, & si Amineum sit, & calculos & interiores omnes dolores. *Domitum fer. undis.*) Hoc est, in aqua decoctum.

Si uero in lapides densus conuertitur humor,
Qui retinet cursus, gemitumq; dolore frequentat,
Saxifragam seu sphongiten succurrere credunt,
Præterea semen myrthi syluestris Iaccho
Atq; oleo mixtum bibitur nec desit acetum,
Vinaq; sumantur fricto condita cumino,
Siue palumborum capitur fimus acre ferorum
Dulcacidis sparsum succis tritumq; solutum,
Necnon obscœnus capræ potabitur humor,
Obruit hic morbum, labefactaq; saxa remittit.

Si uero in lapides.) Calculi remedia traditurus autor, docet prius ex qua re idē generetur, & quæ inde causentur accidentia. Dictum est autem prius à capitis initio, quod calculi materia est crudi incorpore coaceruati humoris pars crassior, cum urina ad uesicam perueniens, quam partem densum humorem uocat, generatus uero calculus urinæ cursum & fluxum retinet, & inde affectos diro cruciatu & dolore sępius & frequenter molestat & afficit, gemitumq; & suspiria inducit. *Gemitum.*) Suspiria. Gemere proprie pectoris est, cum prę angustia in sonum prorumpit. *Saxifragam.*) Saxifragam ab aliquibus Empetron uocari, autor est Dioscorides medicinalis syluæ libr. 4. cap. 17. quamuis eodem libro capite 170. aliam herbam faciat empetron, aliterq; illam describat & alias tribuat uires. Verum quia Plinius lib. 27. cap. 9. unam eandemq; saxifragę ac empetri nomine facit herbam, uiresq; illi tribuit, quas Dioscorides sub ijsdem nominibus, diuersis herbis, & nostro etiam æuo saxifragæ nomine herba sit uiribus eisdem quibus Dioscoridis saxifraga, & siliquas ferat len-

Gemere. *Saxifraga.* *Empetron.* *Phacoides.*

tis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tis similitudinem referentes, ceu de Empetro scribit idem Dioscorides, unde & phacoides, ut ait, appelletur: hinc facile persuasum habeo, male olim ab ignaris diuisa fuisse uti nunc etiam sunt apud Dioscoridem, quæ simul iungi cōuenisset, et ut ex uno capite duo separata, et una herba diuersæ factæ sint, quæ unū & idē esse debuissent. Quare etiam non male egisset, meo iudicio, si Dioscoridis interpres ille Florentinus Plinium sequutus diuersa illa capita in unum coalescere permisisset, quod & ego factu opus esse censeo. Sed de hoc satis. Quod uires eius concernit, Saxifraga, inquit Plinius, recens, quamuis nos radice non recenti etiam communiter utamur, urinas cit decocta in aqua, uel trita calculos frangit. Qui fidem promisso huic quærunt, affirmant lapillos qui suffferuefiant unà rumpi. Dioscorides uero, Bibitur, inquit, in uino decocta utiliter stillicidio uesicæ & singultientibus: calculos uesicæ frangit, urinam cit. Cæterum dicta est saxifraga, aut quia in petris nascens eas dum nascitur rumpat, ut aliqui uolunt: seu ut alij, quia lapillos in uesica frangat atq; comminuat. Nascitur autē plurima in Rhetia prima, locis asperis & petris. Sunt & aliæ sub saxifragę nomine nūc in usu herbę, sed de quibus nihil ad præsens. *Spongiten.*) Spongites lapis est qui in spongijs reperitur, unde & nomen indeptus est. Hinc Plinius libro 37. cap. 10. Spongites, inquit, spongiæ nomen repræsentat. Et lib. 36. cap. 19. Spongiæ lapides inueniuntur in spongijs, & sunt natiui. Quidam eos cysteolithos uocāt, quoniam uesicæ medentur: calculos rumpunt in uino poti. Et Dioscrides libro 5. Inueniuntur, inquit, & in spongijs lapides: hij cum uino poti calculos uesicæ frangunt. Et hij etiam ex medicamentis illis sunt quę reliquis in frangendo lapidem longe fortiora sunt, autore Auicenna. *Semen myrthi syl.*) Myrthus syluestris Latine Ruscus dicitur, myrtho simile foliū habet, minus tamen: lanceæ figura, in summo acuminata cuspide: fructum fert in medio folio herētem, rotundum,

Spongites lapis.

Myrthus syluestris.

Ruscus, oxymyrsine.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

cum maturuit rubētem, ossea intus duricie. Ramulos ut tilium modo lentes, numerosos, ab ipsa radice statim, infragiles, cubitali longitudine, foliis plenos. Radicem gramini similem, sapore acerbo, amarescenteq́, uti libr. 4.

Libr. 23. cap. ultimo.

Dioscorides autor est, qui etiam cũ Plinio oxymyrsinen, id est, acuminatam myrtum, & chamæmyrsinen, id est humilem & terrestrem myrtum, appellari tradit. Cuius semen Plinius etiam cum uino aut oleo aut aceto potum calculos frangere testatur: nec refert quod liquores non coniunctim, uti Serenus, accipiendos præcipit. Nec modo semen, sed & radix, quam in honore esse dicit Plinius, & folia itidē in uino decocta & pota uesicæ calculos frangunt & pellunt, si Dioscoridi credimus. *Iac. bo.*) Vino, præsertim antiquo & tenui, quod fracto calculo uiam ad exitum præbet & urinam ciendo etiam expellit. *Oleo.*) Hoc enim utile est excoriationi quæ ex calculo accidit, leniendæ & dolori mitigando. *Acetum.*) Vt quod aliis penetrandi uim administret & inflammationes arceat, calculosq́ frangat: quã uim illi esse uel ex historiis satis manifestum esse poterit, præsertim ea qua Hannibal alpes fregisse & ita transcendisse fertur. *Cumino.*) Maxime syluestri, & eo quidem quod satiuo simile est, quod ex singulis floribus corniculatas siliquas sublimes profert, in quibus nigellæ simile semen est: quod potum uesicæ stillicidio, calculis, & sanguinis concretos grumos cum urina reddentibus succurrit, autor Dioscorides libr. 3. *Fricto.*) Parum asso, ut si quæ inest superflua humiditas consumatur. *Fimus palumborum.*) Columbarum agrestium alui excrementum & stercus, quod reliquis longe acrius est, magisq́ calefacit & urit. Et quam hic Serenus Palumborum, illam Auicenna decimaoctaua tertii, columbarum fimo uim extrahendi lapides tribuit, quod tamen idem est. Plinius libro 30. cap. 3. Fimum quoq; palumbium, inquit, in faba sumi contra calculos & alias difficultates uesicæ: similiter plumarum cinerem palumbium ferorum

Vinum. *Oleum.* *Acetum.* *Cuminum.* *Fimus palumborum.*

ex aceto mulso iubent. *Ferorum.*) Agrestium & syluaticorum, qui domi non nutriũtur, sed procul à uillis uitam agunt semper. *Dulcacidis succis.*) Aceto mulso, quod & oxymel dicitur, de quo diximus supra capite undecimo. *Obscœnus capræ humor.*) Vrina capræ fœtida. Quam hic Serenus uesicæ calculos frangendi & expellendi uim, urinæ caprarum, eam Dioscorides aprinæ, Auicenna porcinæ tribuit. Plinius libro 28. cap. 10. apri etiam urinam et ipsam uesicam pro cibo sumptam, uesicæ calculorumq́ꝫ cruciatibus auxiliari testatur. Et id efficacius quidem, si prius fumo maceratur utrunq;. Imò, ut idem prodidit, fimum caprarum in mulso calculos pellit, efficaciusq́ꝫ syluestrium. *Obruit.*) Sepelit, abscōdit & tollit. *Hic.*) Humor obscœnus & urina capræ. *Morbum.*) Calculorum dolorem & cruciatum. *Labefacta saxa.*) Lapillos & calculos comminutos & attritos. *Remittit.*) Relaxat, et educit.

Acetum mulsum. *Oxymel.* *Vrina caprina, aprina, porcina.* *Fimus capræ.* *Vesica capræ.*

CONCEPTIONI ET PARTVI.

CAPVT XXXII.

IRRITA coniugij sterilis si munera languent
Et sobolis spes est multos iam uana per annos,
Fœmineo fiat uitio res nec ne silebo,
Hoc poterit quartus magni monstrare Lucreti:
Sed natura tamen medicamine uicta potenti
Sæpe dedit fœtus studio curante paratos.

ONCEPTIONI.) Hoc est, conceptionis impedimento amoliendo, & uterum infœcundum ad facile concipiendũ præparando. Nam quæ per se facilis est nec impedita conceptio, nullo medicaminis eget auxilio. Præpedita uero, adeo ut difficulter aut nunquam concipiat mulier, nec tamen in uniuersum denegata sit, medicamentis recuperari & pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

mouei poterit. Præpeditur autem non modo mulieris, sed & uiri aliquãdo ob affectum & intemperaturã. Nam bonam habẽtes temperaturã, semper generabunt etiam cum malam habentibus coëuntes: malam uero habẽtes solum cum contrariam habentibus coëuntes, gignent.

Conceptio. Est autem conceptio, spermatis, hoc est seminis genitalis, *Sperma.* utriusq; & uiri & mulieris in utero susceptio & apprehen *Semẽ genitale.* sio. Sperma uero siue genitale semen dicitur id ex quo tale quid produci natum est, quale est illud à quo ipsum ge *A uiro & à muliere decidi sperma.* nitum est. Quod autem utriq; & mari & fœmellæ genitale semen insit, & ab utroq; decisum ad fœtus generationẽ concurrat, testis est Hippocrates non uno loco. Nam libro de natura seminis genitalis sic infit, Et in uiro et ĩ fœmina semen & marinum & fœmineum inest. Libro uero de natura pueri & fœtus sic ait, Siquidem semẽ ab utrisq; manauerit in mulieris uterum, primum quidẽ simul miscetur. At libro de morbis quarto, Semẽ genitale, inquit, de membris omnibus uiri & mulieris ad hominis generationem ueniens, & in mulieris locellos decidens cogitur, temporeq; adueniente ex eo humana natura procreatur: quoniam quatuor has humiditates, humorisúe species uir & mulier in corpore habet, quæ sũt heæ, sanguis, bilis, pituita, aqua: quæ non minimam nec debilissimam partem semini porrigunt. Hęc ille. Ab utroq; itaq; semen decidi & in inchoandi hominis domicilio utero suscipi, uel Hippocratis, qui unus pro pluribus sit, testimonio sa *Vterus, Vtriculus, Loci, Vulua, Matrix.* tis manifestum est. Vterus uero quem & utriculum et locos & uuluam & matricem uocant aliqui, est inchoandi hominis domicilium: seu, uti Galenus describit, ἀγγεῖον κυητήριον, hoc est, uas fœtum conseruans. Nam postquam genitale semen apprehendit, adeo contrahitur ut nulla omnino uacua pars relinquatur, & in tantum os clauditur ut ne acus quidem acies ingredi possit, teste Galeno, cuius de locis affectis libr. 6. hæc sunt uerba: Quid autem in rerum natura potest esse admirabilius? nouẽ perpetuis

mensi-

mẽſibus clauditur os uteri, adeo exacte, ut ne ſpecilli quidem acumen admittat: perfecto autem fœtu, uſq; adeo diſtenditur, ut totum animal per ipſum egredi poſſit. Hanc uteri clauſionem teſtatur etiã Hippocrates libr. aphoriſmorum quinto hijs uerbis, Quæ utero gerunt, hijs uteri os cõprimitur. Sed quia uaria uteri uocabula relata ſunt, nonnihil de ijſdẽ adhuc dicendũ. De aliquibus Plin. lib. 11. ſic profert, Fœminis eadem omnia præterquam ueſicæ iunctus utriculus, unde dictus uterus, quod alio nomine locos appellant, hoc in reliquis animalibus uuluam. Celſus tamen uuluam in homine etiam uocat. Noſtro tempore uulgus imperitum muliebrem naturam & pudẽda perperam uuluam nuncupat. Per matricem Columella fœminam intelligit quæ fœtus gratia tenetur ac parit fœtumq; generat, cum ait, Sint ergo matrices probi coloris, robuſti corporis &c. item, octies anno pullos educat ſi bona eſt matrix. Communis tamen medicorum ſchola matricem nunc uocat uterum. Græci item uterum non uno nomine nominant. Dicitur enim ab illis aliquando μήτρα, hoc eſt matrix, non obſtante quod Ariſtoteles lib. de hiſtoria animalium tertio capite primo, hoc nomine uteri os & ceruicem uocari tradat. Inquit enim, Pars uuluæ interior, loci & uterus appellatur. Vnde fratres uterinos cognominamus. Oſtium autem & ceruix, matrix dicitur. Appellatur itẽ Δελφὺς id eſt uterus, unde ἀδελφοὺς uocant fratres uterinos: item ὑστέρα id eſt loci: quãuis non nunquam etiam pro pellicula accipiatur exteriore, (nam & interior eſt tum tenuior tum mollior,) quæ embryon ambit & ſecunda dicitur & χώριον, eo quod ſit χώρημα, id eſt infantis alueus, ſeu quia χορηγεῖ, id eſt cibũ, ei ſuppeditat. Et hactenus de utero, poſt quẽ os eius eſt quod uteri os uocatur, uidelicet illud quod intus eſt oſtiolum ubi loci deſinunt & uterus, collum uero incipit, quod Galeno teſte, magis proprie os uteri diceretur. Nam altera colli extremitas, quæ mulieris pudendis coniungitur, non

Vulua. *Matrix.* Μήτρα. Δελφὺς. ἀδελφοί. ὑστέρα. *Secunda.* χώριον. *Vteri os.* *Vteri collum.* *Vteri ceruix.*

uteri, sed ipsius colli os haud sine ratione diceretur.
Post os uteri est ceruix carnosa, cartilaginea, modiceq́ ob
Canalis. dura, quæ ab uteri ore inchoat ac recto tramite ad mulie
Trachelus. brem usq; naturam fertur, per quam & menses egrediun
Colli uteri os. tur, & foramini fistulæ uesicæ contermina est. Hanc etiā
Porus primus. collum uocant uel trachleum, Celsus canalem. Huius os
Cletoris, porus primus uocatur, & ex partibus interioribus peni-
Nympha, tioribusq́ intra cletorem, primū occurrit. Cletoris uero
Eugion, hymē. quam & Nympham & Eugion & Hymen nominăt, est
in parte extima ac omniū prima, hoc est, in muliebris pu
dendi medio neruosa exilitas & tunicula, integritatis ac
uirginitatis argumētum: quā mēbranulā primus dirimit
coitus, qua rupta et cruor emanat ob colligationes uenu
lasq́ tenues, quib⁹ ex adiacētib. partibus exortis cōtexi-
Muliebris na- tur. Tandem pars illa muliebris pudenda occurrit, cui
tura, os ge- carnis tuberculum hiulcum bifidumq́ prominet. hanc
nitale. etiam muliebrem uocāt naturam ac genitale muliebre &
Partus. os genitale. Sed de hijs nunc satis superq́. *Partui.*) Par-
tus est completi & perfecti iam in utero fœtus in has uita-
les auras exitus. Qui naturaliter fit nono mense aut deci-
mi initio. Et hoc iustum nascendi tempus est. Qui antea
nascuntur, raro superstites permanēt. Quomodo autem
in utero afformetur & nutriatur infans & demum in lu-
cem exeat, copiose docet Hippocrates libro de pueri fœ-
túsue natura: quæ breuitatis causa hic nūc omitto. *Irrita.*)
Vana, cassa, frustranea & ad effectum non peruenientia.
Coniugiū unde *Coniugij.*) Matrimonij, extra quod omnis coitus illicitus
dictum. est et prohibitus. Dictum est aūt cōiugium, à iugo, quasi
duorū ad unū iugū coniunctio, ut pares operis uices su-
stineant, quemadmodū & coitus ex æquo negotium ha-
bent, itidem ut in iugo. *Sterilis.*) Infœcundi & fructū nō
ferentis, hoc est, ex quo soboles non suscipitur. *Munera.*)
Coniugij munus & officium est, ex coitus negotio prolis
susceptio & generatio. *Languent.*) Marcent & fructū non
ferunt. *Fœmineo.*) Cuius uitio, uiri ne an mulieris conce
ptio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ptio præpediatur, silentio se præteriturum ait Serenus: remittit tamen nihilominus nos ad quartum librum Lucretij ubi id habetur. Impeditur aūt ex parte uiri quidem ob seminis intemperaturā frigidā uel humidā, ob quam semen non bene concoquitur & ad conceptionem redditur ineptū. Quod si intemperatura frigida sit mediocris, indiget utero calido sufficienter: si uero immodica, omnino sterilis est. Sic etiam si intemperatura humida sit modica, utero indiget calidiore & ficciore: si immodica, sterilis est. Eodem modo & propter excellentē calorem, semen fit tosto simile. Simliter ob siccitatem, ubi primū excidit, neq; extendi potest, cū extensio necessaria sit ad conceptionem. Nam, ut in libro de semine scribitur, Mulier non concipit, nisi per uteri cauitatem parte plurima semen extendatur. In mulieribus autem male temperati uteri si parum à bonitate recedant, difficulter concipiunt: si uero nimium, mulieres steriles fiunt. Non concipiunt autem quęcunq; frigidos uteros habent, propter substantię ipsorum spissitudinem et densitatem ualde frigidos uteros ex necessitate comitantē. Similiter quæcūq; præhumidos habēt uteros, ut in quibus genitura extinguatur. Item quæcunq; siccos, magis & adurentes: nam ex defectu alimenti semen in hijs corrumpitur. Porrò quęcunq; ex utrisq; mediocrem habent temperaturā, heæ fœcundę sunt: autor Hippocrates, Gal. Sunt & alia conceptionis impedimenta, quæ breuitatis causa omitto. *Res.*) Conceptionis inpedimentum. *Hoc.*) Scilicet cuius uitio contingat. *Natura*) Vis concipiendi impedita tanquam naturalis reputata, hoc est, infœcunditas & uteri dispositio citra omnē aduersam ualetudinem ad cōcipiendū inidonea. *Victa.*) Superata & conceptioni præparata. *Studio curante.*) Diligenti cum medicinæ auxilio adhibita cura.

Conceptionis impedimenta et sterilitatis causa.

Aut igitur leporis consumit fœmina uuluam:
Aut ouis in stabulis fractas cum ruminat herbas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Pendentem ſpumam molli deducit ab ore
Atq; illam meminit mixto potare Falerno.
Mercurialis item capitur communiter herba
Sic cubitum noctu coniunx feſtinat uterq;.

Leporis uulua. *Leporis uuluam.*) Præteſtato quod medicamentis cōceptionis impedimentum tolli poterit, & uterus ad concipiendum idoneus fieri: ponit nunc conceptionem promouentia remedia. In primisq; magnus inter talia eſt leporis uſus mulieribus, nec modo uulua ipſius fœcunditatem ipſis adfert, ſed & concẽptus leporis & teſticuli & coagulum, ut refert Plinius, cuius lib. 28. capite 10. hæc ſunt uerba: Si uuluæ leporum in cibis ſumantur, mares concipi putant: hoc eſt teſticulis eorum & coagulo profici. Conceptum leporis utero exemptum hijs quæ parere deſierint, reſtibilem fœcunditatem adferre. Ex quibus uerbis etiam non ſolum hijs remedijs fœcundas reddi mulieres colligitur, ſed & maſculos etiam concipere ſolere. *Conſumit.*) Edendo abſumit & cōmedit. *Fœmina.*) Mulier infœcunda & concipere deſiderans. *Ouis ſpumam.*) Huius medicamenti uim & naturam conceptionem promouentem apud alios autores legiſſe me non memini, quare penes huncipſum fides maneat. Talem autẽ effectũ occulta ui quadam producit, ſi modo id agit. *Stabulis.*) Stabulum proprie hominũ diuerſorium ſiue hoſpitium ſignificat, uti Perottus tradit. Petronius, Cum errarem per totã ciuitatem, nec inuenirem quo loco ſtabulum reliquiſſem. Hinc etiam ſtabula, loca in quibus armẽta & greges conſiſtunt in agris et ſub diuo ueluti ſtationes illorum. Verg. Montano flumine torrens cũ ſtabulis armenta tulit. Accipitur etiam ſtabulum pro ſtatione & habitatione quacunq; & loco ubi quis ſtare conſueuit. Varro, Equinũ pecus paſcẽdum in pratis potiſſimum herba, in ſtabulis ac præſepibus arido fœno. *Fractas.*) Frangendo & decerpendo comeſtas. *Ruminat.*) Ruminare eſt cibum per os aſ

Ouis ſpuma.

Stabulum.

Ruminare.

ſumptũ

sumptũ & in uentriculo iam contentũ, in primis quidem ad os subleuando reducere, deinde multo tempore mandendo terere, postremo rursus ipsum deuorare, idq; non in eundem, sed in alium uentriculum. Galenus de locis affectis lib. 6. cap. 6. *Meminit potare.*) Id est, potat & bibit. *Falerno.*) Vino optimo, quale est Falernũ, de quo dictum est supra cap. 28. *Mercurialis.*) Qualis herba sit Mercurialis & quæ species eius, dictum est supra capite 27. Natura illi conceptum adiuuare: et, ut Dioscorides tradit, creduntur fœminæ Mercurialis herbæ folia trita, tum pota, aut post purgationes fœminarũ genitalibus apposita, ut fœminæ concipiantur facere: masculæ uero contra, mares. Oportet autem ipsam altero à purgatione die dare mulieribus per triduum, & quarto die à balneo coire eas, ceu Plinius uarios etiam exhibendi modos referens docet, et ut de leporis uulua etiam dictum est. Hęc herba quoniam Mercurij inuentum est, à Latinis Mercurialis, à Græcis ἑρμοῦ πόα, id est Mercurij herba, dicta est. *Capitur.*) Accipitur & assumitur. *Cubitum.*) Ad concubitum, rem ueneream & coitum peragendum. *Noctu.*) Pudor enim nos docet interdiu rem ueneream non esse exercendam: sed tempore solum nocturno, & in tenebris, nõ sub luce. *Coniux.*) Citra enim coniugium, haud licitum est homini coitu uti, diuina etenim lege id nobis prohibitum est: uerum qui abstinere non poterit, is nubat in domino & intra legitimi thori limites & præscriptum se contineat. Melius enim est nubere quàm uri & scortari, deiloquo Paulo teste. *Vterq;.*) Mas & fœmina. Mercurialis.

Atq; ubi iam certum spondet prægnatio fœtum
Vt facili uigeat seruata puerpera partu
Dictamnum bibitur, cochleæ manduntur edules,
Vt menses olim minus octo moratus in aluo
Irrumpat thalamos & nexus soluat inertes,
Pulegio admixto uenit embryo nectus aceto,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Cuius opem ueram casus mihi sæpe probarunt.
Quin etiam stercus supponunt uulturis atri
Sentiat ut minimum partus quã proximus urget.
Oua etiam rutæ ac fragili miscentur anetho,
Quæ diluta simul uino atq; exhausta medentur.

Atq; ubi iam.) Docet nunc quæ partum accelerant medicamenta, quibus aliquãdo opus est uti propter pariendi difficultatem, quæ nonnunquam mulieribus haud parum periculi & mortem ipsam adferre solet: ad quod cauendum & prægnantem saluandam, medicinis opem ferre necessum est. *Spondet.*) Promittit, & certo fœtũ in utero esse conceptum indicat. *Prægnatio.*) Impraegnatio, & fœtus in utero conceptio. *Vigeat.*) Viribus constet et saluetur. *Seruata.*) Per medicaminum uim incolumis custodita. *Puerpera.*) Puerpera dicitur quæ iam peperit & ædito fœtu facta est mater. *Dictamnum.*) Non potu tantum, uti Serenus tradit, sed & illitu & suffitu sine puerperæ uexatione & periculo partum ex utero pellit dictamnum: nec modo uiuos partus accelerat, sed & emortuos uel transuersos, & secundas quoq; eijcit ex uino ubi febris absit, si uero febricitet, ex aqua potum, autor Celsus, Plinius, Apuleius, Dioscorides. *Cochleæ.*) Cochleas item in cibo sumptas partum accelerare testatur etiam Plinius libro 30. cap. 4. *Edules.*) Edulis, ab edo quod manducari potest, dicitur. *Vt menses minus octo.*) Relatis quæ uiuum partum accelerant remedijs, ponit nũc ea quæ mortuum expellunt. Solet enim interdũ infans ante octauum mensem in utero emori, quem mortuum prægnans debilis expellere nequiẽs, in parturiendo laborat, periculoq; imò & morti ipsi subijcitur: quod tamen ne accidat sed salua seruetur, maxime enitendum erit, et auxilium illi ferendum medicamentis ad partum eijciendum idoneis, qualia Serenus nobis nunc proponit. *Aluo.*) Aluũ hic pro utero accipit. *Irrumpat thalamos.*) In cubiculũ et hunc

Puerpera. Dictamnus. Cochleæ. Edulis. Aluus.

mun

mundum ex utero emergat & expellatur. *Nexus inertes.*) Hoc eſt, quibus utero alligatur fœtus ligamenta debilia, quæ Grçci cotyledones, Latini acetabula uocant, quibus *Cotyledones.* embryo & partus per umbilici radices utero ualentiſſi- *Acetabula.* me continuatur. Quamuis etiam cotyledones aliquando pro uaſorum oris accipiantur, quę ad uterum ueniũt, ex quibus ſecundæ pendent: non, ſicuti quidam putant, pro adnatis ipſis carnibus adenoſis, uti tradit Galenus. Praxagoras item in libro 1. de naturalibus, Cotyledones, inquit, ſunt ora uenarum & arteriarum quæ ferunt ad uterum. *Soluat.*) Abrumpat. *Pulegio.*) De pulegio quã= *Pulegium.* tum ad hunc locum attinet, Dioſcorides ſimpliciter ſic pronunciat, Pulegium potum menſes, ſecundas, & fœtus trahit. Plinius uero libro 20. cap. 14. Ex melle & aceto, ait, citat menſtrua & ſecundas, uuluas cõuerſas corrigit, defunctos partus eĳcit. Apuleius demum, Si infans, inquit, in utero mulieris mortuus fuerit, pulegĳ codas tres recentes quæ adolent ſuauiter, tritas in uino uetere optimo, ſextarĳ quartario da bibat, liberabitur. *Venit.*) Egreditur & eĳcitur. *Embryo.*) Heſychius in lexico, ἔμβρυον, *Embryo.* inquit, νεογνὸν βρέφος. τὸ ἐν γαστρὶ γυναικὸς ὂν διάπλασμα ἢ ὀλίγον, hoc eſt, Embryo eſt nuper genitus infans. Eſt & in uentre ſeu utero mulieris adhuc exiſtens figmentum & conceptus uel minutus & imperfectus. *Nectus.*) Enectus, mortuus. *Cuius opem.*) Pulegĳ auxilium in educendo fœtum mortuũ. *Caſus.*) Experimẽta. *Quin etiam.*) Inſuper. *Stercus uulturis.*) Quod hic circa fœtus eiectionẽ de *Vulturis ſter-* uulturini fimi ſuffitu teſtatur Sere. & cũ eo Dioſco. id de *cus, penna.* penna uulturina pedibus ſubiecta aſſerũt Plin. & Sextus Plat. *Supponunt.*) Subĳciũt, & ſuffiũt. *Sentiat ut minimum.*) Hoc eſt, ut ſine labore et dolore partũ ædat. *Partus quã proximus urget.*) Hoc eſt, quę iã parturit et partu laborat. *Oua etiã rutæ &c.*) Idẽ medicamentum ponit etiam Plin. lib. 29. cap. 3. niſi quod cyminũ addit, inquiens: Tota oua adiuuant partum cum ruta & anetho & cymino ex uino.

PROFLVVIO CVIVSCVN QVE SANGVINIS ET MATRICI.

CAPVT XXXIII.

SI modicus pleno manat de corpore ſanguis,
Subuenit. At nimius cum uita funditur ipſa,
Quapropter multo naris completa cruore
Cum fluit, attritus cimex conducit odore.
Lana oleo madeſit ſed nondum lauta roſarum,
Hæc datur in nares, uel claudet denſius aures.



ROFLVVIO *cuiuſcunq;.*) Sanguis à uarijs partibus fluere ſolet, utpote à naribus, utero, ueſica, & alijs, quorum omnium fluxui hoc capite mederi docet Serenus. *Matrici.*) Vtero, hoc eſt, accidẽtibus uterum concernentibus, qualia ſunt ſanguinis mẽſtrui fluxus nimius, aut eius præter naturã retentio, ſiue poſt partum ſiue aliâs id fiat: item fœtus mortuus & ſecundæ retentio. *Si modicus pleno.*) Ex medicorum decretis eſt, Plethorico & ſanguine pleno exiſtente corpore, nullum ſauguinis fluxum moderatum ſiſti debere. Omnis enim talis & commodo eſt et à multis grauibus affectibus & morbis hominem tum pręſeruat tum liberat, præſertim qui creticus fuerit. Nimius uero undecunq; etiam fluxerit, non modo nõ commodus aut non utilis eſt, ſed maxime nocet ac uitam ſæpius cum morte ipſa permutat. Et talis utiq; neutiquam negligendus eſt, ſed ſummo ſtudio reſtringẽdus: id quod & Serenus nũc docet. *Cimex.*) Cimex uermiculus eſt fœtens, & ex ligno, chartis & paleis naſcens. Cuius atriti fœdo odore ſanguinem è naribus fluentem ſiſti, autor nunc eſt Serenus. *Lana oleo mad.*) Plinius huic medicamento parum allij addit, dum ſic ſcribit, libro 29. cap. 2. Lana ſuccida

Canon. Cimex. Lana ſuccida.

ſanguinem

sanguinem in naribus sistit cum oleo rosaceo & allio indita modico auribus obturatis spissius. Oleum enim rosarum sanguinis feruorem refrigerando acuitatem ipsius obtundit, glutinat etiam & adstringit. Lana uero ne nimium refrigeret, facit. Oportet enim huiusmodi medicamenta non esse nimis refrigerantia, ne frigus nocumento sit. Oportet etiam quum naribus imposita sunt, ut nasus bene stringatur donec uim suam bene impresserint. *Non dum lauta.*) Id est, succida & à sordium suarum pinguedine, quę œsypus est, nondum abluta aut purgata. *Lana succida.*

Contritis prodest cochleis conducere frontem,
Aut galli cerebro, uel sanguine tinge columbæ,
Quod nisi supprimitur, sanguis potãdus & ipse est.

Cochleis.) Idem tradit Plinius hijs uerbis: E naribus fluentem sanguinem sistunt cochleæ contritæ frõti illitæ, idq́ꝫ, ut Dioscorides ait, ex aceto. *Conducere.*) Inducere, imponere, & illinire. *Galli cerebro.*) Non modo cerebello, sed & sanguine gallinacei profluuia à cerebro sisti prodit Plinius libr. 30. cap. 3. Cum autem à cerebro dicit, oportet illud intelligere non à substantia cerebri, quę exanguis est, sed de membranis cerebrum continentibus, ut aperte docet Dioscorides libr. 2. dicens: Cerebrum gallinaceorum compescit ex cerebri membranis erumpentẽ sanguinem. Membranæ enim sunt, quæ uenas habent sanguinẽ continentes. Porrò hij administrandi modum non docent. Serenus illini iubet. Serapio, Auicenna & Mesue, comestionem laudant, idq́ꝫ de gallinarum cerebro affirmant: sed nihil refert, eiusdem enim naturæ sunt. Est autẽ huiusmodi cerebrum ex medicinis quæ à proprietate quadam singulari talẽ sanguinis fluxũ cõpescunt, uti tradit Mesue. Sed oportet ut frequẽs sit eius comestio. Vnde Auicenna quinta tertij, tract. 1. cap. 9. inquit, Congregatio experientium existimat, quod cerebella gallinarum sunt ex melioribus cibis, imò ex melioribus medicinis ei qui habet

Cochleæ.

Cerebrũ galli.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

fluxum sanguinis narium ex casu aut percussione, uerum oportet ut ex eis plurimum sumat aut fiat ei cibus continuus. *Sanguine columbæ.*) Duos sanguinis columbini administrandi modos proponit, unum per illinitionẽ, quo non proficiente, alterum subiungit per potum. Plinius, E naribus, inquit, fluẽtem sanguinem sistit columbinus sanguis seruatus, concretus q; & eum quidem, autore Auicenna, qui ex cerebri membranis fluit: quod Dioscorides quoq; testatur inquiens, Sanguis columbæ priuatim sanguinis ex cerebri membranis eruptiones compescit. *Tinge.*) Fronti illine. *Supprimitur.*) Sistitur.

Sanguis colũbæ

Præterea pharijs caput hic metire papyris,
Detrahe quod super est alio genitalia necte:
Fœmineas prodest illinc uincire mamillas.

Sanguinem sistendi è naribus duo modi.

Præterea pharijs.) Docet nunc duobus modis diuersis sanguinis profluuio è naribus mederi, & id quidẽ ex eadem planta sed diuersis eius partibus sumpto remedio. Primus uero modus est, uias & ductus unde sanguis fluit coartare, & hoc cum altera plantæ parte quæ interior est, & uirtutis est conglutinantis ac stipticæ, ipsam fronti & temporibus imponendo: non quidẽ simpliciter solam qualis est, sed aut infusam aut in cinerem cõuersam. Nam, uti Serapio autoritate Galeni capite Burdi scribit, hæc planta non administratur in medicina sola sicut est, sed postquã infunditur & comburitur: Et hæc quando infunditur cũ aceto et aqua aut in uino solo incarnat uulnera recẽtia, maxime quando apponitur circa uulus ipsum, nisi quia secundum hunc modum est sicut materia unius medicinarum quæ sanant, & quando comburitur, conuertitur ad medicinam desiccatiuam. Verum tamen efficacior in hoc est factæ ex ea crematæ chartæ cinis, autore Dioscoride. Secundus modus est, sanguinem auertere & ad alia membra conuertere, tum ad uicina deriuando, tum ad cõtraria reuellendo, quod & natura ipsa facere solet. Mulieri

Papyri diuersæ partes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

fieri enim, inquit Hippocrates, sanguinem uomenti, menses superuenientes remedio sunt. Ad uicina deriuationẽ Græci parocheteusin: ad contraria reuulsionem antispasin uocant. Et hanc hic nos docet Serenus. Et hæc in ĳs quę supra sunt omnibus, deorsum semper agitur: sursum in ĳs quæ sunt infra, uti docet Galenus therapeuticæ lib. 5. Curabimus itaq; sanguinis fluxum à naribus, sanguinem deorsum reuellendo: & id quidem non per uenæ sectionem aut cucurbitarum appositionẽ, quod etiam aliquando fieri solet, sed per ligaturas & compressiones dolorosas factas a: ut in testiculis, si mas fuerit: aut, si mulier sit, in mamillis, uti Mesue quoq; docet, nedum hic Serenus, qui ad hoc sumere iubet papyri librum & corticem ex quo funiculi fiunt. Sed quia papyro ista nos caremus, nihil intererit, si alterius generis funiculus accipiatur. Nã dolor qui ex ligatura prouenit, potior causa est quæ sanguinem reuellit, quo reuulso, fluor etiam sistitur. *Pharijs.*) Aegyptĳs. Pharos Aegypti olim insula fuit contra Nili hostia, à continenti noctis dieiq; uelifico nauigĳ cursu distans, ut Homerus prodidit: nunc continenti adiacet & Alexandrię ponte iungitur, à Cæsare dictatore deducta colonia. Cuius promontorium est petra quædam mari circumluta, quæ turrim habet ingentem & multis tabulatis excelsam & albo lapide mirifice structã eodem nomine quo insula. E qua nocturnis ignibus & accensis facib⁹ nocturna dirigitur nauigatio: autor Strabo, Mela, Plin. Solinus, Aegesippus & alĳ. *Hic.*) Scilicet in fronte. Prius enim frontem etiam illinire iussit. *Metire.*) Hoc est, ad frontis circumscriptionẽ & magnitudinem commensurando & adęquando eidem imponito. Quæ enim loco alicui toto imponuntur, illa eundem æquare, metiri, & mensurare dicuntur. *Papyris.*) Papyrus ẽ qua charta fit, & à Græcis βύβλος etiam dicitur, palustris planta est, & ut Strabo scribit, nuda uirga, lanuginem quandam in summo habens, quę nascitur in Aegypti lacubus

Parocheteusis.
Antispasis.
Pharos.
Ὀδ ὑσσ. δ.
Libro. 17.
Libro. 2.
Libro. 5. ca. 31.
Cap. 41.
Lib. 4. ca. 27.
Papyrus.
Byblus.

ac paludibus: & quidem in inferioribus ipsius delta partibus permulta: in aliјs uero locis, quia non colitur, non multa. Et alia quoq; deterior, alia uero melior, hieratica appellata. Nonnulli prouentum augeri cupientes, Iudaicam industriam huc transtulere, quam illi in palma & maxime in Cariotica, atq; balsamo adinuenerunt. Non enim permittunt eam multis in locis nasci: quo fit ut pecuniæ precium imponentes, prouentum quidem augeant: communem uero usum atq; commoditatem uident. Hæc ille. Plinius uero, Papyrum, inquit, nascitur in palustribus Aegypti, aut quiescentibus Nili aquis: ubi euagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum. Brachiali radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem fastigiatũ thyrsi modo cacumen includẽs. Semine nullo aut usu eius alio quàm floris ad deos coronandos. Radicibus incolæ pro ligno utuntur: nec ignis tantum gratia, sed ad alia quoq; utensilia uasorũ. Ex ipso quidem papyro nauigia texunt: & è libro uela tegetes q́;, necnon & uestem, atq; stragula ac funes. Præparantur ex eo chartę diuisę acu in prætenues sed quã latissimas phyl luras. *Quod super est.*) Id est, partem superiorem. ALIO.) Hoc est, libro & cortice interiore, ex quo funes & alia texuntur & fiunt. *Genitalia.*) Hoc est, testiculos, si quidem mas fuerit cui sanguis à naribus fluit: nam in fœmina id fieri nequit. *Necte.*) Forti & dolorifica ligatura cõstringe ac comprime. *Fœmineas mamillas.*) Quemadmodum in uiris ob genitalium ligaturam & cõpressionem fortem sanguis à naribus fluens auellitur & fluor sistitur: ita etiam in mulieribus per mamillarum constrictionem eadem ratione fit idem. *Illinc.*) A parte tum naribus tum genitalibus apposita.

Menstruus immenso si profluit impete sanguis
Succida lana malos remoratur subdita cursus:
Mortua quin etiam producit corpora partu,

Sed quacunq; fluit uis immoderata cruoris,
Subereus cortex calidis potatur in undis
Ante minutatim studio uincente terendus.

Menstruus immenso.) Menstruorum fluxus, moderatus quidem, bono est, & incolume seruat corpus, nam eo ab excrementis perpurgatur: quæ ut idem ægrotet, causa sunt. Vnde talis fluxus moderatus sisti non debet. Immodicus autem, similiter & prępeditus, morbos conficiunt: quod & Hippocrates aphorismorum lib. 5. testatur inquiens, Si menstrua plura fiant, accidunt morbi: et si non fiant, ex utero morbi contingunt. Causa autem ob quam plura fiunt quàm opus sit, est orificiorum uasorum ad uterum uenientium ultra modum apertio, aut si sanguis calidior tenuiorúe fiat, aut multitudine abundet: aut ubi totum corpus propter malum habitum aliquē aggrauatur sanguine, etsi modum naturæ conuenientem sua multitudine non excedat. Verum quæcunq; causa fuerit, si immodicus sit fluor, ne morbi accidant, sistendus est. Quod & Serenus præsenti loco nos docet. Cæterum dicitur sanguis menstruus siue purgatio mēstrua, quia singulis mēsibus fluere solet. *Impete.*) Pro impetu, per antithesin, quę literæ commutatio est. *Succida lana.*) Eosdem lanæ succidæ effectus testatur etiam Plinius libro 29. cap. 2. dicens, Succida lana imposita subditaq;, mortuos partus euocat, sistit etiam profluuia earum. *Malos cursus.*) Fluxum menstruorum immodicum qui malo esse solet, ac morborum causa. *Mortua corpora.*) Fœtum in utero mortuum. *Producit.*) Educit, euocat & extrahit. *Partu.*) Per partum & uia partus. *Sed quacunq;.*) Scilicet parte corporis. *Subereus cortex.*) Plinius libro 24. cap. 4. Suberis cortex tritus ex aqua calida & potus, sanguinem fluētem ex utralibet parte sistit. *Minutatim.*) In minimas & subtiles partes & puluerem minutum. *Studio uincente.*) Id est cura & diligētia superante & opera laboreq; diligenti.

Causæ fluxus menstruorum.

Sanguis menstruus cur dictus.

Lana succida.

Suberis cortex.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Sed si forte cruor clausa cunctabitur aluo,
Pulegij calido purgatur fœmina potu,
Aut molles nepetæ, aut rutæ quæcunque bibentur.

Sed si forte cruor.) Docet nunc menstruorum retentioni mederi, idque merito. Siquidem menstruis deficientibus morbos fieri, iam uel ex Hippocratis autoritate patuit. Cum itaque retinentur, ne morbi accidant, præcauendum est: idque ipsa prouocando forasque proliciendo: quod fiet, res causæ aduersantes administrando. Cum autem causa sit, aut uenarum per quas ad uterum ferūtur compressio uel obstructio, adeo ut quod influit, non admittant: aut quia sanguis est iusto frigidior aut crassior, ideo medicinas exhiberi oportebit quæ obstructiones adaperiant, & quæ refrigeratum sanguinem excalfaciant, crassumque extenuent & fluorem cieant: quales autor in textu nobis proponit. *Clausa aluo.*) Vtero & matrice obstructa. *Cunctabitur.*) Remorabitur, & retinebitur. *Pulegij.*) Pulegiū menses trahere potum simpliciter, etiam testatur Dioscorides. Plinius uero ex melle & aceto potum id facere prodit. Macer, Mēstrua, inquit, deducit cum uino sumpta tepenti. *Purgatur.*) A menstruis emundatur & alleuiatur. *Nepetæ.*) Nepetæ folia, ut Dioscorides ait, feruido sapore & acri gustu sunt: eadem concisa & apposita menses ducunt. Plinius in aqua ad tertias decocta mulierum menstruis prodesse simpliciter pronūciat. Macer uero, Appositu, inquit, potuque suo cito menstrua purgat. *Rutæ.*) Et syluestris & hortensis. Vtræque enim uuluas aperiendo menstruum sanguinem proliciunt & educunt, uel Dioscoride testante. *Quæcunque.*) Hoc est, siue hortensis siue syluestris, aut utraque simul.

Causæ retentionis menstruorum.

Pulegium.

Nepeta.

Ruta.

At si puniceos fundit uesica liquores,
Marrubium è sparsis tritum perfunditur undis,
Hij poterunt haustus rutilum purgare cruorem:
Reliquias partus eadem tibi detrahet herba.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

At si puniceos.) Tradit nunc autor remedium aduersus urinam sanguineam, docens illam, non ut alios sanguinis fluxus sistere, sed purgare potius et foras propellere, ne in uesica aliquando pars crassior subsidens in grumos aut calculos tandem coalescat & induretur, sicque maius malum efficiat. Agit autem non de omni cruenta urina, sed de ea tantum quæ aut uirtutis sequestratiuę uitio accidit, cum scilicet in sequestrando sanguinem ab aquositate in nutritione renum patitur defectum, aut ubi aliunde sanguis in uesicam delabitur et cum urina foras egreditur: et id quidem citra uesicæ aut renum uitium. *Puniceos.)* Color puniceus, est qui et phœniceus & spadix & rutilus dicitur. Estque ruffi coloris species, de quibus copiose A. Gellius Atticarum noctium libro 2. cap. 26. Vocat itaque Serenus puniceos liquores, ipsum sanguinem qui rutilo colore est. *Marrubium.)* Marrubio uis est purgans atque detergens, urinamque prouocans. Vnde triti & aqua aspersi extractus succus epotus uesicam à turbidis & immundis in ea humoribus purgat et emundat. Cauendum tamen exulceratæ uesicæ & renum uitijs, uti Plinius præcipit, hijs enim nocuum est, teste Dioscoride. *Hij haustus.)* Scilicet succi marrubij. *Reliquias partus.)* Hoc est, menses & secundas quæ ędito partu detinentur. *Eadem herba.)* Scilicet marrubium. Datur autem ad bibendũ uel siccorum foliorum & seminis ex aqua decoctum, uel uiridium foliorum expressus succus. Quod autem mulieribus quæ non purgantur menses ducat & purget, secundasque pellat, testantur etiam ultra Serenum Dioscorides, Plin. Macer, Auicēna & alij. *Detrahet.* Deducet, eijciet & expellet.

Vrinæ cruentæ causa.

Color puniceus.

Rutilus.

Marrubium.

Reliquiæ partus.

Quod si fœminei properabit sanguinis imber,
Est qui frusta molæ percussu decutit uno
Quorum aliquid lanis tectum ad præcordia nectit,
Hæc simul incantans, sisti debere cruorem,
Vt lapis ille uiæ solitos iam destitit orbes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Sanguis fœmineus. *Quod si fœminei.)* Fœmineum ſanguinem uocat mulieris menſtrua, quorum nimio fluori nunc denuo & quidem aliorum traditione docet mederi. *Properabit.)* Accelerabit & profluet. *Imber.)* Impetus & fluxus inſtar imbris multum profluẽs. *Eſt qui.)* Per hoc inteligere dat nobis, non ſe, ſed alios medicamenti huius ſuperſtitioſi autores eſſe & adſertores. Sed quia uulgo id receptũ erat tanquã uerum & efficax remedium & cuius effectus ſæpius probatus fuerit, non diſplicuit illi idem alijs quoq; ſubnectere: nõ quod ſuo id adprobaret iudicio, ſed aliorum ſolum referret opinionem. Quid uero de hoc & alijs ſimilibus ſuperſtitioſis à gentilibus profectis remedijs, quorum effectus aliquãdo fieri cernimus, ſentiendũ ſit nobis Chriſtiano nomine inſignitis, aliorum eſto iudicium. *Mola.* *Molæ.)*
Lapis molaris. Lapidis molaris, ſcilicet ex quo molas quibus molimus faciunt & qui molæ uſum iam præſtitit, Græce μύλαξ & mylites dicitur. Verum quia ex duplici lapide conſtituitur mola, uno inferiore qui ὄνος uocat & immobilis ſemper iacet: altero uero ſuperiore qui μύλος καὶ μύλη appellatur, & circũuoluitur & dum molitur in continuo curſu eſt, de hoc ſuperiore ad medicum hunc effectum fruſta decutienda ſunt & adfigenda adaligandaq;: quod uel ex ſequentibus uerbis intelligitur, quę ſunt, Vt lapis ille uię ſolitos iam deſtitit orbes. Et ex hijs facile ueræ lectioni reſtitui poterit Heſychij in lexico locus, ubi ſuperior molæ lapis ὄνος uocari legitur, inferior uero μύλη, cum opoſitũ cõſtet. Scribitur aũt in dictione μύλη poſt alia ſic, οὕτω λέγεται καὶ ὁ κάτω τῆς μύλης λίθος, τὸ δὲ ἄνω ὄνος, hoc eſt, Sic dicitur & lapis molæ inferior, ſuperior autem onos. Vbi ſi tranſponuntur heæ duę dictiones κάτω & ἄνω, uera reſultat lectio ſic, οὕτω λέγεται καὶ ὁ ἄνω τῆς μύλης λίθος, τὸ δὲ κάτω ὄνος id eſt, Sic dicitur & lapis molę ſuperior, inferior
Mola unde dicta & quot ſignificet. autem onos. Dicta eſt autem mola, quod ea quaſi molæ quadam frumentum & cæteræ res minutatim teruntur: ſeu à Græca uoce μύλος, ut aliqui uolunt. Aliquãdo tamẽ

mola

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

mola dicitur far tostum & sale conspersum, quo in sacrifi ciis olim utebãtur. Plinius, Mola tantum salsa litant, qui non habent thura. Est item & in muliebri utero mala affectio dicta mola, ubi scilicet caro informis & inanima præter naturam in utero generatur, à Grçcis μυλόσαρξ dicitur. Hesychius, μυλόσαρξ, ἣν αἱ κυοφοροῦσαι ἀντ᾽ ἐμβρύων φέρουσιν. *Vno.*) Vnico, non pluribus. Et in hoc iam superstitio se manifestat. *Hæc.*) Sequentia incantamẽta & carmina. *Simul.*) Scilicet cum appensione & dum appenditur in lana inuolutum. *Incantans.*) Incantare, est uerbis solis uel etiam rebus quibusdã adiunctis, supra naturam aliquid moliri, ut serpentes contrectare, hostia sine clauibus aperire, amorem sibi conciliare, morbos curare, & alia id genus deliramentorũ contra naturã facere. Quod stultitiæ genus mirum est profecto ita hominum mentes occupasse, ut uiri etiam insignes & uulgus ipsum, etiam in religione Christiana, nedum gentiles, id uerum esse & talia efficere posse sibi persuaserint. An autem homini in medendo aliqua uis sit uerborum: & an id agere bonum sit aut malum, aliorum iudicio discutiendum relinquo, paucis tantum Plinij libro 28. capite 2. uerbis relatis, quę sunt hæc: Ex homine remediorum primũ maximæ quæstionis & semper incertæ est: Valeant ne aliquid uerba & incantamenta carminum. Quod si uerum est, homini acceptum fieri oportere conueniet. Sed uiritim sapientissimi cuiusq; respuit fides. In uniuersum uero omnib⁹ horis hominis credit uita, nec sentit. Et post multa deliramẽtorũ exempla sic finit: Sed in prodendo obstat ingens uerecũdia in tanta animorũ uarietate. Quapropter de hijs ut libitũ cuiq; fuerit opinetur. Hæc Plinius. Ab incanto dicitur incantatio & incantamentum, pro quibus etiam carmina aliquando usurpantur. Vergilius, Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnin. Et Plin. Carmina quędam extant contra grandines, contraq́ morborum genera. Cæterum uerbo incantare contrarium est.

Incantare. *Incantatio.* *Incantamentũ.* *Carmina.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Excantare. Recantare.

excantare, quod est, rem incantatam alio carmine liberare, quod & recantare aliquando dicitur. Plinius, Quin etiam & legum ipsarum in 12. tabulis uerba sunt, Qui fruges excantasset. Et alibi, Qui malum carmen incantasset. Idem, Non pauci & serpentes ipsos recantari putant. *Cruorem.*) Sanguinem menstruum. *Viæ.*) Qua rotabatur & uoluebatur. *Orbes.*) Gyros, circumactus & reuolutionum cursus. *Destitit.*) Dereliquit, cessauit.

INTERNECANDIS QVAE OCVLOS IMPEDIVNT.

CAPVT XXXIIII.

MOBILIS hirsutas horret lasciuia setas
Et gaudet rapto nudari flore pilorum:
Sed bona nonnunquam uellendi causa uidetur,
Corpora cum releuat ratio manifesta salutis,
Nanque oculos infesta pilorum tela lacessunt,
Quodque illis dederat uallum natura tuendis,
Inde inimica seges proprios desæuit in orbes.



NTERNECANDIS.) Interimendis, intercipiendis & euellendis, nec nõ euulsis ne renascãtur cohibẽdis. *Quæ oculos impediunt.*) Hoc est, palpebrarum pilis oculos uel prolixa acutie sua uel incuruatiõe infestãtibus & lacessentibus, quos ob salutis commodũ euellere, et ne renascantur efficere, præsenti docemur capite. Solent autem duabus de causis oculos irritare qui in palpebris sunt pili. Aliquando enim pili naturales ad oculos conuertuntur, et hoc ubi palpebræ superioris summa cutis relaxata procidit, non simul remittente se cartilagine. Aliquando uero sub ordine naturali pilorum alius ordo præter naturam succrescit, qui pro-

Duplex causa pilorum palpebrarum oculos irritantium.

protinus intus ad oculum tendens pungit: cuiusmodi affectio dystrichiasis appellatur, de qua nũc agit Sere. priorem curare docet Celsus lib. 7. *Mobilis.*) Quia continuo mouetur. *Hirsutas setas.*) Pilos hirsutos, præduros & acutos instar setarũ. Setæ enim pili sunt crassiores, rigidi atq; erecti, quales suum. Pilus uero generale nomen est. At capillus proprie capitis crinis est, quamuis etiam ad alios corporis pilos transferatur. *Horret.*) Abhorret, propterea quod oculos pungunt & lacessunt. *Lasciuia.*) Petulantia, & luxuries ob fœcunditatem eorũ. *Gaudet.*) Ob salutis commodum quod inde sequitur. *Nudari.*) Priuari & euelli. *Rapto flore pilorum.*) Pilis radicitus euulsis. Vocat autem pilorum florem, eorum radicem & originem, quæ albi quid ostentat & floris rationem obtinet, à quo pilus tanquam fructus progreditur & excrescit. *Corpora releuat.*) Oculos ab infestatione & punctione liberat. *Infesta tela.*) Inimicæ pilorum acuties oculos infestantes & pungentes. *Illis uallum.*) Id est, munimentum. Pilorum munus potissimum à natura datum est, ut oculos ab extrinsecus occursantibus rebus præualide tueantur & defendant, à quo cum degenerant & nocumento sunt, protinus euelli et ne renascantur præpediri debeãt. *Inde.*) Ex eo loco scilicet palpebrarum. *Inimica seges.*) Pilorum instar segetis succretio multa & aduersa noxiaq;. *Proprios orbes.*) Hoc est, oculos rotundos & orbiculatos, ad quorum tuitionẽ à natura ordinati erãt. In alio codice scripto legitur, ualidos, id est sanos.

Dystrichiasis.
Setæ.
Pili.
Capilli.
Flos pilorum.
Pilorum palpebrarum munus.

Ergo locum crinis uulsi continge cruore
Quem dat auis tremulis simulat quæ pellibus alas.
Præterea quascunq; uoles auertere setas
Atq; in perpetuum rediuiua obcludere tela,
Corporibus uulsis saniem perfundito ranæ,
Sed quæ parua situ est & rauco garrula questu.
Necnon quæ stagnis cessantibus hæsit hirudo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Sumitur, & uiuens Samia torretur in olla,
Hæc acidis ungit permixta liquoribus artus,
Auulsamq; uetat rursus procrescere syluam.

Psilotra. Ergo.) Propter nocumentū auferendum & salutem promouendam. Ponit autem nunc psilotra, hoc est depilatoria medicamenta, & quæ pilos renasci non finant. *Crinis uulsi.*) In omni enim psilotra uellendi prius sunt pili, uti libro 32. cap. 6. præcipit Plin. *Continge.*) Illine, inunge. *Cruore auis trem.*) Hoc est, sanguine uespertilionis, quæ

Vespertilio. nocturna auis est, sine pulmis tamen: sic dicta, quod uespertino uolatu se proferat. Ouidius Metamorphoseon libro 4. Tectaq;, non syluas celebrant: lucemq; perosæ, Nocte uolant: seroq; tenent à uespere nomē. Harum sanguis inunctus pilos euulsos renasci non finit. Vnde Abinzoar libro 1. Theizir ait, Et semper post exstirpationē ungelocū cum sanguine uespertilionis. Et mox post: Extirpare pilos & radicitus ipsos euellere, & desuper sanguinem uespertilionis, sicut diximus, ponere: cura laudabilis ualde existit. Quamuis Auicenna Canonis lib. 2. dicat hoc non esse uerum. *Tremulis pellibus.*) Mobilibus & trementibus membranis. Nam plumis caret, quapropter potius biforme uolucre animal dicendū esset quàm auis, cum auiū sit habere plumas & pennas. *Simulat alas.*) Hoc est, alas imitatur & repræsentat, alarum enim formā habent, sed plumis caret quæ ad alarum constitutionem pertinent. *Setas.*) Pilos palpebrarum. *Rediuiua tela.*) Pilos renasciturors. *Occludere.*) Obstruere & ne renascantur prępedire. *Corporibus uulsis.*) Id est loco unde euulsi sūt pili. *Saniem.*) Per saniem autor hic non pus intelligit,

Sanguis uespertilionis.

Sanies. sed succum & humorē cruentum siue sanguineum, imò sanguinē ipsum siue purus siue aliis humoribus mixtus is fuerit, quiq; à Græcis ἴχωρ dicitur, sic ipsis appellantibus in cęde & uulnere primam sanguinis à sua natura & integritate declinationem. Plinius saniem etiā uocat. Celsus uero sanguinem. *Perfundito.*) Fundendo inungito

ἴχωρ.

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

& illinito. *Ranæ quæ parua.*) Quam hic Serenus certis notis paruitate & coaxatione deligendam nobis proponit ranam, eam coloris uiriditate designat & cõmendat Dioscorides medicinalis syluæ libro 2. cap. de ranis inquiens, Prohibet renasci euulsos palpebrarum pilios uiridiũ ranarum instillatus sanguis. Et capite de sanguine, Creduntur, ait, depilari oculorum palpebræ uiridium ranarum sanguine inunctæ. Et ad hoc maxime idoneæ sunt aquatiles & coaxatrices, ut quæ minus noxiæ sint: quamuis Plinius effectum hunc terrestrium quibusdam & mutis etiam, idq; tum per se tum aliis rebus adiunctis contribuat. Libro enim naturalis historię 32. cap. 4. sic scriptum reliquit: Ranæ quas diphthitas & calamitas uocant, sanguis earum cum lachryma uitis, si euulso pilo palpebris illinatur, euulsos pilos cohibet. Et paulo post: Est parua rana in harundinetis et herbis maxie uiuẽs, muta ac sine uoce, uiridis, si forte hauriatur, uentres boum distendẽs. Et paucis interiectis, Ranas 15. ait, coniectas in fictili nouo iuncis configunt quidam, succum earum qui ita effluxerit admiscent lachrymæ quæ ex alba uite emanat, atq; ita palpebras emendant inutilibus pilis exemptis acu instillantes hunc succum in uestigia euulsorum. Meges psilotrum palpebrarum faciebat in aceto enecans putrescentes, & hoc utebatur in multis uariisq; per aquationes auctumni nascentibus. Et postea ad caput hoc se referens capite 6. Ranæ paruæ, inquit, quam in oculorum curatione descripsimus, sanies efficacissime psilotrũ est, si recens illinatur. Et ipsa arefacta ac tusa, mox decocta tribus heminis ad tertias: uel in oleo decocta ęreis uasis. Eadẽ mensura alii ex 15. ranis conficiunt psilotrum, sicut in oculis diximus. Hæc Plin. Ex dictis manifesto patet non unum esse ranarum genus. Aliæ enim aquatiles sunt: quarum quædam marinæ, quædam uero fluuiatiles sunt, & nonnullæ palustres aquas incolẽtes. Alię uero terrestres sunt: quarum quędam in uepribus tantum uiuunt, ob idq; ru

Ranarum sanguis.

Ranarum genera.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

betæ dictæ à rubis, Græci phrinos uocant, grandissimæ omnium, geminis ueluti cornibus, plenæ ueneficiorum. Quædam inter harundines ac frutices uiuunt, ob quod calamitæ à calamis uocantur, minimæ omnium ac uiridissimæ: mutæ item & sine uoce, à quibusdam diphthitæ appellatæ. Et ultra iam dictas sunt aliæ paruæ arbores scandẽtes. *Situ.*) Positu, mole & corpore. *Rauco garrula questu.*) Coaxatrix & uoce querulãte rauca. Ouidius Metamorphoseωn libro 6. ubi Lyciorum rusticorum in ranas transformationem fabulatur: Turpes litibus exercent linguas, pulsoq; pudore, Quamuis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant. Vox quoq; iam rauca est, inflataq; colla tumescunt: Ipsaq; dilatant patulos conuitia rictus. *Necnon.*) Item, insuper. *Stagnis cessantibus.*) Aquis palustribus stantibus & quiescentibus, in quibus hirudines communiter uiuunt. Stagnum est aqua stans, sic dicta à stando. *Hæsit.*) Inhæsit & latuit. *Hirudo.*) Hirudo uermis est, qui & sanguisuga uocatur. Cuius in fictili uase et nouo quidẽ tostæ cinis ex aceto illitus psilotrum est & euulsos pilos renasci non sinit, autore etiam Plinio libro 32. cap. 4. & 6. *Samia olla.*) Vase fictili è Samia terra ficto: quamuis nihil referet si è quocunq; luto confictum fuerit in quo torrebitur: unde Plinius simpliciter nouum fictile uas accipit. Dicitur autem Samia olla, quod è Samia terra, à Samo insula sic dicta, sit constructa: de qua Dioscorides libro 5. & Plinius libro 35. cap. 16. *Torretur.*) Comburitur & incineratur. *Acidis liq.*) Hoc est, aceto. *Vngit artus.*) Membris & palpebris unde euulsi sunt pili illinitur. *Syluam.*) Pilorum copiam præter naturam succrescentem, quam prius segetem dixit.

Stagnum. Hirudo. Sanguisuga.

OMNIBVS OBSCOENIS MEDENDIS.

CAPVT XXXV.

Di-

Dicendũ & quæ sit membris medicina pudendis.
Languidus antiquo purgatur penis Iaccho,
Ac super illinitur fœcundæ felle capellæ.
Mane nouo myrti frondes quoq; mandere prodest
Cui dolet atq; illas in uulnus despuat ipsum.
Fece etiam uini genitalia lauta leuantur.
Et tumidos testes Nereia lympha coercet,
Vel bulbi ex mulso, uel cera immixta cupresso,
Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.



BSCOENIS.) Partes corporis obscœnas uocat, quas alio nomine genitalia appellamus siue pudenda & naturalia, uerendaq;: ceu sunt in muliere natura muliebris siue cunnus: in uiris uero penis & testes: at in utrisq; inguina & pubes pars ea qua pili inhorrescunt. *Languidus.*) Infirmus & ulcere infectus. *Antiquo Iaccho.*) Vino uetusto, quod ulceribus & malignis quidem, si eo foueantur et eluantur, mederi, testis est etiam Dioscorides & Celsus: à pure enim & influentibus humoribus illa purgat & emundat, præsertim si humida sunt & leuis humor est, qui ulceri influit. Galenus item therapeuticæ libro 3. Vinum omnis ulceris qua ulcus est, optimum esse medicamentum testatur. *Penis.*) Penis uirile membrum est, quod alio nomine coles dicitur & mentula, muto, fascinum, uerpa, natura, et aliquando simpliciter membrum. Cuius pars summa quæ pelle tegitur, ob similitudinem glans dicitur, Græci balanon uocant: tegumẽtum uero & pellis qua glans tegitur, præputium appellatur. *Felle capellæ.*) Hoc enim inter alia medicæ est efficaciæ: qua solum ab alijs differt, misceturq; ut alia uulnerarijs emplastris: ulceribus purgandis et curandis accommodum. *Mane nouo.*) Tempore matutino, nouo exoriente sole, uentriculo ieiuno atq; à cibo uacuo: saliua enim hominis ieiuni masticatis folijs nonnullam de

Partes corporis obscœnæ. *Genitalia, pudenda, naturalia, uerenda.* *Natura muliebris, cunnus.* *Penis, testes.* *Inguina, pubes.* *Vinũ antiquũ.* *Penis, coles, mentula, muto, fascinũ, uerpa, natura, membrum.* *Glans, balanũ.* *Præputium.* *Fel caprinum.*

Myrtus. tergendi ac ſanandi uim addit. *Myrti frondes.*) Folia myrti præſertim ſatiuæ nigræ, quæ medicinæ utilior eſt, & cuius folia, humẽtia purgant ulcera, tumoresq́ reprimũt, autore Plinio & Dioſcoride. Dico autẽ humentia, ut quę non ſint ſordida: nam ubi ſordes ulceribus adeſſent, tunc illas adſtringens medicamentum potius arctius affigeret quàm ut facile poſſet abſolui, autore Galeno therapeuticæ lib. 3. *Mandere.*) Mandere proprie eſt dentibus commolire & maſticare. *Fece uini.*) Et hoc maxime ubi tumores ſunt, hos enim cruda fex tum per ſe tum cum myrto reprimit ac diſcutit, deſtillationesq́ impoſita compeſcit, autore Dioſcoride. Et Plinius libro 23. cap. 2. Medetur, inquit, illita & teſtibus & genitalibus. *Lauta.*) Lota & abluta. *Tumidos teſtes.*) Hoc eſt, teſtiũ tumores & abſceſſus. Sunt autem teſtes pudendorum pars à cole dependens, unde & colei uocantur, & forma diminutiua teſticuli. Galenus didimos uocat: quamuis aliqui ſeminaria uaſa eo nomine intelligant: quidam uero panniculum qui duplici ſinu teſticulos continet, ſeperans eos ab inuicem, ne uno læſo alteri quoq; communicetur nocumentum. At teſticulos interiacens portio & in ſedem dactylion deſinens perineon appellatur. Sed de teſticulis & ipſius loci natura, quæ Celſus medicinæ libro 7. tradit, haud abs re fuerit ſubiũgere. Inquit autem: Teſticuli ſimile quiddam medullis habent. Nam ſanguinem non emittunt, & omni ſenſu carent. Dolent autem in ictibus & inflammationibus tunicæ, quibus hĳ continentur: dependent uero ab inguinibus per ſingulos neruos, quos cremaſteras Græci nominant: cum quorum utroq; binæ deſcendunt & uenæ & arteriæ. Heæ autem tunica conteguntur tenui, neruoſa, ſine ſanguine, alba: quæ erytroides à Græcis nominatur, ſuper eam ualentior tunica eſt quæ interiori uehementer ima parte inhęret: darton Græci uocãt. Multæ deinde membranulæ uenas et arterias, eosq́ neruos comprehendunt, atque inter duas quoque tunicas

Mandere. Fex uini. Teſtes, teſticuli, colei, dydimi. Dactylion. Perineon. Teſticuli. Nerui cremaſteres. ἐρυτροειδής.

ſupe

superioribus partibus leues paruulæq; sunt. Hactenus propria utriq; testiculo & uelamenta & auxilia sunt. Hæc Celsus. *Nereia lympha.*) Hoc est, aqua marina, sic dicta aut à maris deo Nereo, aut à filiabus eius & maris nymphis Nereidibus. Quæ aqua marina, quantum ad uires eius attinet, discussoriam uim habet, ceu Dioscorides testatur inquiẽs, Vtilis est emplastris & malagmatis quę discutiendo sunt. Sed quod Sereni sententiam magis confirmat Plinius medicorum autoritate libr. 31. cap. 6. infit: Aquam maris per sese efficaciorem discutiendis tumoribus putant medici. Et paulo post hæc ait: Testium tumori fouendo non aliud præferunt. *Coercet.*) Comprimit, scilicet discutiendo. *Bulbi ex mulso.*) Bulbi siccant & discutiunt, quẽadmodum et aqua marina iam dicta. Mulsum uero ultra hæc lenit & dolorem mitigat. Sed quod ad medicamenti huius confirmationem attinet, sic refert Plinius in historia naturæ libro 20. cap. 9. Bulbi uulneribus mire prosunt per se, aut, ut Damion, ex mulso, si quinto die soluantur: ijsdem & testium pituitas curat. *Cera mixta cupresso.*) Plinius libr. 24. cap. 5. Cupressi folia testium tumori cum cerato illinuntur. Et paulo post: Tumores discutit. Celsus libro 6. Cupresso tritici farinam ex mulsa coctam iungit. Cupressus, autore Dioscoride, refrigerat, siccat & adstringit, quapropter humorum influxiones & inflammationes ardoresq; compescit. Adhęc inest ei, Serapione ex Galeni autoritate referẽte, acuitas quoq; ad profundum penetrare faciens, sine tamen calefactione, propter quam etiam siccat & discutit. Cera uero calefaciendi uim habens mediocriter mollit & cupressi frigus contemperat: estq; ad excipienda retinendaq; medicamenta ceratorum materia. *Faba.*) Quam autor ex uino, eam Celsus libro sexto, ex mulso coctam cum cumino trito ex melle cocto imponi iubet fabã. Cuius uirtus secundum medicinam, uti Serapio autoritate Galeni scribit, infrigidat temperate, & desiccat desiccatio

Nereia lympha. *Aqua marina.* *Bulbi.* *Cupressus.* *Cera.* *Faba.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ne sine nocumēto, & uirtus secunda abstergit. Vnde Auerrois ait, Faba parum declinat ad calorem, & propterea uim habet dissoluendi apostemanta propter suam abstersionem, præsertim si ex uino decocta imponatur: & quidem hijs etiam quæ in testiculis & pudendis oriuntur, nedum alijs. Vnde Dioscorides libro 2. ait, Faba sanat in uino cocta testium inflāmationes. Et Plinius libr. 22. cap. 25. In uino decocta ad testium tumores & genitalium imponitur. Quod & Auicenna comprobat dicens, Fit ex ea emplastrum cum uino super apostemata testiculi. Et eius sorbitio confert apostemati testiculorū proprie decoctæ

Fluentum. cum uino. *Bacchi fluentis.*) Hoc est, humore uini & uino ipso. Fluentū paruū flumen dicitur proprie: & quia humidum est ut aqueum, hinc pro humore accipitur: & illius quidem cui iungitur rei.

Ramicis immensum fertur cohibere tumorem
Far madidum lymphis ferali à fronde cupressi,
Vnde etiam potu frons hæc memoratur amica.

Ramex. *Ramicis.*) Ramex scroti & oschei affectio est, quemadmo-
Hernia. dum & hernia, quam Græci κήλην uocant. Sunt aūt uarię
Κήλη. scroti affectiones, quas Græci singulas proprijs nominibus appellant. Latini ueteres alias quidem hernias, alias uero ramices: recentiores autem omnes herniæ nomine designant, singulis tamen discretionis causa discerniculum addentes, ceu Græci suo κηλῆ: hanc intestinalem, illam zirbalem, aliam carnosam, & alijs nominibus appellantes herniam. Porrò quę dē scroto et affectionibus eius scribit libr. 7. capite 18. Celsus, subiungam: Inquit autem,

Oscheon. Cōmunis utriq; testiculorum omnibusq; interioribus
Scrotum. sinus est, qui iam conspicitur à nobis, Oscheon Græci, scrotum nostri uocant: isq; ab ima parte medijs tunicis leuiter innexus est, à superiore tantum circūdatus est. Sub hoc igitur plura uitia esse consueuerunt: quæ modo ruptis tunicis quæ ab inguinibus incipiunt: modo hijs in-

tegris

tegris fiunt. Siquidem si pondere rupta fuerit tunica, quę diducere ab inferioribus partibus intestina debuit, tum eò deuoluitur aut omentũ, aut intestinũ, Gręci enterocelẽ & epiplocelen uocãt, apud nos indecorum, sed cõmune hijs herniæ nomẽ est. Integris uero mẽbranis interdum eam partẽ humor distringit: atq; eius quoq; species duæ sunt. Nã uel inter tunicas is increscit, uel in membranis quæ ibi circa uenas & arterias sunt, ubi hæç grauatæ occa luerũt. Græci cõmuni nomine quicquid est hydrocelen appellãt: nostri, ut scilicet nullis discriminibus satis cogni tis, hæc quoq; sub eodẽ nomine quo priora habẽt. Præter hæc æque integris tunicis ramex innascitur, Cirsocelen Græci appellãt, uenæ intumescunt: hæc quoq; intortę & conglomeratæ ad superiorem partem, uel ipsum scrotũ implent, uel mediam tunicam, uel imam: interdum etiam sub ima tunica circa ipsum testiculum neruumq́; eius in- crescunt. Raro sed aliquãdo caro quoq; inter tunicas in- crescit, sarcocelen Græci uocant. Interdũ etiam ex inflam matione tumet ipse testiculus, ac febres quoq; adfert, & dolor ad inguina atq; ilia peruenit, partesq́; hæ intume scunt: neruus ex quo testiculus dependet, plenior fit, si- mulq́; indurescit. Super hæc, inguẽ quoq; nonnunquã uarices implẽt, bubonocelen appellant. Hactenus ex Cel so. Quibus id tantũ addere placet, quod à ramice dicun- tur ramicosi, quemadmodum ab hernia herniosi: qui Græce κηλῆται uocantur. Hernia uero dicitur à duricie pellis quę fit post intestinorũ descensum. Hernium enim durum dicitur & asperum. Vergilius, Hernia saxa. *Fara fronde cupressi.*) Farina & puluis foliorum cupressi. Plini- us etiam cupressi tum folia trita & imposita & bibita tum pilulas eius, ramici prodesse tradit. *Madidũ lymphis.*) Hoc est, aqua solutum & contemperatum. *Ferali.*) Dira, atra, funesta, & ut Horatius eam uocat, inuisa. Diti enim sa- cra est, ut Plin. tradit, cupressus: & ideo ne quisquam per ignorãtiam ingrederetur atq; pollueretur, funebri signo

Hernia. *Enterocele.* *Epiplocele.* *Hernia.* *Hydrocele.* *Ramex.* *Cirsocele.* *Bubonocele.* *Ramicosi.* *Herniosi.* *κηλῆται.* *Hernium.* *Cupressus feralis & Diti sacra.*

ad domos ponebatur. Hinc Ouidius Metamorphoseon libro 10. ubi Cyparissum Thelephi filium in hanc arborem conuersum fabulatur, Lugebisq; alios, aderisq; dolentibus, inquit.

Sin autem existit durum tibi glandibus inguen,
Proderit induci cochleas cum melle minutas.
Obscœnos si pone locos noua uelnera carpent,
Horrentum mansa curantur fronde ruborum.

Chœrades. Bubones. Strumæ. Glandulæ. Glandia. Adenes. Inguen.

Durum glandibus inguen.) Intelligit duricies & induratos circa inguina tumores, quales sunt quos Græci chœradas & bubona, Latini strumas & glandulas, quæ & glandia dicuntur, & à Græcis etiam adenes uocãtur. Sunt autem, autore Galeno, cõuolutæ in seipsam carnis, duræ concretiones. Quæ eodem modo quo reliqui corporis duricies discutiuntur atq; sanantur. *Inguen.*) Inguen pudendorum pars est circa femora supra serotum & infra peritoneon sita. *Induci.*) Imponi & illini. *Cochleas cum melle.*) Idem tradit Plinius dicens, Inguinum tumorem cochleæ minutæ cum melle illitæ, leniunt. Et hoc ui sua desiccante atq; discutiente. *Pone.*) Id est, prope, iuxta & circa loca ipsa obscœna. *Noua uulnera.*) Recens orta ulcera & non sordida. *Carpent.*) Arripient & illic oriantur. *Horrentum ruborum.*) Asperorum & acutorum. Spinas enim habent & aculeos. Plura illorum genera, de quibus dictũ est supra. Omnes siccandi uim habent & adstringendi, suntq; genitalium ulceribus accommodatissimi, præsertim ubi sordida non fuerint ulcera: sed, ut inquit, noua, per quod & sordes excludit: quas ubi adessent, adstringens medicamentũ potius arctius affigeret quàm ut facile posset absolui, autore Galeno. *Mansa fronde.*) Folijs masticatis & sic impositis, ceu dictum est de folijs myrti.

Cochleæ ex melle.

Rubi.

At si iam ueteri succedit fistula morbo,
Mustelæ cinere immisso sanabitur ulcus,
Sanguine uel ricini quem bos gestauerit ante.

Herba

Herba chelidoniæ fertur cum melle mederi,
Herbaq; cum seuo folijs de mille uocata.

At si iam uet. succ. fist. morbo.) Hoc est, ubi ulcera iam inueterata sunt & in fistulam abierunt. Solet enim tum ex abscessibus tum ex ulceribus nonnunquã oriri fistula, quæ nil aliud est quàm ulcus altum, angustũ et callosum. Sunt autem fistularum plura genera, de quibus copiose Celsus medicinæ libro 5. *Mustelæ cinere.*) Quod Serenus de totius mustelæ cinere hic prodit, uidelicet, quod fistulas purgando & excrescentia duriciasq; erodendo sanet: id de fimi tantum animalis illius cinere scribit Plinius nat. hist. libro 30. cap. 3. quasi ad finem. *Sang. ricini.*) Ricinus animal est & insectum fœdissimum, Græci κρότωνα uocãt: quod animalibus tum alijs tũ bubus & canibus sine motu inhæret cum semel insederit, illa acrius infestans & excrucians. Cui uni, ut Plinius nat. historiæ lib. 30. cap. 3. refert: nullus est exitus saginæ, nec finis alia quàm morte, diutius in fame uiuenti. Septenis ita diebus durasse tradunt. At in satietate paucioribus dehiscere. Est autem nullis discretis membris, in globum continue crescens, donec suctu plenum post aliquot dies sua sponte decidat. Et hoc est animal & insectum illud de quo Plinius libro 11. cap. 34. sic quoq; scribit: Est animal eiusdem temporis infixo semper sanguini capite uiuens, atq; ita intumescens: unum animalium cui cibi non sit exitus, cum nimia dehiscit satietate alimento ipso moriens. Nunquam in iumentis gignitur, in bubus frequens, in canibus aliquando, in quibus omnia. In ouibus & in capris hoc solum. *Chelidoniæ.*) Sordes enim exterit, præsertim si cum melle imponitur. Mel etenim, autore Dioscoride, exterit & humores in summum proritat: quare & sordidis ulceribus et sinibus utiliter infunditur, solutasq; cõtinuitates conglutinat & sanat. Chelidonia quoq;, ut Plinius libro 26. cap. 15. tradit, siccantur ulcera, adeo, ut etiam pro spodio

Fistula.
Mustelæ cinis.
Ricinus & sanguis eius.
Chelidonia.
Mel.

utantur: eadem iam desperatis cum axungia imponitur.

Millefolium. *Herba folijs de mille uoc.)* Hoc est, millefolium herba, quæ & Veneris supercilium appellatur, Græci myriophyllon uocant, à foliorum multitudine sic dicta. Singularis, ut Dioscorides libro 4. testatur, coliculus est, tener, singulari radice: circa quem cum leuore numerosa folia sunt, fœniculo similia, à quibus nomē inuenit. Habet caulis ruborem aliquem. Per totum dēsus est & ueluti arte expolitus. Nascitur in palustribus, magnifici, uti Plinius libro 24. cap. 16. ait, ad uulnera usus. Nam, ut Apuleius tradit, millefolium cum axungia pisata & imposita uulnera purgat et sanat.

Adeps suillus. *Seuo.)* Adipe, præsertim suillo salso & inueterato, exq; uino loto. Talis enim, uti ex Dioscoride libro 2. & Plinio libro 28. colligitur, utilior est, contraq; tumores, inflammationes, & fistulas prodest: purgat etenim ac discutit & sanat.

ISCHIAE ET ARTICVLARI MORBO.

CAPVT XXXVI.

SAEPIVS occultus uicta coxendice morbus
Persurit, & gressus diro languore moratur,
Populus alba dabit medicos de cortice potus,
Nec non & teneræ gracili cum fronde genistæ,
Arreptos caules acidoq; liquore madentes
Sumere conueniet, rubiam quoq; ducere potu,
Aut ex Bithyno cochleas haurire lyco.

Ischias.  SCHIAE.) Ischias coxendicum morbus & dolor est longus atq; diuturnus, qui non facile soluitur, & per interualla temporis repetit, à coxendice ad femora, poplites, suras & imos talos

ali

aliquando pertingens, uti Galenus scribit, & idem Paulus Aegineta confirmat, eundem à natibus et inguinibus usq; ad genua & in pluribus usq; ad extremos pedes pertinere dicens. Neq; ab articulari dolore differt nisi quod humor ipse in sola eius ossis uersura & articulo gignitur. Vocaturq; morbus & ischiacus & ischiadicus, coxendicusq;. Vulgus corrupto uocabulo sciaticam uocat. *Articulari morbo.*) Morbus articularis est quem Græci ἀρθρῖτιν uocant, ἄρθρα enim articuli sunt. Est autem, uti Galenus describit, inflammatio quæ circa articulos coit permanens: maleq; affectis neruis uehementissimos afferens dolores. Huius species sunt, ischias, podagra, chiragra & similes, qui locis tantum distinguũtur, causis uero iidem sunt morbi, ut qui ex crasso pituitosoq; humore cui aliquanta bilis permixta sit, gignuntur, neruosq; afficiunt quibus nectuntur motumq; habent articuli: semperq; aut omnes aut plurimos infestat articulos arthritis. Vnde Serenus etiam ait, Si uero articulos tabes inimica per omnes Hæserit *Occultus.*) Absconditus & in imò hærens propter carnium illic altitudinem. *Coxendice.*) Coxẽdix coxarum uertebrum dicitur, Græci ischion uocãt: quamuis iisdem neruus etiam quo colligatio fit atq; commissura ischion dicatur: et, ut Pollux tradit, partes carnosę post lumbos utrinq; eminentes ischia appellantur. Coxendicem Nonius coxam exponit, cum hæc tota ad genu pertendat. Accipitur etiam aliquando pro dolore ipso coxendix. Os uero concauum cui uertebrum inuoluitur Græce cotyle, Latine acetabulũ uocatur. Plinius, Ossa ex acetabulis, qua coxendices uertuntur. *Gressus moratur.*) Ambulationem prępedit et ingredi non sinit propter languorem & dolorem cruciatumq; uehementem. *Populus alba.*) Duplex est populus: alba et nigra. De alba idem Sereno testatur Plinius libr. 24. cap. 8. dicens: Populi albæ cortex potus ischiadicis prodest: idq;, ut Dioscorides tradit, unciæ unius pondere. *Medicos.*) Id est, salubres & auxilium

Morbus ischiacus, ischiadicus, coxendicus.

Morbus articularis.

ἀρθρῖτις.

Coxendix.

Ischion.

Coxa.

Cotyle.

Acetabulum.

Populi albæ cortex.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Genista. prestãtes, dolorẽq; mitigãtes. *Genistæ.*) Quid sit genista, dictum est supra. Hęc pituitã tũ per superna tũ per inferna egregie purgat, unde & ischiadicis confert cyathi unius pondere à ieiuno potus succus. Plin. lib. 24. cap. 9. Ramis, inquit, similiter fronde in aceto maceratis pluribus diebus & tusis succum dant ischiadicis utilem cyathi unius potu. Quidam marina aqua macerare malunt & infundere clystere. Perunguntur eodem succo ischiadici addito oleo. Dioscorides libro 4. ex aqua marina maceratis uirgis succum exhibet ieiunis. *Caules.*) Virgas & ramulos

Acetum. cum folijs. *Acido liquore.*) Aceto, hoc enim inflammationes compescit & aliarum medicinarum uim ad ima penetrare facit, qua re maxime opus est in hoc morbo, in profundo enim situs est.

Rubia. Erithrodanus. *Rubiam.*) Rubia quę Gręce erithrodanus et ereuthedanus uocatur, herba est cuius radix tingendo est, unde & nomen tum apud Latinos tum apud Græcos à rubore quo lanę tinguntur pellesq; perficiuntur, inuenit. Vrinam cit, ob quam causam, ut Dioscorides libro 3. prodit, ictericis cum mulsa aqua utiliter bibitur, ischiadicisq;. Sed bibentes lauari oportet quotidie in balneo. Hinc libro 24. cap. 11. Plinius ait, Rubia ischiadicos sanat ita ut bibentes lauentur quotidie.

Vinum Bithinum. *Ducere potu.*) Id est haurire & bibere. *Bithino lyeo.*) Vino sic dicto à regione Thraciæ, quæ Asię pars est, de de qua Strabo libro 12. Scriptus codex habet in Amineo, de quo diximus supra capite 28.

Cochleæ. *Cochleas.*) Hijs aliqui piper addunt, ut Plin. lib. 30. cap. 3. scribit dicens, Ischiadicis cochleas crudas tritas cum uino Amineo & pipere potu prodesse dicunt.

Si uero articulos tabes inimica per omnes
Hęserit, ex ficu betas ac melle ligabis,
Vel pelagi latices simul & Baccheia dona
Sumere curabis, Nimio sed parcito uino.
Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua,
Hoc uitio tales fertur meruisse dolores.

Tabes

Tabes.) Lues, consumptio & morbus ipse articularis corpus consumens & lancinans. *Omnes.*) Omnium enim aut saltem plurium articulorum simul morbus est arthritis & morbus articularis. *Hæserit.*) Inhæserit, permanẽs enim passio est et diuturna. *Fico.*) Ficus uim habet emollientem discutientemq́ & adtrahentem, præsertim syluestris & satiua nondum matura. *Betas.*) Beta, inquit Plinius, hortẽsiorum leuissima. Quæ quoniam insipida est, fatua uocatur à Martiali hoc uersu, Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ. Duo eius genera, candidum & nigrum. Vis illis etiam discussoria, & præsertim albæ. *Melle.*) Hoc alijs uim addit & efficaciam. Natura enim illi est exterere, aperire & humorem in summum proritare: aliorum uero eosdem discutere, quibus discussis & dolor abigitur. *Pelagi latices & Baccheia dona.*) Intelligit autor uinum marina aqua concinnatum, quod salsum uocat Celsus & aluum mouere tradit. Nec modo aluum deijcit, sed & uomitum prouocat: quorum utroq́ articularium morborum causas purgamus & euacuamus. Nam marina aqua, ut Plinius tradit & Dioscorides, pituitam & bilem purgat bibita, idq́ alterutra parte tum per superna uomitione tum per interna deiectione. Verum quo facilius ac citius id perficiat, uinum illi admiscetur. Sic enim uelocius uim suam exercet & destinatum effectum consequitur. Porrò salsi uini confectiones discere qui uolet, is legat Plinium naturalis historiæ libro 14. cap. 8. Columellam rei rusticæ libro 12. cap. 25. & Dioscoridem libro 5. *Nimio.*) Abundantius enim haustum, uti Dioscorides testatur, neruos infestat, Noxiaq́ omnis ebrietas præsertimq́ continuata. Cedunt enim nerui quottidiana ueluti obsidione laborãtes. Ingeneratq́ copiosus quotidie uini potus acutorum morborũ principia. Estq́ articulariũ dolorum causa præcipua. At modico uino, ut Plin. ait, nerui iuuantur, stomachus recreatur, appetentia ciborũ inuitatur, tristitię cura hebetat, somnus cõciliatur. Imò, ut sacrę

Ficus.

Beta.

Mel.

Vinum salsum.

Vini immoderate hausti nocumenta.

Vini moderati commoda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Ennius articulari morbo interijt.

testanturlitere, uinum letificat cor hominis, si moderate sumitur. Ennius.) Quod qui nimio uini potu utũtur, articulari morbo obnoxij sunt, cõprobat id nũc exemplo Ennij poëtæ, qui ob nimium uini usum & ingurgitationem uinosus tali morbo interijsse dicitur. At uini potorẽ fuisse testatur Horatius inquiens, Ennius ipse pater nunquã nisi potus ad arma Prosiluit dicenda. Vinum enim ingeniosos facit poëtas, ut Græcum Nicerati testatur carmen, Οἶνός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ, ὕδωρ δὲ πίνων, καλὸν οὐ τέκοις ἔπος. Et Propertius de Baccho ait, Sine te nostrum non ualet ingenium.

FVRVNCVLO MEDENDO.

CAPVT XXXVII.

CVM sanguis nimium fuerit combustus, & ater
Aestuat, & papulas alte sustollit acutas,
Resinam misces & saxis hordea fracta,
Conspersa hæc tepidis apponere conuenit undis.
Vis & hyoscyami semen seuumq; iugatum
Nectere? non minus hæc poterit medicina iuuare.
Prætereaq; fimum ex gallo quod legeris albo
Imbribus ex acidis tundens appone dolenti.
Auribus aut pecudum molles expromito sordes
Vnguine quo fotis dabitur medicina papillis.

Furunculus.



VRVNCVLO.) Quid sit Furunculus, docet tum autor in textu, tum Celsus medicine libro 5. hijs uerbis: Furunculus est tuberculum acutum, cum inflammatione & dolore, maximeq; ubi iam in pus uertitur: qui ubi adapertus est et exit super, apparet pars carnis in pus uersa, pars corrupta, subalbida, subrubra, quẽ uentriculum quidam furunculi nominant. In eo nullum periculum est, etiam si nulla

curatio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

curatio adhibeatur. Maturescit enim per se atq; erumpit. Sed dolor efficit, ut potior medicina sit quæ maturius liberet. Nascitur autem passim, ut libro 20. capite 13. tradit Plinius, & in quacunq; parte, ac maximo incommodo: mortiferum aliquando malũ confectis corporibus. *Cum sanguis nimium.*) Descriptio est furunculi. Est enim cum tumore abscessus ex sanguine & humoribus crassis & adustis generatus. *Ater æstuat.*) Propter adustionem nigricans feruet & feruore agitatur. Nam cum inflãmatione tuberculum est, ut Celsus prodit. *Papulas alte sustollit.* Tuberculum in altum & sublime acutumq; eleuat & erigit. *Resinam.*) Vtitur eadem Celsus, sed ubi alia desunt. Nam si cætera desunt, ut inquit, imponi debet primum non pingue emplastrum, ut id reprimat: deinde si non repressit, quodlibet puri mouendo accommodatum. Si ne id quidem est, uel resina, uel uermentũ. Expresso pure nulla ultra curatio necessaria est. Resina itaq; eorum medicamentorum est quæ & collectiones dissipant atq; discutiunt, maturant item atq; repurgant: quare & emplastris miscetur & malagmatis & acopis, ut libro 1. tradit Dioscorides. *Saxis.*) Mola quæ ex saxis & lapidibus constituitur. *Hordea fracta.*) Farinam ordeaceam, quæ autore Plinio libro 22. capite 25. cruda decocta collectiones impetusq; discutit, lenit & cõcoquit. Et, ut Dioscorides tradit, expressus cum aqua succus eius, moxq; cum pice & oleo coctus suppurationes adiuuat. Tumores enim & collectiones omnes maturat, discutit, mollit, & calores preter naturã refrigerat. *Hyoscyami semen.*) Hyoscyamus herba est, quam Latini apollinarem uocãt. Plura eius genera, de quibus dictum est supra. Vsus seminis & per se & succo expresso. Vtilis autem est contra inflammationes & tumores omnes qui à calidis humoribus fiunt. Illos enim lenit & dissipat, doloresq; sedat & mitigat. *Sebum.*) Adipem suillum, qui etiam, ut Dioscorides testatur, contra tumores & inflammationes prodest. *Iugatum.*)

Resina.

Farina ordeacea.

Hyoscyami semen.

Adeps suillus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Iunctum & simul mixtum. *Nectere.*) Annectere & imponere furunculo. *Fimum gallo albo.*) Plinius lib. 30. ca. 3. coloris etiam meminit, non tamen galli, sed fimi: nec albi, sed rufi, sic: Furunculis mederi dicit ex gallinaceo fimo quod est rufum maxime recens illitum ex aceto: discutit autem & erumpit. *Imbribus acidis.*) Id est, liquore acido & aceto ipso. *Auribus pecudum sordes.*) Idem medicamentum ponitur à Plinio hijs uerbis, Furunculis mederi dicitur sordes ex pecudum auriculis. *Fotis papillis.*) Furunculorum tuberculis & tumoribus illitis & inunctis.

Fimum gallinaceum.

Sordes aurium pecudum.

CARBONI TOLLENDO.

CAPVT XXXVIII.

HORrēdus magis est perimit qui corpora Carbo,
Vrit hic inclusus, uitalia rumpit acerbus:
Hunc ueteres quondam uarijs pepulere medelis.

Carbo.
Carbunculus.
Anthrax.



CARBONI.) Carbo, quem Celsus & Plinius Carbunculum, Græci anthraca uocant, est ulcus hijs quæ usta sunt simile, cui aliquando febris & horror & bubones superaccedūt. Generatur autem ex humore crasso & sanguine in atræ bilis naturam cōuerso cum inferbuerit & in aliquod membrum incubuerit. Incipitq; plerunq; à pustula ambustis igne simili: aliquando uero & sine ea. Sed ab initio scabunt membrum omnino, mox aliquando una aliquando plures oriuntur pustulæ exiles & ueluti milij semina crebræ: quib' perruptis, crustosum ulcus gignitur & prouenit, modo cinereum, modo nigrum præ se ferente colorem: à quo & nomē tum apud Latinos tum apud Græcos indeptum est. Omnibus præterea his circumposita caro in summam peruenit inflammationem, non tamen colore aspicitur erysipelatis: imò qui adhuc phlegmones

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

colore sit nigrior, ueluti si pluscuIo rubro, minus misceas nigri: autor Galenus therapeuticæ libro 14. cui & Paulus Aegineta libro 4. & Rasis continentis libro 13. subscribunt. Nasciturq́ue sæpe, ut Plinius libr. 26. scribit, in occultissimis corporum partibus, sine alio quàm somni indicio, quo grauatos in triduo aufert: rarius feriens stomachum faucesq́ue, cum inuaserit ocyssime exanimans. Est enim eorum quę interius corrupta aliqua corporum parte nascuntur, Celso testante libro 5. non aliud carbunculo peius. Et si circa stomachū faucesq́ue incidit, subito spiritum sæpe elidit. *Horrendus.*) Timendus propter præsens periculum. *Magis.*) Scilicet quàm furunculus. *Perimit.*) Interficit & exanimat. *Carbo.*) Carbūculus morbus. Nam eodem carbunculi nomine dicta est gemma. Et carbunculus uitium, arborum & segetum morbus, cum in hijs quodam quasi uredinis carbone fructus exuruntur. A carbunculo fit uerbum carbunculare, quod carbunculum pati & carbonū more fieri significat. Plinius libro 23. Succus eorum carbunculantibus circa oculos ulceribus excrescentibus & pustulis efficax. Idem libro 12. Verum et hijs sua iniuria est, atq; cæli intemperie carbunculantur, fiuntq́ue semina cassa & inania. Res ipsa carbunculatio dicitur. *Vrit inclusus.*) Collectus & coactus in mēbro feruet & exardescit. *Vitalia rumpit.*) Spiritum elidit et exanimat uitaq́ue priuat.

Carbunculus morbus, gemma, uitium nascentium.

Carbunculare.

Carbunculatio.

Tertia nanq; Titi simul & centesima Liui
Charta docet ferro talem candente dolorem
Exectum, aut poto raporum semine pulsum,
Infecti dicens uix septem posse diebus
Vitam produci, tanta est uiolentia morbi.
Dulcacidum laticem cum lini semine iunges
Atq; fimum Paphiæ pariter compone columbæ,
Hinc line diruptas partes & clausa uenena.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Titus Liuius. *Titi Liuij.*) Titus Liuius Patauinus, uir ingenio & doctri na clarus, uixit sub Augusto & Tiberio Impp. Romanæ historiæ scriptor insignis, cuius libri partim adhuc extāt, partim aut omnino perierunt, aut alicubi in tenebris adhuc delitescunt. Charta. *Charta.*) Liber. Ouidius, Nullus in hac charta uersus amare potest. Libri enim ex chartis fiunt, chartæ uero ex papyro alijsq́ rebus. Sunt autem folia & phylliræ in quibus scribimus, etiam cuiuscunq; materiæ fuerint, siue papyraceæ, siue membranaceæ, siue ex pergameno aliaúe materia quacunq;, quamuis primo è papyro fieri solerent. Adustio ignita. *Ferro candente.*) Inter prima carbonis remedia adustionem laudat etiam Celsus libro 5. cap. 28. ad urendiq́; modum et finem docet dum infit: Nihil melius est quàm protinus adurere. Neq; id graue est. Nam non sentit, quoniam ea caro mortua est. Finisq́; adurendi est, dum ex omni parte sensus doloris est. Tum deinde uulnus, sicut cætera adusta, curandum est. *Dolorem.*) Morbum carbunculum dolorem facientem. *Exactum.*) Extirpatum et sublatum. Raporū semen *Poto raporum semine.*) Quoniam humor ex quo carbo generatur, adeo malignus est ut inflammatione sua ueneni uim æquet & ualidissime ardore suo cor incendens non minus quàm præsens uenenum mortem ocyssimam, ceu ad lōgissimum intra septimum diem adferat: hinc non minus quoq; carboni quàm alijs letalibus uenenis uenenatorumq́; morsibus resistere & mederi potest raporum semen epotum. Nam quod ad uenena attinet, Raporum semen, ut libro 2. tradit Dioscorides, in antidota additur, & his quæ contra uenenata ad leuandos somno dolores conficiuntur. Succurrit & letalibus uenenis potum: nec modo potum, sed & illitum, Plinio teste libro 20. cap. 3. in uino contra serpentes & toxica salutare esse proditur. A multis uero antidoti uim habere in uino & oleo. *Infecti.*) Carbonem patientis. Acetū mulsum. *Dulcacidum lat.*) Hoc est, acetum mulsum, quod & oxymel dicitur. Lini semen. *Lini semine.*) Linum omnibus notum est, huius semen

omnes

omnes quæ intus & quę foris sunt inflammationes discu tit, autore Dioscoride. *Fimum columbæ.*) Hoc tum per se tum aliis iam dictis rebus commixtum carboni medetur. Plinius, Carbunculus fimo columbino deletur per se illi to, uel cum lini semine ex aceto mulso. Dioscorides uero pro aceto mulso aliis mel & oleum comiscere iubet in quiens, Columbarum fimum carbunculos cum melle, lini semine, & oleo subactum erumpit. *Paphiæ.*) Veneriæ. Columba enim Veneri dicata dicitur, quę & Paphia dicitur à ciuitate Cypri Papho, in qua numinis uice cole batur. *Pariter.*) Simul cum aliis iam dictis. *Hinc.*) Ex tali medicamento dicto. *Diruptas.*) Corruptas & exulce ratas. *Clausa uenena.*) Humores malignos & uenenosos intus coactos & conclusos.

Fimum columbinum.

Columba Paphia.

Præterea triti reserant adoperta lupini.
Nonnullus calcem uiuam dissoluit aceto
Fumantemq́ illam papulis imponit acerbis.
Est qui gallinæ perducat stercore corpus.
Allia uel piperi parce commixta linuntur.
Pythagoræ cognata leui condita cumino
Proderit, & madido fermentum polline turgens.

Triti lupini.) Id est, lupini in farinam commoliti & presertim satiui: quos impositos Plinius etiam libro 22. cap. 25. carbunculos rumpere testatur. Sed, ut Dioscorides lib. 2. docet, conuenit illos prius in aceto coquere. *Reserant.*) Adaperiunt, rumpunt & dissipant. *Adoperta.*) Cooperta, clausa & intus collecta. *Calcem uiuam.*) Calx uiua dicitur quæ aqua non est restincta: cuius in medicina magnus usus est, præsertim recentis quæ præ cæteris eligitur. Habet uim feruidam & urentem, discutit, & ignium modo crustas inducit, incipientesq́ serpere ulcerum impetus cohercet: aliis mixta, ceu oleo aut adipi, mollit, disiicit & ad cicatricem perducit, præsertimq́ aceto & rosaceo.

Farina lupinacea.

Calx uiua.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

temperata: autores Plin. & Dioscorides. *Fumantem.*) Fumum adhuc reddentem & calentem: dum enim humore aspergitur, fumum exhalat & calet. *Papulis acerbis.*) Pustulis & ulceribus excruciantibus & dolorem facientibus. *Gallinæ stercore.*) Quemadmodum columbarum ita & gallinarum fimum, licet minore efficacia, carboni mederi testatur Dioscorides. *Corpus.*) Membrum carbunculatum & carbonem ipsum. *Allia piperi com.*) Hoc medicamentum eadem ratione qua & reliqua iam dicta carboni medetur. *Pythagoræ cognata.*) Fabam intelligit. Horatius Sermonum libro 2. Satyra 6. O quando faba Pythagoræ cognata, simulq; Vncta satis pingui ponentur holuscula Lardo? Vocat autem Pythagoræ cognatam fabam quod ea non secus quàm cognatus à cognata abstinebat, ut uolunt aliqui. Cur autem à fabis abstinendum præceperit Pythagoras, uariæ et diuersæ sunt opiniones, de quibus A. Gellius Atticarum noctium libro 4. cap. 11. Plinius nat. hist. libro 18. cap. 12. Et Germaniæ nostræ decus illud insigne Erasmus Roterodamus in adagiorum chiliadibus ab initio non pauca. Porrò de fabarum medicina sic Dioscorides: Farina fabacea per se et cum polenta uulnerum inflãmationes mitigat illita. *Leui cumino.*) Tenero & gracili. Columella: Gracili melanthia grata cumino. Discutit autem non minus quàm reliqua iam dicta tum per se tum cũ faba inflammationes. *Fermentum.*) Fermentum est farina quæ subigitur priusquam addatur sal ad pultis modum decocta, & relicta donec acescat. Vulgo autem nec sufferuere faciunt, sed tantum pridie asseruata materia utuntur. Palamq; natura est acore fermentari. Et tale quidem ex triticea farina confectum calefaciendi extrahendiq; ui quam habet, callos extenuat, & addito sale alia tubercula furunculosq; maturat & aperit. Panisq; ipse crudus maxima molliendi refrigerandiq; ui sua omnes inflammationes illitus lenit, autore Dioscoride. *Polline.*) Farina. Pollin in tritico dicitur, quod flos in siligine.

Fimum gallinarum. *Allia cũ pipere* *Faba Pythagoræ cognata cur dicatur.* *Cuminum.* *Fermentum.* *Pollin.*

ne. Est autem tenuissimus puluis & farina tenuior, qualis circa molas plerunq; & loca in quibus panis pinsitur parietibus hærens inuenitur. Qui ex tritico in mulsa aqua aut hydrelæo decoctus inflammationes etiam discutit, autore Dioscoride. *Turgens.*) Intumescens & in altum se sustollens.

PANO, VOMICAE, ET STRVMAE DEPELLENDIS.

CAPVT XXXIX.

SVNT alij quos dura uomit natura tumores
Non minus horrendi, sed non ita perniciosi,
Vomica qualis erit, uel eidem proxima quædam:
Simplice resina miscebimus hordea tusa,
Et mulsos amnes & purgamenta columbæ
Hijs bene decoctis languentia membra fouentur.



ANO.) Panus, quem Celsus Græce phygethlon uocari tradit, est abscessus tumidus, ex humore corrupto in parte aliqua collecto generatus: quem Celsus medicinæ libro 5. sic describit, Phygethlon est tumor nõ altus, sed latus, in quo quiddam pustulæ simile est: dolor distentioq; uehemens est & maior quàm pro magnitudine tumoris: interdum etiam febricula: idq; tarde maturescit, neq; magnopere in pus conuertitur. Fit maxime aut in uertice, aut in alis, aut inguinibus. Panum ad similitudinem figuræ nostri uocant. *Vomicæ.*) Vomica tumor est ex humoribus corruptis proueniens, qui Græce phyma dicitur, & à Celso ita describitur: Phyma nominatur tuberculum furunculo simile, sed rotundius & planius, sæpe etiam maius. Nam furunculus oui dimidij magnitudinem raro explet, nun

Panus. φύγεθλον. *Vomica.* φῦμα.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quam excedit. Phyma etiam latius patere consueuit. Sed inflammatio dolorq; sub eo minores sunt. Vbi euulsum est pus, eodem modo apparet uentriculus, quod in furunculo non inuenitur. Verum omnis corrupta caro in pus

Struma. uertitur. *Strumæ.*) Strumæ dicuntur, quas Græci chœras χοίρας. das uocant, uulgus scrophulas: fiuntq;, uti Galenus tra Scrophula. dit, glandulis in scirrhosum affectum mutatis. At Celsus strumam sic describit, Struma est tumor, in quo subter cõcreta quędã ex pure & sanguine quasi glandulæ oriuntur. Quæ uel pręcipue fatigare medicos solent, quoniam & febres mouent, nec unquam facile maturescũt, & siue ferro siue medicamentis curantur. Plerunq; iterum iuxta cicatrices ipsas resurgunt, multoq; post medicamento est opus. Quibus id quoq; accedit, quod longo spatio detinent. Nascuntur maxime in ceruice, sed etiam in alis & inguinibus & in lateribus: in mammis quoq; fœminarum se repperisse chirurgicus Meges autor est. *Vomit.*) Euomit, eijcit & in altum sustollit, tumoremq; facit. *Non minus.*) Scilicet quàm prædicti tumores carbo & furunculus. *Eidem proxima.*) Vomicæ cognata tubercula qualia sunt pani, strumæ & similia, quæ ijsdem quasi

Resina. medicamentis curãtur. *Simplice resina.*) Hoc est, pura: quę autore Dioscoride, mollit & disijcit collectiones repur-

Ordeum. gatq;. *Ordea tusa.*) Farniam ordeaceam, quam et crudam & coctam collectiones impetusq; discutere, lenire & concoquere affirmat Plinius. *Mulsos amnes.*)

Aqua mulsa. Aquam mulsam

Fimum columbinum. in qua hordeacea farina decoquenda est. *Purgamenta columbæ.*) Stercus & fimum columbinum, quod uires habet omnes duricies soluere. Vim enim discussoriã habet uel per sese uel cum farina hordacea illitum, teste Plinio libr. 30. capite 3.

Mollis odorato faba perlita cum coriandro
Proderit appositu hæc mollitq; aperitq; tumorem.
Aut de phasganeo radix decocta palustri,

Siue

Siue salix mixto tundetur cum coriandro.

Proderit & mansum quod traxeris arbore uiscum.

Mollis.) Tenera. Et per hoc intelligit fabam pisatã & farinam eius. *Odorato.*) Per hoc intelligit semen ipsum aceto præparatum quod odoriferũ est: cum caulis & folia ipsa male olentia sint. *Faba cum coriandro.*) Qua uirium potestate dictis tumoribus medeatur hoc medicamentũ, docet autor in textu, cum ait, Mollitq́ aperitq́ tumorem. Nec modo ambo hæc mixta id possunt, ut Dioscorides etiam lib. 3. testatur inquiẽs, Coriandrum cum lomento fabæ strumas dissjcit & panos: sed & horũ quodlibet uel per se idem efficere idoneũ est. Nam faba, quæ etiam ad furunculos maturãdos discutiendósue imponitur: lomento quoq; ex aceto decocto tumores maturat atq; aperit, teste Plinio libro 22. capite 25. Qui & de coriandro sic prodit libro 20. capite 20. Coriandrum omnes tumores collectionesq́ sanat cum melle aut uua passa. Panos uero ex aceto tritum. *Phasganeo.*) Phasganion herba est quæ & Xiphiõ & macheroniõ dicitur à Græcis: Latini gladiolũ uocãt, à similitudine foliorũ ab utrisq; sic dicta. Habet enĩ gladio, quẽ Græci φάσγανον & ξίφιον & μάχαιραν uocãt, simile folium: idq́ etiam iridi, ut tradit Diosc. ueruntamen breuius angustiusq́ & cultelli modo in mucronem desinẽs, uenosumq́ caulẽ ex se mittit cubitalẽ: in quo purpurei flores sunt deinceps dispositi & à se inuicem distantes. Semen habet rotundum: radices duas, & alteram alteri insidentem exiguorum bulborum figura: earum inferior gracilis est: superior uero crassior. Nascitur maxime in aruis. Et hinc fortassis Apuleius eam à Latinis gladiolum segetalem uocari dicit, inquiens: Xiphion, siue ut alij phasganion, Latini gladiolum segetalem, folijs gladio similibus, thyrso cubitali, floribus purpureis, radicibus duabus paruulis rotũdis, altera in altera nata, quarũ superior maior est, & acrioris uirtutis: cui ad panos discutiendos loliaceam farinam & aquam dulcem iungit Dio-

Faba. *Coriandrum.*

Phasganeon. *Xiphion.* *Macheronion.* *Gladiolus.*

Gladiolus segetalis.

ſcorides, dicitq́ꝫ diſcutiendi cauſa eam emplaſtris in hũc uſum conficiendis addi. *Radix.*) Scilicet ſuperior, quæ efficacior eſt. *Paluſtri.*) Quoniam, ut Plin. tradit, gladiolus in humidis naſcitur locis: cui Dioſcorides non repugnat, in aruis eam naſci aſſerens. Poteſt enim utrunqꝫ eſſe: nam poſſunt & arua humida eſſe: neqꝫ quia in aruis naſci dixit, ideo etiam in aquoſis naſci poſſe negauit. Sed quod diuerſos illos facere poterit, id eſt, quod Plinius ait, cum primum exit gladij prębet ſpeciem, caule duum cubitorum: cum Dioſcorides & Apuleius cubitalem tantum dicant. Quod autem Plinius radicem illi eſſe dicit ad nucis auellanæ figuram fimbriatam, idem eſt & non diuerſum illi quod alij dicunt, exiguorum bulborum figura & radicibus paruulis rotundis. Cæterum, ut Plin. ait, radicem effodi oportet ante meſſes & in umbra ſiccari. *Siue ſalix.*) Scilicet amerina, quę uitex dicitur, & Gręce ἄγνον & λύγον uocatur, uulgus agnum caſtũ appellat. Quod aũt uomicas panosq́ꝫ difficile concoquentes molliat, autor eſt etiam Plinius, at non cum coriandro, ſed cum farina ordeacea: uerũ id nihil refert, utrunqꝫ enim prodeſſe ſolet. *Manſum.*) Per hoc alterũ conficiendi modum indicat. Quidam enim fructum aqua tundunt, tum lauant, poſt hæc in aqua decoquunt: ut tradit Dioſcorides. Quidam uero acinos illos cõmanducant & ita conficiunt. Et hic modus eſt quẽ autor innuit. Probatur aũt in quo leuor eſt, q̊d porraceo colore intus uiret, foris flaueſcit, & in quo nihil aſperũ furfuroſum úe occurrit. Fit autem æſtate. Idem etiam tradit Plinius libro 24. capite 4. inquiens: Quidam in aqua cõtuſum decoquunt, donec nihil innatet. Quidam cõmanducantes acinos expuunt cortices. Optimum eſt, quod ſine cortice eſt, quodq́ꝫ leuiſſimum: extra fuluum, intus porraceum, quo nihil eſt glutinoſius. Amplius idem libro 16. capite ultimo: Viſcum fit ex acinis qui colliguntur meſſium tempore immaturi. Nam ſi acceſſere imbres, amplitudine quidem

Salix amerina.
Vitex.
Agnon.
Lygon.
Viſci conficiendi modus duplex

augentur,

augentur, uiſco uero marceſcunt. Siccantur deinde & aridi tunduntur: ac conditi in aqua putreſcunt duodenis uere diebus. Vnumq́ hoc rerum putreſcendo gratiam inuenit. Inde in profluēte rurſus malleo tuſis amiſſis corticibus interiore carne lenteſcunt, hoc eſt uiſcum pennis auium tactu ligādis, iuglandis oleo ſubactum cum libeat inſidias moliri. *Arbore.*) Ponit hoc ad differentiam alterius quod alibi naſcitur. Nam, ut Dioſcorides tradit, inuenitur & quorundam fruticum radicibus adnatum. Naſcitur autem in arboribus quercu, robore, ilice, pruno ſylueſtri, terebintho, malis, pyris, corylo & alijs arboribus. *Viſcum.*) Viſcū arbuſcula eſt in arboribus naſcens, ferens acinos ex quibus glutinum conficitur, quod ſimiliter uiſcum dicitur. Porrò arbuſculæ altitudo non excedit cubitalem ſemper fruticoſi ac uiridis. Mas fertilis. Fœmina ſterilis, aliquando non fert. Eſtq́ buxi folio, fructu acinorum figura. Omnino autem ſatum nullo modo naſcitur: nec niſi per aluum auium redditum, maxime palumbis et turdis. Hęc eſt natura ut niſi maturatum in uentre auium non proueniat. Cæterum quod ex acino fit uiſcum & glutinum, diſcutit, mollit, extrahit & humores ſiccat, quare & ſtrumas, panos, omniſq́ id generis tumores mitigat & ſanat, autoribus Plinio & Dioſcoride. Docet & Celſus inter alia contra panos uiſco uti. *Viſcum.*

Gramen hyoſcyami ceræ ſeuoq́ uetuſto
Concilia, mixtumq́ loco perduce dolenti.
Exercere etiam corpus medicina potens eſt.
Ouum diffundis in fictile, deinde putamen
Marrubij ſucco repleas, poſt melle liquenti
Omnia conſociata tepenti proſpera potu
Sumuntur, reſerantq́ malum, purgantq́ leuantq́.

Gramen hyoſcyami.) Herbam hyoſcyami quæ reprimit et refrigerat, quare & materię aditum prohibet. *Seuo.*) Adipi ſuillo, qui cum cera digerit et reſoluit diſſipatq́. *Cōcilia.*) *Hyoſcyamus.* *Adeps ſuillus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Exercitatio corporis. Coniunge & cõmisce. *Exercere corpus.*) Per corporis exercitationem intelligit gestationem, ambulationem, fricationem, aut aliam quampiam eiusmodi corporis motionem: cuiusmodi etiam Celsus in sacrum ignem patientibus utiles asserit. Et in cura apostematum durorum Auicenna sic præcipit: Et oportet ut membrum famem pati cogatur in reuolutione resolutionis, & trahatur nutrimentum ad eius oppsitum cum motione illius oppositi & exercitio eius & ipsius famelicatione et cibetur in reuolutione lenificationis, et fiat ei causa appetendi nutrimentum cum fricatione & quæ sunt ei similia. *Ouum diffundis.*) Hoc est, oui partes internas luteum & albumen extra corticem eorum effundis & corticem ab eisdem euacuas. Cęterum medicamentum hoc ut plæraq; alia ex Plinio desumptum uidetur, qui naturalis historiæ libro 20. cap. 22. sic infit: Castor marrubij duo genera tradit, Nigrum, & quod magis probat Candidum. In ouum inane succum adijcit is, ipsumq́ ouum infundit melle æquis portionibus tepefactum: uomicas rumpere, purgare, persanare promittens. Marrubium siquidem ac mel aperiunt et purgant, doloremq́ mitigant, præsertim iuncto ouo: quod etiam marrubij malignitati, qua renibus & uesicæ nocet, resistit. Sorbetur enim uel per se parum tepens contra uesicæ erosiones & renum exulcerationes. *Putamen.*) Putamina dicuntur rerum purgamenta & quicquid à quacunq; re proijcitur. Vnde ouorum ac nucũ cortices etiam putamina uocantur. Plinius lib. 15. cap. 22. de nucibus: Honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimẽto, puluinati primum calicis, mox lignei putaminis. Et sola differentia generum in putamine duro fragiliue. Idem libro 29. cap. 3. de ouis: Firmitas putaminum tanta est, ut recta nec ui nec pondere ullo frangãtur: nec nisi paululum inflexa rotunditate. Dicuntur item putamina, arborũ ac uitium sarmenta, quę putantur & exciduntur. *Liquenti.*) Puro & mundo.

Tertia quarti, tr. 2. cap. 12.

Marrubiũ cum melle & ouo.

Putamen.

Igni

IGNI SACRO DIMOVENDO.

CAPVT XL.

EST etiam morbi species qui dicitur ignis,
Languida quo multo torrentur membra calore,
Vel tu uicino seuum bouis igne remittis,
Mollitumq́; lines, uel oloris fecibus oua
Sed non cocta dabis: sic torrida membra fouebis.



IGNI *sacro.*) Ignis sacer est, quem Græci ἐρυσι- *Ignis sacer.*
πέλας uocãt, in genere inflammationis à ueteri *Erysipelas.*
bus positũ, qui om̃es calidos cũ dolore & inflã
matione tumores simpliciter inflammationes
uocare consueuerunt: uerum uariante illarum materia
ex qua generantur, mox alijs etiam nominibus distinxe-
runt, utpote phlegmonas id est inflammationes, anthra- *Phlegmone, in-*
ces idest carbunculos, herpetas id est serpentia ulcera, & *flammatio.*
erysipelata id est sacros ignes appellãtes. E quibus qui ex *Anthrax, car-*
bono & mediocris crassitudinis sanguine multo fiunt, *bunculus.*
priuatim & proprie phlegmonas & inflammationes uo- *Herpes, ulcus*
cant. Qui uero ex sanguine calidissimo simul & crasso, an *serpens.*
thraces & carbunculos. Qui ex flaua bile, herpeta, id est *Erysipelas,*
serpens ulcus. At qui ex tenui sanguine interim et cum bi *ignis sacer.*
lis parte, incenso ac feruente cõsistit, erysipelas & sacrum *Cutis duplex.*
ignem appellant. Qui affectus circa cutim maxime consi
stit, tum eam quæ foris & omnium partium commune
tegumentum est, tum illam membranosam & tenuẽ quæ
singulis internarum est circũdata, uti Galenus therapeu-
tice libro 14. tradit. Estq́; in duplici differentia. Nam uel
cum exulceratione, uel sine ea incidit. Cum enim crassior
humor acriorq́; fuerit, summam cuticulam epidermida, *Epidermis.*
à Græcis uocatam excoriat: spacioq́; ad profundum ali-
quando cutis exulceratio peruenit: non tamen alte in cor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

pus descendit, sed in cute potius consistit: quamuis sicuti phlegmones affectus cutis aliquid apprehendit: ita hic quoq; aliquid subiectæ sibi carnis occupet. Estq; color huic pallidus aut flauus, seu ex pallido flauoq; mixtus. Cæterum cum nec plane biliosa nec sanguinea sit fluxio, sed ex ambabus mixta, utiq; ex abundante altero humore nominatur, sic ut exuperante sanguine phlegmonem inflammationemúe erysipelatosam: flaua uero bile abundante, erysipelas phlegmonosum seu inflammatum uocemus. Vbi neutrum uincit, ibi uitium phlegmones erysipelatosq; medium dicemus. Et hæc erysipelatum genera, quæ antiquiores Latini uno nomine sacros ignes uocauerunt. De quibus & si aliter dicere uideatur lib. 5. Celsus, & separatim de sacro igne & erysipelate egerit, non multum tamen ab horum ratione illa communi discedit. Fatetur & Plinius plura sacri ignis esse genera libro 26. Sed de hijs nunc satis. *Est etiam mor.*) Descriptio est ignis sacri, de quo iam copiose satis dictũ est. *Torrentur.*) Vruntur & inflammantur. *Vicino igne.*) Hoc est, secus & iuxta ignem. *Remittis.*) Relaxas, dissoluis et liquefacis. *Mollitum.*) Remissum, solutum & liquefactum. *Oloris.*) Olor auis est candida, maior ansere, quæ instante morte, ut tradunt, mirandos cantus ędere solet, hanc Gręci Cygnum uocant. *Dabis.*) Commisces. *Sic.*) Ita mixtis fecibus & ouis. *Torrida.*) Igne sacro inflammata.

Olor. *Cygnus.*

Lumbricus terræ mixto inducetur aceto,
Aut parili noua ruta modo, sed iungis oliuum.
Ouaq; cum betis prosunt super illita tritis.
Allia dant cinerem, sociato oleoq;, garoq;,
Vnguine quo gliscens deponet flamma furorem.
Sæpe chelidoniæ, pars candida iungitur oui,
Quæ modico potu sedulo detrita capesses,
Admiscere memor lymphas amnemq; Falerni.

Lumbricus terræ. *Lumbricus terræ.*) Vermes terreni. Qui, ut Plinius etiam libro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

bro 30. cap. 3. testatur, ex aceto illiti sacro igni medentur. *Parili.*) Simili modo quo lumbrici, scilicet ex aceto. *Noua ruta.*) Ruta recens, quam illitam ex aceto & oleo sacrum ignem emendare, Plinius etiam tradit libro 20. cap. 13. At Dioscorides Cerusam addit libro 3. *Oliuum.*) Oleum, & præsertim rosaceũ, autore Dioscoride. *Oua cum betis.*) Plinius nat. hist. libro 29. cap. 2. Ouis oleum miscet & betę folia superligare iubet inquiens, Oua cum oleo trita ignes sacros leniunt, betæ folijs superligatis. Et libro 20. cap. 8. betæ albæ succum aluminis parum admixto eundẽ morbum sanare dicit. Dioscorides uero id etiam de sola beta elixa asserit. Sed quod ad oua attinet, oportet illa accipere cruda, & præsertim quod candidum est in ouo: id enim non modo sacrum ignem, sed & omnem inflammationem lenit. *Allia.*) Alliorum cinerem ex oleo & garo illitum sacros ignes sanare testatur etiam Plinius libro 20. cap. 6. *Vnguine.*) Linimento. *Gliscens.*) Crescens. *Flamma.*) Ignis & ardor. *Furorem.*) Seuitiam, cruciatum & dolorem. *Chelidoniæ.*) Quod chelidonię succus cum oui candido potus sacrum ignem sanat, hoc ideo fit, quia chelidonia bilem, quæ cum calido sanguine morbi causa est, purgat: oui uero cãdidum calorem refrigerat: temperantur autem hæc aqua & uino æquis portionibus. *Sedulo.*) Diligenter. *Capesses.*) Sumes & bibes. *Lymphas.*) Aquam. *Amnem Falerni.*) Vinum bonum quale est Falernum, sic dictum à loco ubi nascitur.

Ruta. *Beta.* *Oua.* *Allia.* *Chelidonia.*

PODAGRAE DEPELLENDAE.

CAPVT XLI.

Quædã sunt rabidæ medicamina summa podagrę,
Cui ter trigeminas species Epidaurius ipse
Dixit inesse deus, requiem tamen indere morbo
Fas erit, & tristem saltem mulcere dolorem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Podagra.

ODAGRAE.) Podogra pedum morbus est, dolorem male affectis neruis adferens, nūc cum inflammatione, nunc cum refrigeratione. Fit autē ex influente aliquo ad pedes humore supfluo ac eorundē imbecillitate. Necesse enim est, autore Galeno, pedes natura esse imbecilliores si quis podagra corripi debeat: quan uis imbecillitas illa nō sit sufficiens ad generādam passionē ex intermedio tēpore accessionū, in quo nulla fere infestantur, quamuis natiua imbecillitas continua sit. Clarum autem & in prodagricis manifestissime apparens est & hoc, quod influente aliquo ad pedes humore superfluo, passio generatur. Cæterū quum ad pedes influit humor, fluctio ad articulos decumbit, hancq́ fluctionem suscipiunt, primum quidem loca articulationum, deinceps circumstantia omnia, usq; ad cutē. Quia uero implentur articulationes, liquet etiam ea quæ ipsi circumiacent ligamēta extendi esse necessarium: non autem inflammari, licet cum inflāmatione fuerit passio. Neruos enim & chordas non est rationabile in ipsis inflammari, sed solum dolere, cum simul articulationes extenduntur. Estq́ hic morbus podagra omnibus qui in articulis fiunt uehementior, est item longissimus & liberatu difficillimus: quamuis enim in pluribus ad tēpus mitigetur dolor, non ideo tamē radicitus euellitur morbus. Quod si in aliquibus sponte definat, id non medicinæ potestati tribuendū est, sed uitæ potius moderantiæ: quæ uel potissima causa fuit quod Hippocratis ætate ac patrū auorumq́ memoria rarior solebat esse morbus paucíq́ tunc eo laborabant. Nostris uero temporibus, usq; adeo auctis eduliis, ut nihil eis addi posse uideatur, infinita est podagrarum multitudo, cum nonnulli sint qui nihil exercitantur, & cruditatibus atq; ebrietatibus offendantur & ante cibum assumptum bibant uina potentia, ac uenereis utuntur immoderatis: nonnulli uero, & si non in his omnibus, in uno saltem, aut duobus ex his quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

sunt dicta delinquant. Præsertim circa uenereorũ & uini immoderatiorẽ usum. Vnde non inelegantes Græci extant uersiculi, Λυσιμελοῦς βάκχου καὶ λυσιμελοῦς ἀφροδίτης γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα. Quos nos utcunque Latine sic reddidimus: Connuptis Venere & Baccho soluentibus artus Nata artus soluens nascitur hijs podagra. Sed cum peccatum fuerit magnum, sæpius in uno dictorum deliquisse sat erit. *Quædam.*) Aliqua: quæ si non radicitus morbum tollunt, saltem ad tempus dolorem leniunt. Quamuis insanabilis non est credendus, ut Plin. scribit, quippe quoniam in multis & sponte desinit, & in pluribus curatur. *Rabidæ.*) Furibundę & ob doloris uehementiam cruciatumq; quasi ad rabiem & furorem insaniamq; perducentis. *Summa.*) Vltima & præcipua & præ alijs maxime efficacia: quæ si non iuuant, nec alia iuuare poterunt. *Ter trigeminas.*) Hoc est, tres. Siquidẽ podagra in triplici repperitur differentia. Nã aut est in principio morbus & sine tumore, quamuis non sine dolore uehementi: aut est cum tumore cui calor quoq; accedit, aut altius radices fixit & tumor iam induruit obcalluitq;, qui uix aut nũquam curã admittit. Vnde Oui. ait, Soluere nodosam nescit medicina podagrã. Qui itaq; podagrã curare uolet, considerare debet, quæ nã species mẽbrum infestet. Nam, ut Cel. ait, ubi dolor uehemens urget, interest, sine tumore is sit, an tumor cũ calore, an tumor iam etiam obcalluerit. *Epidaurius.*) Aesculapius, qui Epidauri numinis uice colebatur. *Requiem indere.*) Hoc est, morbi dolorem lenire & mitigare. *Tristẽ.*) Hoc est, tristitiam, inquietudinẽ & perturbationem adferentẽ. Inter eos enim qui in articulis gignunt, nullus molestior est ipsa podagra. *Saltẽ.*) Quasi dicat, Si nõ ex integro & radicitus euelli potest, laborandum tamen est ut dolor mitigetur, si fieri poterit. Saltem enim quidã per defectionẽ dictũ putant: quasi, si aliter nõ potest. Aliqui uero dicunt Saltem dictũ u. media litera extrita & abiecta. Salutẽ enim ante dictũ, quod nos saltem dicimus. Nam cum alia quædam petita,

Podagræ species tres.

Deus Epidaurius.

Saltem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

& non impetrata sunt, tum dicere solemus, hoc saltem fieri oportere, tanquam salutem postremo petentes, quam & impetrari certe & obtineri sit æquissimum: autor Atticarum noctium lib. 12. cap. 14. Gellius.

Ergo age & arreptam salicis frondemq́ librumq́
Cum uino tere, sic contractos perline neruos.
Aut cum prima mali sese ostentabit origo
Feruida non timidis tolera cauteria plantis,
Seminecisúe hirci reserato pectore calces
Insere, sic diræ reprimis primordia pestis.

Age. Salix. *Age.*) Age, olim uerbum fuit, sed factum est aduerbiũ hortantis ex imitatione Græcorum. *Salicis frond. libr.*) Folia & corticem salicis. In quo liquore coqui debeant non tradit Dioscorides, eorundem tamen decocto podagras utilissime foueri testatur libro 1. Plinius autem libro 24. cap. 9. ijsdem in uino decoctis foueri neruos utilissimum ait. Contrahere. Contractio. *Contractos.*) Contrahere inter alia significata sua aliquando colligere est. Et inde contractio dicitur neruorum, cum scilicet nerui rigore quodã colliguntur, ita ut extendi non queant. *Prima origo.*) Hoc est, à morbi initio, & quàm primũ dolor percipitur. *Feruida.*) Excalfacta, candentia & ignita. *Non timidis.*) Nõ pertimescẽtibus, sed audacibus et sine timore, solide audenterq́ cauteris ustionẽ perferentibus & tolerantibus. Cauteria. *Cauteria.*) Cauteria siue cauteres, sunt instrumenta metallica chirurgorum, quibus candentibus & ignitis putridas carnes & ulcera adurunt & curãt, maxime ubi lenia siue alia nihil proficiunt medicamenta. Fiunt autem maxime ex ferro, quamuis etiam aliquando ex auro fiant, quæ etiam propter auri uim confortantem alijs meliora probantur. Et hæc cauteria sunt, quæ actualia uocãt medici. Sunt enĩ alia quoq; ab ijsdem potentialia appellata, hoc est, medicamẽta caustica quibus caustica & adurẽs uis inest ceu calx aut sapo. Cæterum ad quid utilis sit cauteris usus, docet nos Auicenna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

cenna quarta primi dicens: Cauterizatio est medicamen ualde utile, iuuans ad prohibendum ne corruptio spargatur, et ad confortandum membrum cuius complexionem uolumus rectificare, & ad resoluẽdum materias corruptas in membro retentas, & ad restringendum sanguinis fluxum. Sunt item & pictorum cauteria, instrumenta quibus peculiariter in encaustice dicta pictura utũtur, quę fit coloribus inustis & resolutis igne ceris. Sed de his nihil ad præsens. *Plantis.*) Planta pedum pars est tota inferior. *Seminecis hirci.*) Semimortui. Nex enim mors est. Accipitur autem hircus uiuus & pectus seu uẽter illi scinditur aperiturq́, quo aperto quamprimum & actutum sanguine adhuc calente pedes podagrici imponuntur, sicq́ podagræ dolor sedatur. *Pectore.*) Ventre. *Calces.*) Pedes. Calx enim pes imus dicitur, cuius partes sunt, Cõuexum quæ pars est superior, Planta pars inferior, Calcaneum pars posterior, Vola pars medij pedis concua, Digiti & ungues. *Primordia pestis.*) Podagram incipientem. Dicitur autem pestis eo quod saluti et sanitati fit aduersa.

Planta. Nex. Hircus. Calx. Pedũ partes.

Aut si corruptus persederit altius humor,
Trita cupressus ibi Baccho iungatur acerbo,
Panibus & teneris cohibet superaddita quæstus.
Parua sabucus item si hircino est condita seuo.
Triticeæq́ acido manantes amne farinæ,
Aut nitidum ranæ decoctum uiscus oliuo.
Siue chelidoniæ succus sale mixtus aceto.

Humor.) Scilicet ex quo generaẽ podagra. *Persederit altius.*) Profundius radices egerit & longius durauerit & quasi obcalluerit: quamuis ubi cõfirmatus est morbus uix aut nunquam curetur. Nam soluere nodosam nescit medicina podagram, ut inquit Ouidius. *Cupressus.*) Clarius idem medicamentum ponitur à Plinio libr. 24. cap. 5. hijs uerbis, Cupressi folia trita cum duabus partibus panis mollis & ẽ uino Amineo subacta, pedum ac neruorum

Cuppressus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

dolores sanant. Præsertim ubi cum incēsione siue inflammatione est morbus. Cupressus enim adstringit & refrigerat: adstringit & uinum si acerbum fuerit: Panis uero, ut Dioscorides libro 2. tradit, maxima molliendi refrigerandiq; ui quam habet, omnes inflammationes illitus lenit, prǣsertimq; admixtis succis herbisúe aliquibus ad id facientibus. Loquitur autem de pane triticeo. *Baccho acerbo.*) Vino adstringēte. *Panibus teneris.*) Pani maxime triticeo, molli, & molliendi ui participanti. *Cohibet.*) Arcet, lenit & mitigat. *Superaddita.*) Imposita et illita. *Questus.*) Querelas, dolores & cruciatus. *Parua sabucus.*) Per hoc quod dicit parua, intelligit folia tenera & recētia siue coliculos ipsos teneros: nisi ad alteram speciem eius quæ chamæacte est & ebulum, referre malueris. Sunt autem ambo genera eiusdem uirtutis. Siccant, adstringunt & refrigerant. Plinius libro 24. cap. 8. Podagris cum seuo hircino uehementer prosunt sabuci cauliculi illiti. Dioscorides: Podagris opitulantur cum taurino hircinóue adipe emplastri modo imposita folia tenera & recentia. *Hircino seuo.*) Adipe hircino, qui etiam adstringētis est uirtutis, autore Dioscoride. Nec modo cum sabuco podagris medetur, sed et egregia resoluendi potestate cum caprino fimo et croco coactus impositusq; ijsdem prodest, ut idem testatur Dioscorides. *Condita.*) Abscōdita & commixta. *Triticeæ farinæ.*) Cur tritici farina podagræ inflammationibus medeatur, eadem est ratio quæ iā paulo ante dicta est de pane. *Acido amne.*) Id est, aceto, quod adstringit & refrigerat et inflammationes arcet, autore Dioscoride: in quem usum etiā, ut ait, succidæ lanæ aut spongiæ inspergitur, & imponitur. Porrò non est prætereundum ex eo exemplum ingens quod Plinius libro 23. cap. 1. refert: Siquidem M. Agrippa supremis suis annis conflictatus graui morbo pedum, cum dolorem eum perpeti nequiret, unius medicorum portentosa scientia, ignorante diuo Augusto, tanti putauit usu pedum sensuq; omni carere dum-

Panis. Sabucus. Seuum hirci. Tritici farina. Acetum. Marcus Agrippa.

dummodo et dolore illo careret, demersis in acetum calidum cruribus, in acerrimo impetu morbi euasit. Ea itaq; uitæ conditio est, ceu idem Plinius libro 25. cap. 3. ait, ut mori plerunq; etiam optimi portus sit: traditq; Varro Seruium Clodium equitem Romanũ magnitudine doloris in podogra coactum ueneno crura perunxisse, & postea caruisse sensu omni æque quàm dolore in ea parte corporis: meminitq; huius in libro de illustribus grammaticis Suetonius hijs uerbis quoq;, Seruius cũ librum soceri nondum ęditum fraude intercepisset, et ob hoc repudiatus pudore, ac tędio secessisset ab urbe, in podagræ morbum incidit, cuius impatiens ueneno sibi perunxit pedes, & enecuit ita, ut parte ea corporis quasi præmortui uixerit. *Manantes.*) Stillantes, hoc est, aceti mixtione humectatæ. *Nitidum.*) Splẽdidum, candidum & album. Est enim albi coloris ranarum caro cocta. *Ranæ dec. uisc. oliuo.*) Hoc est, oleum in quo decocta est rana. Plinius libro 32. cap. 5. Podagris, articularibusq; morbis utile est oleum in quo decocta est rana, & ipsarum intestina, & rubetæ cinis cum adipe uetere. *Viscus*). Viscus dicitur proprię quicquid sub corio & cute est, ceu caro, ossa, cor et reliqua exta. *Chelidoniæ.*) Valet hoc medicamentum in podagra quæ à frigidis oritur humoribus.

Seruius Clodius.

Oleum ranarum.

Viscus.

Chelidonia.

Sunt quibus apposita siccatur hirudine sanguis,
Non audita mihi sit fas, sed lecta referre,
Hoc quidam captus morbo per tempora messis
Vicino plantas frumenti pressit aceruo,
Euasitq; grauem casu medicante dolorem.

Hirudine.) Corruptum enim sanguinem extrahunt, idq; potentius quàm cucurbitæ post cutis incisionem appositio. Sed de hirudinũ usu quid Plinius dicat, audiamus, cuius uerba in naturali historia libro 32. cap. 6. sunt hæc: Hirudinum, quas sanguisugas uocant, ad extrahendum

Hirudo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

sanguinem usus est: quippe eadem ratio earum quæ cucurbitarum medicinalium ad corpora leuanda sanguine, spiramenta laxanda iudicantur. Sed uitium quod admissæ semel desiderium faciunt circa eadem tempora anni semper eiusdem medicinæ. Multi podagris quoq; admittendas censuere. Decidunt satietate & pondere ipso sanguinis detractæ aut sale aspersæ. Aliquando tamen ad fixa relinquunt capita, quæ causa uulnera insanabilia facit & multos interimit: sicut Messalinum è consularibus patritijs cum ad genua admisisset. Inuehunt uirus remedio uerso, maximeq; ruffæ ita formidantur. Ergo suggentia ora forficibus præcidunt, ac ueluti siphonibus defluit sanguis: paulatimq; morientium capita se contrahunt, nec relinquuunt. Natura earum aduersatur cimicibus, & suffitu necat eos. Hæc Plin. *Sanguis.*) Humor corruptus sanguini mixtus, qui & morbi causa est. *Non audita &c.*) Ponit nunc contra podagram remedium, quod non auditu tanquam fallaci, sed lectione & scripto tanquam ueraci relatione se habere dicit, ea enim quæ literis mandantur, ceu uera putantur: est autem remedium id quod Plinius etiam naturalis historiæ libro 22. capite 25. refert, inquiens: Sextus Pompeius prætorij uiri pater, Hispaniæ Citerioris princeps, cum horreis suis uentilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua, leuatusq; siccatis pedibus mirabili modo hoc postea remedio usus est. Vis tanta est, ut cados plenos siccet. *Quidam.*) Scilicet Sextus Pompeius. *Frumenti.*) Tritici maxime. Cum enim è frugum generibus frumenta etiam sint uaria & non unius generis, ceu triticum, hordeum & alia, hic per frumentum intelligitur triticum maxime. *Pressit.*) Impressit & immersit imposuitq;.

Messalinus.

Sextus Pompeius.

Vul

VVLNERIBVS FERRO AVT VERBERIBVS FACTIS.

CAPVT XLII.

NATVRAE uitijs medicas obiecimus artes:
Nunc & fortunæ iaculis obsistere par est.



VLNERIBVS.) Inter morborum genera est & ipsa continuitatis solutio, in omnibus animalis partibus incidens, sed quę in diuersis partibus diuersa quoque sortiatur nomina, de quibus copiose Galenus in libris therapeutices. Porrò inter eas una est quę in carne fit: & hęc itidem duplex. Nam aut ulcus est, quod per se nascitur & intra seipsum corrũpitur, aut etiam ex præcedẽte uulnere quoquo modo putrescente generatur, de cuius curatione infra capite proprio agetur. At uulnus est quod extrinsecus cęsim percussimúe acuto telo, saxo aut simili aliquo incidit corpori. Diciturq́; esse ex uulnerando in carnosa parte relicta continuitatis solutio, hoc est, hians patensq́; extrinsecus in carnosa corporis parte, ferri aut lapidis aut alterius similis alicuius rei ictu & uulneratione facta apertura. Nam quæ citra uulnerationem fit, non uulnus sed ruptio, Gręce rhegma dicitur. Fiunt aliquando & animalium uenenosorum morsu aut ictu uulnera, de quibus etiam proprijs aget capitibus autor. Præsenti uero capite solum de his tractat quæ aut telorum & acutarum rerum ictu, aut grauiorum durorumq́; contusione fiunt. *Ferro.*) Per ferrum intelligit tela, enses & omnia acuta quæ ad secandum sunt habilia. *Verberibus.*) Per uerbera intelligit lapides, ligna & omnia grauia atq; dura, quæ contundendo unitatem soluunt. *Naturæ uitijs.*) Id est, morbis naturalibus, hoc est, qui existentię & originis suæ principium intra naturam, hoc est intus in corpore humano ex humo-

Continuitatis solutio. *Vlcus.* *Vulnus.* *Ruptio, rhegma.* *Naturæ uitia.* *Morbi naturales.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

rum, è quibus constituitur, corruptione habent: & quibus in corporis partibus certæ sedes assignantur. *Medicas artes.*) Remedia salutaria ex medicinę arte deprōpta. *Obiecimus.*) Opposuimus, & quibus amoliri curarię́ possint, ostendimus. *Nunc.*) Scilicet capite præsenti & aliquot sequentibus. *Fortunæ iaculis.*) Hoc est, casibus & effectibus corpori extrinsecus fortuito per tela, enses, saxa, aut id genus iacula alia illatis. Iaculum enim dicitur quicquid in longum iaci potest. Fortuna uero accidentium rerum subitus atq; inopinatus euentus est: sic dicta à ferendo, quod temere & sine ratione feratur. *Par.*) Aequum, conueniens ac decens.

Iaculum. *Fortuna*

Si cui forte lapis teneros uiolauerit artus,
Necte adipes uetulos & tritam chamæcisson,
Nec pudeat luteæ stercus perducere porcæ,
Sin autem sæuo laceratū est uerbere corpus,
Tunc ex lixiuio ceras dissoluis & oua
Admixtoq́; oleo uibices comprimit atras.

Violauerit artus.) Hoc est, membris & corpori uim intulerit & uulnerauerit. *Necte.*) Annecte & uulneri superligato. *Adipes uetulos.*) Et hoc præsertim si immundum sit uulnus: purgat enim Celso teste libro 5. Qui etiam quanto uetustior, tāto utilior: siue salitus sit, siue nō. Inueteratur enim Plinio libro 29. capite 9. autore, duobus modis, aut cum sale, aut syncerus. *Chamæcisson.*) Chamęcissos est hedera terrestris, cuius uirtus est siccans, quare et uulneribus nō inutilis. Siccatio enim totius uuluerum curationis est finis, autore Hippocrate in lib. de uulneribus, dum inquit: Quodcunq; uuln⁹ cęsim percussimúe acuto telo est diuisum, medicamentū enhæmō & siccās aliquid, quod suppurare uetet, admittit. Siquidem uulneris qua uulnus est sanatio, uti therapeutice libro 3. & 4. Galenus prodit, mediocris siccatio est: ut & si qua sanies subsit, hæc cōsumatur: & si qua in uacuum locum influxura est, hæc prohibeatur

Adeps uetus.

Chamæcissos. *Hedera terrestris.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

beatur. *Luteæ.*) Rutilæ & croceæ siue cerinæ à colore. Color enim is maiorem temperamẽti siccitatem indicat. *Stercus porcæ.*) Idem testatur Plinius naturalis historiȩ lib. 28. cap. 10. inquiens: Fimum recens suum uel inueterati farina illinitur uulnerib⁹ ferro factis. *Sæuo uerbere.*) Forti & uehementi percussione. *Lixiuio.*) Lixiuium est aqua in qua lauandi gratia decoctus est cinis, hoc est, puluis in quẽ materia usta redacta est & lix dicitur. Plin. Ad cõuulsa uiscera aut contusa, ut M. Varro autor est: ipsis enim uerbis eius utar: Lix cinis, inquit, est foci. Inde enim cinis luxatis potus medetur, ut licet uidere gladiatores, quum deluserint hac iuuari potione. Hæc ille. Dioscorides libr. 5. cap. 89. Fit ex cinere lixiuia, cuius usus est contra lapsus præcipitationesq;. *Ceras.*) Cera duricias mollit & discutit: estq; materia emplastrorũ. *Oua.*) Præsertim album eius: quod libr. 5. Celsus inter ea quæ uulnera glutinant, connumerat. Et Plinius libr. 29. capite 3. aliorum opinionem referens inquit, Aiunt & uulnera cãdido glutinari. Idq; maxime crudo, teste Dioscoride libro 2. cum inquit: Quod cãdidum in ouo est crudum refrigerat & glutinat. *Oleo.*) Prȩsertim ueteri, quod magis discutit. *Vibices.*) Vibices dicũtur plagȩ uerberũ & percussionũ in corpore humano factæ. Sic dictæ quod ui fiant. Plagȩ uero quȩdam sunt apertæ, & harum aliæ recentes ut uulnera recentia: aliæ ueteres, ut ulcera putrida sanieq; purulenta fluentes. Quædam autem sunt clausȩ, quarum aliæ sunt notæ tantum collecti ex uerbere sanguinis & citra tumorem etiam quæ liuores dicuntur: aliȩ uero cum tumore, ut tumentia ulcera & tumores qui ex uerbere collecto in unũ sanguine fiunt, quamuis & citra uerbera in corpore tumores nascantur.

Stercus porcæ. *Lixiuium.* *Lix.* *Cera.* *Oua.* *Vibices.* *Plagæ.* *Liuores.*

Si uero infrenus manat de uulnere sanguis,
Purpura torretur conchilis perlita fuco,
Huius uis cineris currentem detinet undam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Infrenus.) Impetuosus, immodicus & multus atq; superfluens, qui periculum secum ferre solet. Vnde Celsus ait: Vbi aliquis ictus est, qui seruari potest, protinus prospicienda duo sunt, ne sanguinis profusio, néue inflāmatio interimat. Si profusionem timemus, quod ex sede uulneris et magnitudine eius & ex impetu ruentis sanguinis intelligi potest, siccis linamentis uulnus implendum est. Et tale nunc nobis proponit Serenus. *Purpura.*) Purpura proprie piscis ęst ex genere concharum, cuius sanie siue cruore tinguntur lanæ nigrantis rosæ colore. Accipitur tamen aliquando pro colore ipso à matre sic dicto. Potest item & pro lana eo colore tincta accipi, siue pro uelleribꝰ quæ in marinis purpuris stupparum imagine sunt, ab aliquibus tomenta uocata, ab alijs licia, ab alijs fimbriæ, ab alij stuppę aut uillositates, Gręci κροκύδας nuncupant. Reperiuntur siquidem in purpurarū genere quæ superiore sui parte uillosæ sunt, tam tenui & sequaci uellere ut in filum lini modo trahi & confici possit. Et siue de hoc siue pecoris uellere purpurarum sanguine tincto loqui intelligatur autor, medicamentum efficax comprobabitur. De priore testimonium nobis exhibet Dioscorides libro 2. capite de lanis, dū id in eundē medicinę usum lanarum modo cremari prodit. De posteriore idem testatur autor hic mox post & infra capite penultimo. Cęterum non solum huiusmodi uellera tali sanguine infecta & cremata sanguinis fluorem sistere possunt, sed & ipsa tota purpurę piscis substantia cremata, hoc est, testæ & carnis ipsius cinis. Vnde Auicenna Canonis libro 2. de ostraco purpureo adusto loquēs, Ostracum, inquit, cum carne sua confert uulneribus. Siccat enim purpurarum cinis & constringit, autore Dioscoride. *Torretur.*) Aduritur & in cinerē redigitur. *Conchilis.*) Scilicet purpurei. *Perlita.*) Infecta & tincta. *Fuco.*) Colore & sanguine. Fucus herbæ genus est tingēdis lanis aptū: Græci φῦκον uocāt. Accipit aūt & pro colore ipso arte addito. *Vndam.*) Sanguinem.

Purpura.

Purpurarū tomenta, Licia, Fimbriæ, Stuppæ, Villositates. κροκύδαι.

Fucus.

Verrucæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Verrucæ quoq; deſectæ frenare cruorem
Dicitur ambuſtus Tyrio de uellere puluis.
Præterea nimios reſerati uulneris amnes
Fœniculi cinis adſtringit, uel fimbria porri,
Siue fimus manni cum teſtis uritur oui,
Et reprimit fluidos miro medicamine curſus.

Verrucæ.) Verruca eſt caruncula & tuberculum corporis eminens, cuius ſectæ ſanguis ſuo contactu alias quoque naſci facit: è quarum etiam ſectione ſanguis aliquando immoderatius fluere ſolet, cui fluctioni nunc præſenti capite mederi docet Serenus. Quo pacto autem ipſæ radicitus extirpandę ſint, docebit idem infra capite penultimo, ubi & hanc medicinam repetit. *Frenare.*) Compeſcere & conſtringere. *Ambuſtus puluis.*) Hoc eſt, cinis. *Tyrio uellere.*) Lana Tyria purpurarũ ſanie infecta. Sic dicta à loco ubi fit purpura: apud Tyrum enim optima tingebatur purpura. Eſt autem Tyrus præclara Phœniciæ urbs, quæ & Sarra dicebatur. Vnde Sarranum oſtrum uocat Vergilius, hoc eſt, Tyrium. Huius urbis in ſacris literis ſæpe percelebris fit mentio. Eſt autem uicina Iudææ, ſita ad aquilonem uerſus occidentem. Fuitq; olim, ut Plinius lib. 5. cap. 19. ſcribit, inſula prælato mari ſeptingentis paſſibus diuiſa. Nunc uero Alexandri oppugnantis operibus continẽs. Olim partu clara, urbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani imperij æmula, terrarum orbis auida Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis eius nobilitas conchylio atq; purpura conſtat. Sed plura de Tyro Curtius libro 4. & Strabo libro 16. qui inter alia quoq; ait Tyrum poſt euictas calamitates ſuas, ſeipſam tum nauigando tum purpurarum piſcatu inſtauraſſe. Tyria enim purpura optima omnium perhibetur. Eſtq; ſanguini ſiſtendo cæteris magis accommoda: habet enim adſtringẽdi uim reliquis tenuiorẽ, ut tradit Galenus therapeutice libro 8. quare cæteris etiam præſtat.

Verruca.

Purpura et uellus Tyrium.

Tyrus.

Sarra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Eius enim uirtus, siccando, calefaciendo, ac robur inserendo, corpora alte penetrare potest, ob quod & efficacior habetur. *Nimios amnes.*) Hoc est, sanguinis fluxum ex uulnere superfluentem. *Fœniculi cinis.*) Præsertim stipitum. Siccantis enim uirtutis est & adstringētis. *Fimbria.*) Fimbriæ uestimentorum & aliarum rerum extremitates dicuntur, à fibro quod antiqui, ut M. Varro testatur, extremum dicebant. Vnde & in iocinore & pulmone fibræ dictæ, partes extremæ. Et fiber animal quod circa fluminum oras extremas uersetur. *Porri.*) Porro adstringēdi & sanguinem supprimendi uim esse, testantur etiam Dioscorides, Plinius & Celsus. Vnde & uulneribus imponitur. *Fimus manni.*) Idem testatur Plinius libro 30. capite 3. dicens: Si ex uulnere immodice fluit sanguis, fimi caballini cum putaminibus ouorum cremati cinis impositus mire sistit. Sunt autem Manni, equi & caballi. Seneca in libro epistolarum moraliū: Ita non omnibus obesis mannis & asturconibus & tollutaribus præferes illū unicum equum ab ipso Catone defrictum.

Fœniculi cinis. *Fimbria.* *Fiber.* *Porrum.* *Fimus equi.* *Manni.*

VVLNERIBVS QVIBVSCVNQVE CASIBVS FACTIS.

CAPVT XLIII.

TAM multa humanæ sunt uulnera conditionis
Vt nequeam proprias cunctis adscribere curas,
Iisdem igitur monitis casus armabimus omnes,
Sic tamen ut nullus medicinam eluserit error.
Ergo modus quicunq; obtingit uulneris atri
Contritus cum melle dabit medicamina bulbus.
Herbaq; quæ folijs nomen de mille recepit
Appositu prodest adipi permixta uetusto.

Qui-


VIBVSCVNQVE *casibus.*) Id est, quacunque occasione, siue incidendo, siue contundendo, siue rumpendo, siue quomodolibet aliter fiant. *Tam multa.*) Hoc est, plurima et uaria atque diuersa: alia enim secando, alia percutiendo aut contundendo, alia rumpendo aut aliter fiunt: & quocunque casu fiant, sunt etiam uariæ ipsorum differentiæ, ceu magnum, paruum: æquale, inæquale: summũ, profundum: rectum, curuum, & si quæ sunt aliæ. *Humanæ conditionis.*) Sortis humanæ, & quæ in humano corpore contingũt. Conditio enim dispositio quædam est & ueluti sors fortunarum, temporum & rerum. *Vt nequeam prop.*) Scilicet propter laborem frustraneum: frustra enim & superuacaneum esset unicuique differentiæ propriam speciatim & seorsum adscribere medicinam, cũ omnes una & eadem possint curari. *Curas.*) Hoc est, curandi modos & medicamenta. *Monitis.*) Admonitionibus, documentis, curationibus & medicamentis. *Casus.*) Vulnera cuiuscunque sortis aut conditionis fuerint. *Armabimus.*) Instruemus & curabimus. *Cum melle bulbus.*) Plin. libr. 20. cap. 9. Bulbi uulneribus mire prosunt per se: aut, ut Damion, ex mulso, si quinto die soluantur. Dioscorides libr. 2. contusis emplastri modo impositos prodesse ait. Vulnera enim glutinant, uti Celsus testatur. *Herba folijs &c.*) Hoc est, millefolium, quod Plinius etiam magnifici usus ad uulnera testatur libro 24. cap. 16. imò & obscœnarum partium ulceribus mire subuenit, ceu supra capite 35. Serenus etiam tradit.

Vulnerũ uariæ differentiæ.

Conditio.

Bulbus.

Millefolium.

Succida cum tepido connectit lana lyæo:
Ambustæue cinis complebit uulneris ora.
Concludit uero uel frons uel ramus ab ulmo.
Aut succis hederæ pulchrescit fœda cicatrix.

Succida lana.) Quid sit lana succida, dictum est in superio- *Lana succida.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ribus. Hæc Dioscoride libro 2. teste, uulneribus à principio statim ex aceto, oleo, uinoúe utiliter imponitur, contusis itidem, desquamatis, liuoribus, fractisq́ ossibus. Plinius item lib. 29. cap. 2. Ex uino, inquit, uel aceto, uel aqua fracta et oleo aspersa, uulnera sanat. Idq́ glutinando ipsa, uti libro 5. tradit Celsus. *Connectit.*) Colligat & glutinat uulnera. *Ambustæ cinis.*) Scilicet lanæ. Idem testatur Plinius ubi supra dicens: Cinis eius illinitur attritis, uulneratis. Nec modo uulneribus sed & ulceribus est utilis. Nam, ut Dioscorides tradit, cremantur lanæ, crematarumq́ cinis ignis modo crustas inducit, carnium excrescentias cohibet, & ad cicatricē ulcera perducit. In quem usum purgantur prius lanæ, carptæq́ in crudo fictili quēadmodum & alia cremantur. Sunt & alij cremandi modi, quos breuitatis causa nunc omitto. *Complebit uul. ora.*) Id est uulnera perficiet & ad cicatricem perducet. *Concludit.*) Claudit, consolidat & conglutinat atque persanat. *Frons.*) Folium. *Ramus.*) Per ramum intelligit tum totam sui substātiam, tum corticem ipsum crassiorem, tum corticis tiliam, ut Plinius uocat, hoc est, corticem interiorem & tenuiorem, qui lentus uitilium modo in uincula facile flectitur: quiq́ folijs multo magis uulnera glutinat pro uinculo & fasciola eisdem circūuolutus, autore Dioscoride. *Vlmo.*) Vlmus nota arbor est, cuius folia, cortex et rami adstringunt, uti libro primo testatur Dioscorides. Et Plinius libro uigesimoquarto, capite octauo, inquit, Vlmi & folia & cortex & rami uim habent spissandi & uulnera contrahendi. *Succis hederæ.*) Idem testatur Plinius libro uigesimoquarto capite decimo dicens, Cicatricibus quoq; decorem facit hedera. Imò et adstringente ui sua uulnera consolidat. *Cicatrix.*) Est signum et macula, quæ ex uulnere siue ulcere remanet. Et inde cicatricare dicitur pro cicatricē inducere, & cicatricosum quod plenum est cicatricibus.

Lanarum. cinis.

Corticis tilia.

Vlmus.

Hedera.

Cicatrix. Cicatricare Cicatricosum.

Ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

HOMINIS AC SIMIAE MORSVI.

CAPVT XLIIII.

SIVE homo, seu similis turpissima bestia nobis
Vulnera dente dedit, uirus simul intulit atrum,
Vetonicam ex duro prodest assumere Baccho.
Necnon & rhaphani cortex decocta medetur,
Si trita admorsis fuerit circumlita membris.

HOMINIS.) Inter morsus uenenosos ponitur & hominis morsus ab autoribus, idq; saliuæ morso uulneri illatæ causa: non obstante quod natiui caloris uestigium quo cibi coctionem adiuuat, obtineat saliua. Verum quia alter alteri temperiem habet haud conformem, hinc fit, ut aiunt, quod saliua unius scilicet mordētis, alteri morso fit noxia et uenenosa. Et Plinius libro 28. cap. 4. inter asperrimos uel hominis morsum numerari testatur. Qui etiā perniciosior est si à ieiuno infertur. Nā, ut Auicēna sexta quarti, tract. 4. cap. 2. prodit, Deterior morsus est ille qui est à ieiuno siue fit homo aut non homo. Et maxime etiam si ieiuno inferatur. Hinc Celsus libro 5. de serpentium morsu tractans, & noxæ huius nos admonens ait: Illud ignorari nō oportet, Omnis serpentis ictum & ieiuni et ieiuno magis nocere, ideoq; perniciosissimæ cum incubant. Vtilissimumq; est, ubi ex anguibus metus est, non ante progredi quàm quis aliquid assumpsit. Cæterum hominis saliua, sed morsu illata (nam et aliâs contra morbos amoliendos uim obtinet, ceu supra cap. 11. habitum est, efficacem, & idem ex Plinio libro 28. cap. 4. satis patet,) nō modo homini noxia est, sed & contra serpentes ueneni uim obtinet. Quod Plinius etiam libro 7. cap. 2. non ignorans ait:

Morsus hominis.

Morsus ieiuni nocentior.

Saliua hominis.

Omnibus hominibus contra serpentes inest uenenum: Feruntq; ictas saliua ut feruentis aquæ contactu fugere. Quod si in fauces penetrauerit, etiam mori. Idq; maxime

Simia. humani ieiuni oris. *Simia.*) Simia notum est animal, ad hominis figuram proxime accedens. Earum plura sunt genera: de quibus & moribus earum Plinius in nat. hist. libr. 8. cap. 54. sic scribit: Simiarum quoq; genera hominis figuræ proxima caudis inter se distinguuntur. Mira solertia, uisco inungi, laqueisq; calceari imitatione uenantium tradunt. Mutianus & latrunculis lusisse, fictas cæra, acies uisu distinguere: Luna caua tristes esse, quibus in eo genere cauda sit: Nouā exultatione adorare. Nāq; defectum syderum & cæteræ pauent quadrupedes. Simiarum generi præcipua erga fœtum affectio. Gestant catulos quæ mansuefactæ intra domos peperere, omnibus demonstrant, tractariq; gaudent, gratulationem intelligentibus similis. Itaq; magna ex parte complectendo necāt. Efferatior cynocephalis natura, sicut saturis. Callitriches toto pene aspectu differūt. Barba est in facie, cauda late diffusa primori parte. Hoc animal negat uiuere in aliquo, nisi Aethiopiæ, quo gignitur cælo. Hactenus Plinius. Quod aūt simiarum morsus sit noxius, testis est non modo hic Ser. sed et Celsus, qui omnē ferè morsum uirus quoddā habere adstruit: et inter uenenosos morsus simiarum quoq; morsum cōnumerat dicens: Dixi de hijs uulneribus quæ maxime per tela inferuntur. Sequitur ut de hijs dicam, quæ morsu fiunt: interdum hominis, interdum simiæ, sæpe canis, nonnunquam ferorum animalium, aut serpentium. Sed cur simiarum morsus innocuus censeretur, cum hominis morsus uel inter asperrimos habeatur, autore Plinio? Et cū quod minus uidetur

Morsus. inesse, cur etiam non id quod magis? ut loquūtur Logici.

Bestia homini similis. *Morsui.*) Morsus est dentium lęsio. Et mordere, est dentibus lędere. *Similis bestia nobis.*) Hoc est, simia. Nam, ut Plinius libro 11. capite 44. ait, simiarum genera perfectā hominis

minis similationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris. Quæ solæ quadrupedum & inferiorem habēt genam, iam mammas in pectore, & brachia, & crura in contrarium flexa. Similiter in manibus ungues, digitos, longiorem q́ꝫ medium. Pedibus paulum differunt. Sunt enim ut manus prælongi, sed uestigium palmæ simile faciunt: ijs quoqꝫ podex & articuli ut homini, & præter genitale tantum: & hoc in maribus. Viscera etiam interiora omnia ad exemplar. *Virus atrum.*) Venenum noxiū atqꝫ letale. *Simul intulit.*) Vnà cum morsu in uulnere morso reliquit. *Vetonicam.*) Quoniam maxima pars uenenorum frigore interimit, autore Celso: ideo cōtra ea medicamentis maxime opus est quibus calor mouetur, ne humorem intus coire patiātur. Similiter utilia sunt ea quæ extenuāt, qualia sunt quæ urinam mouent. Cuiusmodi uires obtinet uetonica, quare & uenenatis morsibus ex uino pota medetur: id q́ꝫ non hominis aut simiæ tantum, sed serpentium quoqꝫ, uti sequenti capite testatur Serenus. *Duro Baccho.*) Vino austero, quod urinam pellit & uires firmat. *Raphani cortex.*) Raphanū contra uenenatos morsus uim habere, id q́ꝫ ex posca uel aceto mulso, testantur etiam Plinius & Dioscorides: quamuis hic ad uiperarum solum, ille generalius ad serpentium morsus uim hanc contrahat. Eadem autem est huius medicinæ ratio quæ de Vetonica iam dicta est: & autor utraqꝫ etiam contra serpentiū morsus utitur capite sequenti.

Vetonica. *Vinum austerū.* *Rhaphanus.*

SERPENTVM MORSIBVS ET VIPERAE VIRVS EXcludendis.

CAPVT XLV.

CVSPIDE nō quisquā, longæ neqꝫ cæde sarissæ,
Fulmine non gladij, uolucris nec felle sagittæ,

Quàm cito uipereo potis est affligier ictu:
Quare aptam dicamus opem, succosq; medentes.

Serpentiũ plura genera.



SERPENTVM.) Serpentũ plura sunt genera. Quędã enim magis noxię sunt: ceu aspis, cerastes, dispas, hæmorrhois, chelydrus, scytale, basiliscus, & id genus aliæ, quæ calidissimis ceu India, Aethiopia, Aegypto, Aphrica & similibus commorãtur regionibus. De hijs & earundem morsus notis plura Lucanus libro 9. Quædam uero sunt mitiores & minus terribiles, ceu uipera, boa, cecilia, anguis & reliquę Italiæ frigidarumq; regionum serpentes. Et hoc serpentium discrimen Celsus quoq; nõ obticet lib. 5. Postquam enim speciales pestiferarũ curationes tradidit, sic ait: Verum hæc genera serpentium & peregrina & aliquãto magis pestifera sunt, maximeq; æstuosis locis gignuntur. Italia, frigidioresq; regiones hac quoq; parte salubritatem habent, quod minus terribiles angues ædunt. Verũ quia serpentium omnium morsus, eodem Celso autore, non nimium distantem curationem desiderant: quamuis in ea multum antiqui uariarunt, ut in singula genera anguium, singula medendi genera prępciperent, atq; alijs alia: sed in omnibus eadem maxime proficiunt. Hinc Serenus quoq; curationes cõmunes aduersus omnes morsus quorumcunq; serpentium promiscue tradit: excepta sola aspide, cuius morsus aliâs incurabilis habetur: nec per uiperam propriam speciem illã sic dictã, sed generatim oẽs serpentes intelligit. Docetq; non modo factis iam morsibus męderis sed & à futurorum ueneno præcauere. Sed antequam hæc agat, Primũ quàm noxij sint huius morsus & ictus, ostendit, asserens illos nocentiores esse omnibus quæ extrinsecus corpori occurrentia ipsum lædunt. Et Plinius libro 25. capite 5. serpentium ictum pessimum asseuerat dicens: Ordiendum à malorum omnium pessimo, id est serpentium ictu. Porrò aduersus serpentium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ictus et morſus curationes tum communes tum ſpeciales
copioſius repperies apud Dioſcoridem lib. 6. & Celſum
libro 5. *Vipere uirus.*) Quid ſit uipera, quid uirus, dictum
eſt ſupra. Hic tamen uirus pro ueneno accipitur: uipera
uero non ſolum pro proprie ſic dicta ſerpente, ſed & pro
omni alia ſerpentum ſpecie. *Cuſpide.*) Haſtæ ſummitate *Cuſpis.*
acuta. Cuſpis enim & haſtam ſignificat, & haſtæ ſummi-
tatem. *Non quiſquam.*) Non aliquis, nemo. *Longæ ſariſſæ.*) *Sariſſa.*
Sariſſa eſt haſta prælonga Aelianus in Tarticis, Sariſſa eſt
lancea qua utitur phalanx Macedonica, longitudine 14.
cubitorum, quorum duo manus continent, reliqua duo
decim prominent. Σουίδας. Σαρίσα εἶδος ἀκοντίου ἑλληνικοῦ,
δορὺ μακρὸν παρὰ μακέδοσι. Et Liuius: Prælongas haſtas *Sariſſophori.*
Macedones Sariſſas uocant. Hinc Sariſſophori qui ſariſ-
ſas geſtãt dicti. *Cæde.*) Percuſſione & uulneratione. Cæ *Cædes.*
des proprie mors eſt, ferro aut alia re exteriore et ui illata.
Fulmine.) Fulmen proprie eſt exhalatio inflammata & in- *Fulmen.*
cenſa quæ de nube eliſa deorſum eiaculatur & ruit, cuius
duæ ſunt ſpecies, de quibus Ariſtoteles Meteororum lib.
3. cap. 7. & 8. Hic tamen pro ictu & uulneratione accipitur.
Gladij.) Gladius eſt enſis qui & ſpata dicitur & mucro, *Gladius.*
quamuis mucro pro teli cuſpide aliquando accipiatur. *Mucro.*
Volucris.) Velocis, pernicis. *Felle ſagittæ.*) Hoc eſt, uene
no ſagittarum. Solebãt enim antiquitus populi quidam *Sagittarum*
ceu Arabes & Indorum quidam, Galli itẽ & Scythæ ue- *infectio.*
neno tingere ſagittas. De Indis habes apud Paulũ Oro-
ſium lib. 3. ubi ſcribit Alexãdrum in expugnatione ciuita
tis cui Ambira rex erat, magnam partem exercitus ſagit-
tis hoſtium ueneno illitis amiſiſſe. Gallorum qui ſagittas
elleboro collinebant, meminit Celſus libr. 5. hijs uerbis,
Venenum ſerpẽtis, ut quædam etiam uenatoria uenena,
quibus Galli præcipue utuntur, non guſtu ſed in uulne-
re nocent. Ideoq; colubra ipſa tuto eſtur, ictus eius occi-
dit. Et Plinius libro 25. cap. 5. Galli, inquit, ſagittas in ue-
natu elleboro tingunt, circumciſoq; uulnere teneriorem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſentiri carnem affirmant. De Scythis uero ſic ſcribit Plinius: Scythæ ſagittarum ungunt aciem uiperina ſanie & humano ſanguine. Irremediabile id ſcelus, mortem illico adfert leui tactu. Et hoc fortaſſis Serenus nobis inſinuat & proponit, uolens per id nobis oſtendere ſerpentium ictu illatum uenenum omni alio extrinſecus illato magis noxium peſtiferumq́ eſſe, etiam ſi Scytharum ſagittis ueneno tinctis inferatur, quod tamen leui tactu mortem illico adfert. Cæterum ſagitta iaculi genus eſt quod arcu emittitur: ſic dictum quod ſatis longe ſiue ſagaciter mittatur. Per fel autem uenenũ intelligit autor. *Potis eſt.*) Poteſt. *Affligier.*) Pro affligi. *Aptam opem.*) Auxilium et medicamenta conuenientia atq; utilia. *Succos medentes.*) Medicinas ſalutiferas ex herbarum ſuccis & aliȷs liquoribus confectas.

Sagitta.

Quæ nocuit ſerpens, fertur caput illius apte
Vulneribus iungi, ſanat quæ ſauciat ipſa,
Vt Lariſſea curatus Thelephus haſta.

Serpentis medicina. Serpens ſibi ipſi remedio.

Quæ nocuit ſerp. &c.) Quæ morſu uel ictu uenenum letiferum intulit. Idem teſtatur Plinius nat. hiſt. lib. 29. cap. 4. hȷs uerbis: Viperæ caput impoſitum uel alterius quàm quæ percuſſerit, ſine fine prodeſt. Et paulo poſt, Conſtat, inquit, cõtra omnium ſerpentium ictus quamuis inſanabiles ipſarum ſerpentium exta impoſita auxiliari. *Vt.*) Quemadmodũ. Et per hoc uult probare id quod dixit, Sanat quæ ſauciat ipſa: hoc eſt, quod eadem res quæ nocumentum intulit, idem etiam amoliri & mederi poſſit. Et huius gratia exemplum ſubiungit de Thelepho qui eadem haſta ab Achille letaliter uulneratus fuit et perſanatus, ut fabulãtur poëtæ. *Lariſſea.*) Achillea. Lariſſa Theſſaliæ ciuitas, quam Penſilem & Pelaſgiam cognominãt, à qua Lariſſeus dictus eſt Achilles. Sunt & aliæ eius nominis ciuitates in diuerſis locis, de quibus plura Strabo geographiæ lib. 9. & 13. *Telephus.*) Telephus ab Achille letaliter

Lariſſa.

Telephus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

letaliter uulneratus, Apollinem de remedio consulit: & accepto responso, nisi rursus ab eodem uulneraretur, liberari eum non posse, rursus congreditur & eodem loco uulneratur, sicq; sanitati restituitur. Et hæc est quam autor nobis proponit fabulam, cuius & Ouidius meminit, Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti, Vulneris auxilium Pelias hasta tulit. Ortum autem habuit figmentum hoc poëticũ, ex eo quod Achilles ferri rubigine Telephum sanasse dicitur, ut refert Plinius nat. hist. libro 34. cap. 15. hijs uerbis: Est & rubigo ipsa ferri in remedijs, & sic Telephum proditur sanasse Achilles, siue id ærea siue ferrea cuspide fecit. Ita certe depingitur ex ea decutiens gladio. Vis eius ligare, siccare, restringere. Meminit eiusdem idem libro 25. cap. 5. sic: Inuenit & Achilleon Achilles discipulus Chironis, qua uulneribus mederetur, quę ob id Achilleos uocatur, hac sanasse Telephum dicitur. Alij primum ęruginem inuenisse utilissimam emplastris, ideoq; depingitur ex cuspide decutiẽs eam gladio in uulnus Telephi. Alij utroq; usum medicamento uolunt. Cęterum quia cuspide & uulneratus et sanatus dicitur, hinc adagio locus factus est de eo qui uulnerauit, idemq; persanauit, ut dicatur ὡς ὁ τρώσας, καὶ ἰάσεται. Et hinc etiam quæ multæ malignitatis sunt uulnera & quibus salutari Achillis manu opus sit uulnera, Telephia appellantur: quemadmodum & Chironia quæ curam uix admittant & Chironem aliquem desiderent, autore Paulo Aegineta medicinæ libro 4. Adagio.

Proderit & caulem cum uino haurire sabuci,
Aut coctum raphani librumq; tritumq; ligare,
Siue etiam excelsa folium de mole cupressi.
Manauit lactans caprifici succus ofellam,
Aut tithymallus atrox, uulnus quę trita perungat.

Caulẽ sabuci.) Quod de caule sabuci tradit Serenus, id Dioscorides libro 4. de radice testatur & Plinius lib. 24. cap. 8. Sabucus.

de folijs, idq́ minoris ſabuci. Sed nihil refert, omnia enim eiuſdẽ ſunt uirtutis. Apuleius capite de ebulo ex magica oſtentatione precationẽ annectit, cui tamẽ nos ultimum uale dicemus. *Raphani librum.*) Corticem raphani præſertim ſatiui, qui & radicula uocatur à Romanis. Plinius ſimpliciter ſatiuos raphanos ſed in poſca decoctos contra ſerpentium morſus illini tradit. Dioſcorides uero lib. 2. corticem ex melle impoſitam uiperarum morſibus ſuccurrere. Semen uero contra ceraſtæ morſus cum uino utiliter bibi. Et libro 6. ubi contra uiperæ morſum ponit remedia, ſic ait, Succurrit raphani tam diu tuſus cortex, ut quàm maxime conciſus ſit: impoſitus loco & uulneri. *Ligare.*) Scilicet ſuper uulnus morſum. *Excelſa mole.*) Arbore procera & alta atq; magna, ut quæ aſſeres & ualuas etiam exhibeat. *Folium cupreßi.*) Idem teſtatur Plinius libro 24. cap. 5. dum ait, Cupreſſi folia trita ſerpentium ictibus imponũtur. Imò, ut idem paulo poſt dicit, Cupreſſi pilulæ quoq; aduerſus ſerpentium ictus bibuntur etiam. *Manauit.*) Manare eſt ſtillare, cum ſcilicet ex integro ſed nõ ſatis ſolido per minutiſſimas partes ſtillat. Res autem quæ manat hic in accuſatiuo ponitur, quemadmodum apud Plinium libro 14. Arborum ſucco manantium picem reſinamq́, aliæ ortę in oriente, aliæ in Europa feruntur. *Lactans.*) Hoc eſt lacteum ſuccum & liquorem reddens. *Caprifici ſuccus.*) Lachryma & humor ſiue liquor fici agreſtis, quem & lac à candore uocant. Caprificus eſt ficus ſylueſtris, de quo Plinius libro 15. cap. 19. Huius lac ſcorpionum ictibus uulneri inſtillatum, canumq́ morſibus, & omnibus quæ morſu ictúue uenenum relinquũt, ſuccurrit. Poteſt eadem ex teneris caprifici coliculis expreſſus ſuccus cum nondum erumpente gemma quaſi prægnantes ſunt. In quem uſum tunduntur & exprimuntur, expreſſusq́ ſuccus in umbra ſiccatus ſeruatur, autor Dioſcorides. *Ofellam.*) Ofella diminutiuum eſt ab offa, quemadmodum et offula. Sunt autem offę informes maſſæ

Raphani cortex. Cupreſſus. Manare. Caprificus. Ofella. Offa. Offula.

massæ & exiguæ in frusta sectiones. Vnde Serenus offellam hic pro succi desiccati massa & frustis accipit. Cæterum offulas pro esca scitissimi saporis accipiunt, cuius uarios conficiendi modos conscribit nobis Apicius culinariæ artis libr. 7. Huiusmodi offulam quampiam intelligit Claudius dum inquit apud Suetonium: Rogo uos quis potest sine offula uiuere. Sunt item carnis frusta offæ & offulæ dictæ. Columella libro 12. de salsura suillæ carnis: Caro in libralia frusta conciditur, deinde in seriam substernitur sal coctum, sed modice infractum, deinde offulę carnis spisse componuntur, & alternis sal ingeritur. Ad hæc offa pultem significat & quicquid in pultis modum est redactum. Cicero: Cum igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nunciatur. Accipitur etiam pro cibo quocunq;. Vnde prouerbio dicitur, Inter os & offam, hoc est, inter os & cibum. Meminit huius A. Gellius Atticarum noctium libro 13. cap. 16. *Tithymallus.*) Tithymallus herba est, quę & lactaria & marina siue caprina lactuca appellatur. Cuius Theophrastus tria facit genera. Dioscorides uero & Paulus Aegineta & Plinius atq; Apuleius septem. *Atrox.*) Vocat tithymallum atrocem propter acrimoniam et uim eius feruentem. Est enim tam feruentis naturæ, ut per se extra corpori impositus pustulas ignium modo faciat, & pro caustico in usu sit. *Quæ.*) Scilicet offella succi caprifici aut tithymalli atq; succus ipse.

Tithymallus. Libr. 5. Libr. 26.

Carduus & nondum doctis fullonibus aptus,
Ex illo radix tepido potatur in amni.
Ceruino ex fœtu commixta coagula uino
Sumuntur, quæ res membris agit atra uenena.
Aut ferulæ radix potatur in imbre lyæi.
Vetonicæúe leues, gallinæ aut iura uetustæ.

Carduus.) Carduus proprie herba est quę Gręce scolymos dicitur. Accipitur tamen aliquando pro alijs etiã spinosi

Carduus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

generis plantis, quales sunt chamæleon uterq;, dipsacos siue labrum Veneris, spina alba, eryngium, & id genus aculeatarum aliæ. Quarum chamæleoni albo & eryngio priuatim uirtutem hanc contra uenena tribuit Dioscorides. Nam libro 3. capite 9. de chamæleone albo ait: Radix eius cõtra uenenata pro theriace est, pota cũ uino. Et capite 23. libri eiusdem de eryngio inquit, Bibitur cum uino utiliter & contra uenenatorum morsus & epota uenena. *Nondum aptus.*) Per hoc intelligit uiridem & recentem, qui fullonibus propter teneritatem suam nondum est idoneus nec utilis. Siccatis enim utuntur & aridis fullones. *Doctis fullonibus.*) In arte sua expertis & probatis edoctisq;: Siue doctis, ad differentiam uermiculorum qui etiam fullones dicuntur. Sunt autem fullones, uestimenta curantes & polientes: sic dicti à fouendis calida aqua uestibus. Ars ipsa fullonia dicitur. *Amni.*) Hoc est, aqua: siue, ut Dioscorides docet, uino. *Ceruino fœtu.*) Hoc est, hinnuli & cerui iuuenis in matris utero occisi, ut Plinius tradit, qui lib. 8. capite 32. sic ait: Contra morsus serpentium præcipuum remedium ex coagulo hinuli in utero occisi. Et iterum libro 23. capite 10. Summis, inquit, remedijs pręfert hinuli coagulum in matris utero execti. Dioscorides item uenenatorũ morsibus id utile esse testatum reliquit. Quid autem sit Coagulum, dictum est superius capite 30. *Agit.*) Abigit, fugat & expellit. *Atra.*) Letalia. *Venena.*) Venenum dicitur omne quod uitæ nostræ contrarium est, ceu dictum est supra capite 8. 9. & 10. *Ferulæ radix.*) Vltra id quod serpentium morsui medeatur, medicamenti quoq; bibendi pondus & mensurã nobis præscribit Plinius, & radicem imponi quoq; iubet, dum lib. 20. capite 23. ait, Ferulæ radix denarij pondere & uini cyathis duobus bibitur aduersus serpentes. Et ipsa radix imponitur. Dioscorides uero uim hanc medullæ tribuit inquiens, Datur uiridis ferulæ medulla contra morsus bibenda cum uino, quod autor nunc imbrem lyæi uocat:

Fullones uermiculi. *Fullones artis.* *Ars fullonia.* *Coagulum hinnuli.* *Venenum.* *Ferulæ radix.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Vetonicæ.) Vetonica nō solum bibita sed & imposita con tra serpētium & uenenatorū morsus utilis est. Ant. Musa: Vetonicæ drachmas tres in uini cyathis tribus diluito & potui dato, omnium serpentium morsus sanat. Item, Ve tonicæ drachmas sex in uini nigri cyathis tribus contе=rito & super uulnus illinito. Item, Ad rabidi canis mor-sum, Vetonica contusa morsui imponatur. Plinius libro 25. capite 8. Morsibus imponitur Vetonica præcipue: cu-ius uis tanta perhibetur ut inclusæ circulo eius serpentes ipsæ sese interimant flagellando. Datur & ad ictus semen eius denarij pondere cum tribus cyathis uini: uel farina drachmis tribus sextario aquæ imponitur. Celsus item libr. 5. eandem tum potui datam ex uino tum impositam prodesse testatur. Et Dioscorides uires eius libro 4. de-scribens: Dantur, inquit, bibenda folia trium drachma-rum pondere, cum uini sextarijs duobus contra uenena-torum morsus. Quin etiā emplastri modo imposita her-ba uenenatorū morsibus pariter prodest. Prodest & con tra uenena, in quem usum drachmæ pondere bibitur in uino. Eadē præsumpta letalibus aduersatur uenenis. Vri-nam præter hæc cit. &c. *Leues.*) Faciles ad sumendum. Nam, ut Musa in epistola ad Agrippam scribit, non gu-stus asperos offert quum sumitur: & si adfert, tormenta sunt mediocri quadam lenitate parata, & sine offensa sto machi sumitur, tantumq́ue potest ut eam laborantes non tantum sine labore sumant, sed etiam libenter. Odore est tam amabilis, ut ignorantem cogat suspicari herbam uti-lem corpori. *Gallinæ iura uetustæ.*) Gallinarum ius uenena torum morsibus mederi testatur etiam Plinius. Et quia domesticum est animal gallina & eius compar gallinace-us, haud abs re aut incassum fuerit, quas de gallinaceis et eorum non solum iure sed alijs etiam partibus contra ue nenatos morsus cæteri quoq; instruxerunt medicinas, re ferre. Nam si casus huius uulneris contigerit atri, hac non alia profutura res prior & magis in promptu haberi

Vetonica.

Gallinæ ius & aliæ partes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

poterit. Sed quæ partes ipsorum & quis earundem utendi modus opem & auxilium nobis promittant, aliorum audiamus testimonia. Et in primis quidem Dioscoridis qui medicinalis syluulæ libro 2. sic prodit: Succurrũt serpentium morsibus dissectæ & ita ut tepebunt impositæ gallinaceorum carnes: crebro tamen & subinde mutãdę sunt. Datur & in potione cum uino contra uenenatorũ morsus gallinaceorum cerebrum. Et libro 6. capite de curatione communi morsus uenenatorum, Ex animalibus, inquit, utiliter etiam accipiuntur gallorum cerebella in cibo. Et libro eodem capite de uipere morsus curatione, Succurrũt, ait, uiperæ morsibus & gallinacei pulli dissecti quamprimumq́ & calentes adhuc impositi. Et paulo post Erasistratus, ut refert, præter hæc in commentario de remedijs plura alia quæ opẽ ferre possunt, enumerauit: Inter probatissima tamen & præcipua, gallinaceorum cerebella cum uino pota. Hęc Dioscorides, cui & Plinius subscribit naturalis historiæ libro 29. capite 4. inquiens: Carnibus gallinaceorum ita ut tepebunt euulsæ appositis uenena serpentium domantur. Item cerebro in uino poto. Parthi gallinę malunt cerebrũ plagis imponere. Ius quoq; ex hijs potum præclare medetur, & in multis alijs usibus mirabile: ualidius ẽ uetere gallinaceo.

Si uero horrendum uulnus fera fecerit aspis,
Vrinam credunt propriam conducere potu,
Varronis fuit ista senis sententia. Nec non
Plinius ut memorat sumpti iuuat imber aceti.

Si uero horr.) Traditis contra uiperarum & aliarũ minus perniciosarum serpentium morsus medicamentis, subiungit nunc magis pestiferarum & quæ propter ueneni uim præsentaneam, & quia morsus citra doloris sensum accedit, horrendæ et timendæ sunt curationes, sed ex aliorum autoritate relatas. *Aspis.*) Aspis serpens est, cuius plures diuersasq́ species refert Solinus, uerum disparis effe-

Aspis

ctus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ctus. Sūtq; omnib. ab effectu indita nomina. Vnde quantus nominum, tantus etiam mortium numerus est. Galenus item tria genera facit aspidū, chersæam, chelidoniam & ptyada, quam ultimam proprie sub aspidis nomine Serenus, Dioscorides, cæteriq; autores intelligunt. De aspide uero sic scribit Lucanus libro 9. Hic quæ prima caput mouit de puluere tabes, Aspida somniferam tumida ceruice leuauit, Plenior huic sanguis, & crassi gutta ueneni Decidit, in nulla plus est serpēte coactum, Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem, Sponte sua, Niloq; tenus metitur arenas. Hęc omnium perniciosissima est, et morsus eius omnium maxime insanabilis habetur, autore Aeliano de animantium naturis libro 1. ubi aduersus uiperarum omniumq; serpentium morsus remedium inueniri tradit, aspide una excepta. Nec id mirum cum clanculum & citra dolorem uenenū infundat, nec post morsum in corpore uulnus nisi forte paruum et obscurum relinquat, autore Nicandro in theriacis cum ait, ἀσπίδα φοινήεσσαν ἀμυδρότατον δάκνος ἄλλων. Sed tantū somnus obrepit letalis. Hinc Plinius libro 29. cap. 4. Aspides, inquit, percussos torpore & somno necant, omnium serpētium minime sanabiles. Sunt & alij aspidum effectus, quos omnes copiosius enumerat Dioscorides libro 6. in hunc modum: Aspidis morsus acu punctis uulneribus similis est & perexiguus uix apparens, sineq; tumore. Sanguis non multus sed paucus & niger destillat. Hebetatur quamprimum oculorum acies: totoq; corpore multiplex, sed mitis nec sine uoluptate dolor adest. Vnde bene Nicander inquit, Peritq; sine dolore homo. Mutatur color, uirescitq;. Stomachi non adeo grauis erosio adest. Frons continue contrahitur. Sine sensu palpebræ ueluti in accessione somni conniuent: & inter hæc mors adest, nec tertia diei parte quidem dilata. Hactenus Dioscorides. Cæterum quod ad curationem eius attinet, nō credendum est tales morsus esse immedicabiles aut insanabiles, adeo ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

omnino curari non possint & omnimoda sanitatis restitutio tollatur, sed eousq; tantum ut solam curandi difficultatem designatam intelligamus. Inter omnes enim serpentes nulla ueneni uim præsentius exercet, & noxam magis sensui occultat. Vix enim dũ mordetur quis, morsus dolor aut sensus adest, ipsaq; leti frons caret inuidia, nec quicquam plaga minatur: sed subit uirus tacitum, quemadmodum de dipsade etiam scribit Lucanus, quæ tamẽ & ipsa inter aspidũ species numeratur à Solino. Curam itaq; admittit & sanabilis est aspidis morsus, si ueterum scriptorum autoritati fidem habemus, qui curã experimento comprobatam testantur, ut paulo post dicemus. *Vrinam propriam.*) Quoniam aspidis ueneum quemadmodum & cerastæ ac taurinus sanguis, spiritum & sanguinem in uenis gelant, uti Dioscorides libro 6. tradit, ideo contra id maxime proficient quæ congelationem et inspissationem illorum dissipent atq; discutiant, cuius generis uel ipsa urina existit. De qua sic scribit Plinius libro 28. cap. 6. Magna & urinæ non ratio solum, sed etiam religio apud autores inuenitur digesta in genera. Verum ex his quæ referre fas sit, impubium puerorum contra salinas aspidum, quas ptyadas uocant, quoniam uenena in oculos hominum expuant. Sua cuiq; autem (quod fas sit dixisse) maxime prodest. Et libro 29. cap. 4. Contarer, inquit, in proferẽdo ex hijs remedia, nisi M. Varronem scirem 83. uitæ anno prodidisse aspidum ictus efficacissime curari hausta à percussis ipsorum urina. *Varronis senis.*) Confirmat nunc dictam medicinam quemadmodum et Plinius Varronis autoritate et testimonio. Fuit autem M. Terentius Varro uir doctus & togatorum eruditissimus iudicatus. De quo Valerius Maximus memorabilium libro 8. cap. 7. sic scribit: Terentius autem Varro humanæ uitæ exemplo & spacio nominandus, non annis, quibus sæculi tempus æquauit, quàm stilo uiuacior fuit: in eodem enim lectulo & spiritus eius, & egregiorum operum

Vrina.

M. Terentius Varro.

rum

rum cursus extinctus est. Scripsit autē inter alia de lingua Latina libros, & de re rustica tres, & hos quidem, ut ipsemet testatur, anno ætatis suę octogesimo. *Plinius.*) C. Plinius Secūdus, uir ingenio clarus, libros scripsit complures: è quibus septem & 30. quos de naturali historia conscripsit, adhuc extant, opus diffusum, eruditum, nec minus uarium quā ipsa natura. In quorum libr. 23. hoc contra aspidas refert medicamentum, inquiens: Nescire medici quantum contra aspidas polleret acetum. Nuper ab aspide calcata percussus utrem aceti ferens, quoties depo suisset sentiebat ictum, aliâs illæso similis. Intellectum ibi remedium est, potuq; succursum. Perijt autem sub Tito dum Vesuuij montis incendium parum caute ex proximo specularetur. Sed plura de uita, studio et libris suis Plinius Iunior libro epistolarum 3. in epistola ad Marcum. De exitu uero ipsius idem libro 6. epistola ad Tacitum. *Sumpti imber aceti.*) Hoc est, acetum copiose potum. Idem testatur Celsus medicinæ libro 5. à quo & Plinius sententiam suam mutuatus est. Celsi uerba sunt: Vsus ipse docuit, quē aspis percussit, acetū potius bibere debere. Quod demonstrasse dicitur casus cuiusdam pueri, qui cū ab hac ictus esset, & partim ob ipsum uulnus, partim ob immodicos æstus siti premeretur, ac locis siccis alium humorem non reperiret, acetum quod forte secum habebat, ebibit, & liberatus est. Credo quoniam id, quamuis refrigerandi uim habet, tamen habet etiam dissipandi. Quo fit ut terra respersa eo, spumet. Eadem ergo ui uerisimile est, spissescentem quoq; intus humorem hominis ab eo discuti, & sic dari sanitatem. Hæc ille. Dioscorides uenenatorum morsus quicunq; refrigerant, aceto calido, & contra quicunq; incendunt frigido fouendos præcipit.

C. Plinius Secundus.

Acetum.

Dicendum et quæ sit præcox medicina timenti:
Cautio nanq; potest diros præuertere morsus,
Si iecur exectum tardo de uulture portes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Erucis aut si totos pertinxeris artus,
Quas prius attritas uehementi spargis aceto.
Aut tu ceruina per noctem in pelle quiescis,
Aut genere ex ipso dentem portabis amicum.

Quando præcautione utẽdum. *Dicendum.*) Tradita contra uenenatorum morsus curatione, agit nunc de præcautione, qua, ubi inferendi ueneni timor adest, ne malum ingruat, utendum est: & quam primum præueniendo remedijs auxilium afferendum, ne inutilis postea futura sit, cum uirus corpora iam occupauerit. Nam licet non statim semper, tamen non multo post malum adest. *Præcox medicina.* *Præcox.*) Præmatura & quæ ueneni uim anticipat & præuenit, præcauetq́; ne quod futurum sit malum accidat, aut si ne inferatur caueri non poterit, saltem ne noceat. *Cautio.*) Præcautio, præuisio ne uenenum inferatur aut noceat. *Diros.*) Asperos, crudeles, uenenatos & letales. *Præuertere.*) Anteuertere, præcauere. *Vultur.* *Iecur de uulture.*) Vultur auitij generis animal est rapax atque carniuorum, odoratu suo cadauera putrida lõge sentiens & indagans: de quo sic refert libr. 10. cap. 6. Plinius, Vulturum præualent nigri. Nidos nemo attingit. Ideo etiam fuere qui putarent illos ex aduerso orbe aduolare falso. Nidificant enim in excelsissimis rupibus. Fœtus quidẽ sæpe cernũtur fere bini. Vmbricius aruspicũ in nostro æuo peritissimus, parere tradit oua tria, uno ex hijs reliqua oua nidumq́; lustrare, mox abijcere. Triduo aũt ante aut biduo uolare eos ubi cadauera futura sunt. Huius nõ *Vulturis iecur, Cor, Pennæ.* modo iecur, uti Serenus tradit, sed & cor & pennæ contra serpentes prosunt. Plinius libro 29. cap. 4. inquit, Ex uolucribus in auxilio contra serpẽtes primum uultur est. Annotandum quoq; minus uiriũ esse nigris pennarum. Ex ijs enim si urantur, nidore fugare eas dicunt: item cor eius alitis habentes tutos esse ab impetu non solum serpentium sed etiam ferarum & latronum ac regum ira. *vulturis etymon.* *Tardo.*) Epitheton est à uolatu quem facit tardum. Vnde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

etiam nomen uultur inclinatum uolunt. *Erucis.*) Per erucas autor intelligit non herbam illam notam & εὔζωμον à Græcis dictam, sed bestiolas & uermiculos illos olerum quos Græci campas appellant, & alio nomine etiam bruci uocãtur: quamuis hoc nomine Græci locustarum genus quoddam etiam appellent. Nascuntur autem erucæ dirum animal locis apricis post pluuias tempore humido & lento, ceu Plinius libro 17. cap. 24. prodit & Columella. Erodunt[que] uitium, arborum & satorum omnium frondem & florem adeo ut depastam arborem turpi facie relinquant. Quæ quo pacto domandæ sint, satis copiose & uel ad superstitionem usq; docet Columella libro rei rusticæ 11. & in carmine de cultu hortorum uersus finem. Cęterum quoniam nihil à rerum omnium parente natura sine aliqua occultiore & ingenti causa, nullum[que] malum sine bono aliquo producitur, gignitur[que], ut Plinius scribit, hinc etiam quamuis terræ nascentibus maxime sint noxiæ erucæ, habent tamen nihilominus in remedica utilitatis quidpiam, et præsertim contra uenenatorum morsus, ceu hoc loco Serenus affirmat, & idem Dioscorides testatur inquiens: Quæ in oleribus nascuntur erucę, à uenenatorum iniurijs, quę ictu aut morsu uenenum relinquunt, tutos ex oleo inunctæ feruntur homines seruare. *Totos artus.*) Vniuersum corpus. *Vehementi.*) Forti & acri. *Ceruina pelle.*) Idem testatur Plinius inquiens: Pelles cerui substratę, securos præstant ab eo metu somnos. Nam in ceruina pelle si quis iacuerit, nullus ad hominem serpens accedit, autore Sexto Platonico. *Quiescis.*) Iacis & dormis. *Genere ipso dentem.*) Hoc est, dentem ceruinum. Certum enim est, si Plinio libr. 28. cap. 9. credimus, Ceruos serpentibus aduersari & exitio esse. Et omnino aliquid cerui habentes fugiunt. *Amicum.*) Amicum cum re inanimata iunctum, utile significat & gratum, ut amicus humor, amica herba, amicum tempus.

Erucæ. καμπαι. *Bruci.* *Pellis ceruina.* *Dens cerui.* *Amicum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Toxica præterea qua ſint pellenda medela
Expediam, ſanguis poterit prodeſſe caninus,
Qui facili potu antidotos imitatur honeſtas.
Vis & mirificos cautus prædiſcere odores,
Accenſis quibus arcetur teterrima ſerpens,
Aut ſtyracen uras, aut atri uulturis alam,
Vel nepetam, aut frondẽ rigidæ ſtirpemq́ myricę.

Toxicum. *Toxica.*) Toxica quondã cõmuni appellatione dicebantur uenena quibus ſagittæ tingebantur, quæ tamẽ qualia fuerint & unde cõficerentur, haud facile quis nunc dixerit: quamuis Plinio ex taxi arboris ſucco confecta uideantur. Nam in hiſtoriæ naturalis lib. 15. capite 11. de taxo arbore agens, ſic infit: Hanc Seſtius ſmilacẽ à Græcis uocari dixit: & eſſe in Arcadia tam præſentis ueneni, ut ſi qui dormiant ſub ea, cibúmue capiant, moriantur. Sunt qui & taxica hinc apellata dicunt uenena quæ nunc toxica dicimus, quibus ſagittæ tinguntur. Verum Dioſcorides proprium & certum ueneni genus faciens toxicum, non à taxo ſed à ſagittis quæ illo tingebantur ſic uocatum tradit libr. 6. inquiens: Creditur ideo toxicum appellari quod Barbari ſagittas telasq́ ſua quæ toxeumata nominant, eo inficiunt. Cui & Paulus Aegineta medicinæ libro 4. ſubſcribit. Cæterum per toxica cõmuni uoce uenena intelligamus. *Expediam.*) Explicabo, proferam et deſcribam.

Sanguis caninus. *Sanguis caninus.*) Dioſcorides libro 2. Contra rabidi canis morſus, inquit, & epotum toxicum caninus utiliter bibitur ſanguis. Nam ut libro 29. capite 4. Plinius tradit, ſanguine canino contra toxica nihil præſtantius putatur.

Antidotus. *Antidotos.*) Dicitur tum atonidotus fœminino genere tum antidotum neutro. Sic quidem ab ἀντὶ contra & δόσις datio, quaſi contra datum. Dicitur autem maxime de medicamentis quę aduerſus uenena uel per morſus uel per cibos aut potiones noſtris corporibus inſerta deſiderantur: quamuis etiam, quia grauiſſimis caſibus opitulan-

pitulãtur, in alijs morbis aliquando, licet raro, præcipue tamen necessaria sunt, autore Celso libr. 5. Prosunt uero non modo illatum curando uenenũ, sed & ad futuri noxam pręcauendum. *Vis &c.*) Ponit nunc suffumigationes quasdam quibus serpentes procul arcentur & fugantur. *Cautus.*) Prudẽs, & qui sibi à futuro malo cauere nouit. *Odores.*) Hoc est, odoramẽta quæ accensa nidorem & fumum serpentibus inimicũ reddunt. *Styracen.*) Styrax & arbor est cotoneo malo similis, & eiusdem arboris lachryma: de cuius bonitate & adulteratione tum Dioscorides libro 1. tum Plinius libro 12. & 24. satis sufficienter. Vulgus nunc una mutata litera Storacem appellat. Cęterum medicam à Sereno contra serpentes uim traditam comprobat id quod Sabei eundem, referente Plinio libro 12. capite 18. & ad serpentes fugandas urunt. Aduersaturq; uenenis quæ frigore nocẽt. *Atri.*) Nigri & fœdi. *Vulturis alam.*) Hoc est, pennas quæ in alis sunt uulturis: harum enim combustarum nidore & fumo serpentes fugari testis est etiam Plinius, cuius uerba paulo antea adscripta sunt. *Nepetam.*) Nepeta non modo suffitu serpentes arcet, ut tradit Serenus, sed & supposita quoq;, ut alij tradunt autores: nec id solum, sed illato etiã ueneno ipsorum medetur tum pota tum uulneri imposita. Plinius libro 20. capite 14. Nepeta uires contra serpentes habet, Fumum ex ea nidoremq; fugiunt: quam & substernere in metu obdormituris utile est. Apuleius. Ad morsum serpentis. Herbæ nepetæ montanæ ex uino tritæ succus expressus cũ uino potui datur, & eius folia contrita plagę utiliter imponuntur. Dioscorides lib. 3. Nepeta succurrit pota, aut emplastri modo imposita serpentium morsibus. Item suffitu eadem substrataq; serpentes fugat. *Frondem.*) Folia. *Stirpem.*) Lignum, corticem, uirgulta & materiam omnem. *Rigidæ myricæ.*) Myricam rigidam uocat quasi duram, asperam & infructuosam, siue syluestrẽ siue satiuam intelligat. Syluestris enim omnino sterilis est: sa-

Styrax.

Penna uulturis

Nepeta.

Myrica rigida.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tiua uero quę in Aegypto & Syria nascit, quamuis mitior sit & abundanter fructum ferat, est tamen is lignosus, ut Plinius libro 24. capite 9. scribit, &, ut Dioscorides lib. 1. concretione sua quemadmodũ & flore muscosum. Estq́ in cęteris syluestri similis: sed semine seu fructu, nisi quod maior, gallæ similis, asperũ gustu & inæqualiter adstringentem, quo medici gallæ uice utuntur. Lignum autem & flos & folia & cortex in eosdem usus adhibentur, quanquam remissiora. Quorũ etiam usus efficax est contra serpentium ictus, præterquam aspidum, autore Plinio.

ICTIBVS SCORPII ET MORSIBVS MVRIS CAECI uel Aranei.

CAPVT XLVI.

SVNT minimæ species sed diræ uulnera pestis,
Quæ magis in tenui latitantes corpore fallant,
Scorpius ut grauis est & araneus, hæc mala semper
Captant securos multa iam nocte sopores.

Ico. Ictus. Scorpius uel Scorpio.



CTIBVS.) Ico uerbum idem est quod percutio. Et inde ictus dicitur percussio & uulnus percussione illatum. *Scorpij.*) Scorpius siue scorpio (utrunq; enim dicitur) uermiculus est uenenosus, eo importunior cæteris quod grauiore supplicio lenta per triduum morte cõficit. Virginibus letali semper ictu, & fœminis fere in totum: uiris autem in matutino exeuntes cauis priusquam aliquo fortuito ictu ieiunum egerant uenenum. Semper cauda in ictu est, nulloq́ momẽto meditari cessat, ne quando desit occasioni. Ferit obliquo ictu & inflexu. Venenum omnibus medio die cum incanduere solis ardoribus. Itemq́ cum sitiunt inexplebiles potu: autor Plinius naturalis historiæ libro 11. cap.

ii.cap.25. *Muris cæci.*) Mus cæcus, qui & araneus mus uocatur, exiguum animal est atq; leuissimum, aranei modo per tenuissimum filum, gladijue aciem uel impune ambulans. Cuius morsus uenenatus est, et nisi succurratur tum homines tum iumenta interimens. Græci μυγάλην mygalen uocant, facto ex mure & mustela nomine: utriq; enim similis est, autore Aetio, à quo muris magnitudine & eadem illi caudæ gracilitate & rictus longitudine, reliquo autem corpore mustelina specie describitur. Meminit huius in theriacis suis Nicander et murem cæcum appellat, hominiq; exitialem, dũ ait: τυφλῆντε σμερδνῆντε βροτοῖς, ἐπὶ λοιγὸν ἄγουσαν μυγαλέην. τροχοῖσιν ἐνὶ θνήσκουσαν ἁμάξης. Meminit & Columella rei rusticæ libro 6. cap. 16. Vbi aduersus serpentis & noxiorum animalium ictus remedia docens, sic infit: Mus araneus, quem Græci μυγάλην appellant, quamuis exiguis dentibus nõ exiguam pestem molitur. Vbi annotandum male apud eundem pro μυγάλην legi σκυτάλην: quamuis σκυτάλη scytale uenenata serpens sit quam Aphrica tantum ferat: Mus uero araneus & in Italia & alibi repperitur. *Vel aranei.*) Potest hoc bifariam intelligi: uidelicet aut de mure cęco qui etiam mus araneus dicitur, ut iam dictum est: aut de araneo qui Grę ce phalangion dicitur, & Arabice Rutela, uulgo uero tarantula: cuius plura sunt genera dictu haud necessaria in tãta notitia, quorum etiam noxij sunt morsus, & corpus exiguum. De quibus plura Plinius nat. hist. lib. 11. cap. 24. & lib. 29. cap. 4. *Sunt mĩæ spẽs, sed &c.*) Hoc est, uulnerum modi & figuræ atq; foramina ipsa sunt parua adeo ut uisui non appareant: sunt & animalia parua & uenenum ipsum mole perexiguum, sed facultate quàm maximum, ut quod per paruum uulnus in corpus ictum descendẽs uim suã summe letalem subitario exerceat, & mortis periculũ adferat, ni præsentaneo succurratur præsidio. Quomodo autem uenena hæc corpus afficiãt, docet Galenus de locis affectis lib. 3. cap. 7. & lib. 6. cap. 5. *Magis.*) Scilicet

Mus cæcus.
Mus araneus.
μυγάλη.
Locus Columellæ restitutus.
Scytale.
Araneus.
Phalangium.
Rutela.
Tarantula.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quàm serpentium. *Tenui corp.*) Hoc est, corporis portione parua. Nam exigua pars est tum ea quæ icitur & uenenum primo concipit, tum ea quæ id à se proijcit. *Grauis.*) Molestus, noxius & letalis. *Hæc mala.*) Scorpius & araneus. *Captant.*) Fallunt, decipiunt. Capto uerbum frequentatiuum inter alia significata sua aliquando idem est quod decipio, ut in hoc loco. *Securos sopores.*) Hoc est somnos tranquillos & qui sine cura transigũtur. *Multa.*) Frequenti, seu alta atque profunda.

Capto.

Hæc documenta dedit nobis prostratus Orion,
Magna quod exiguis perimantur sæpe uenenis.
At qui uulnus atrox incussit scorpius ardens,
Continuo capitur, tunc digna cæde retusus
Vulneribusque actus fertur reuocare uenenum,
Aut calidis pelagi lymphis loca læsa fouentes,
Siue meri potu dissoluitur improba pestis.

Hæc documẽta.) Scilicet quod parui mole animalis, ceu scorpij ictus, exiguo ueneno magnis corporib. uim possit inferre letiferam & mortem ipsam: cuius rei exemplo est nobis Orion, qui, ut dicitur, à scorpione ictus, uitam cum morte commutauit, quod admirari quis posset. Nam, ut Lucanus inquit, quis fata putaret Scorpion, aut uires maturæ mortis habere? Ille minax nodis, & recto uerbere sæuus, Teste tulit cælo uicti decus Orionis. *Prostratus.*) Interemptus, occisus. *Orion.*) Orion hic est qui scorpionis ictu peremptus fabulę locum dedit, quam astronomici poetici libro 2. refert Hyginius. Orion cum uenaretur & in eo exercitatissimum se esse confideret, dixisse etiam Dianæ & Latonæ, se omnia quæ ex terra oriuntur interficere ualere: quare terram permotam scorpionem eduxisse, qui eum interficere demonstratur. Iouem autem utriusque animum admiratum, scorpionem inter astra collocasse, ut species eius hominibus documento esset, ne quis

Orion.

Fabula Orionis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

quis eorum aliqua re sibi confideret. Dianam autem propter studium Orionis petisse à Ioue ut idē illi beneficium daret petenti quod terræ ultro tribuisset: itaq; eum constitutum, ut cum Scorpion oriatur, Orion occidat. *Atrox.*) Crudele & letiferum. *Ardens.*) Ab effectu. Nam, ut Dioscorides tradit, inflammari quàm primum à scorpionis ictu locus incipit, duratur, rubet & cum dolore supra modum riget. Nūc feruor, mox perfrictio alternis occupat. *Continuo.*) Statim quàm primum momordit. *Digna cæde.*) Morte promerita. Nam qui necem inferre uoluit, idem morte dignus censetur. *Retusus.*) Repercussus & in uulnus regestus. *Quæ.*) Pro id est. *Actus.*) Adactus & impactus. *Fertur.*) Dicitur. Siquidem Dioscorides libro 6. sic ait, Ipse qui percussit scorpio concisus, uulneriq; impositus ex repugnātia quadam naturæ, ut creditur, ictus sui remedio est, nec solum impositus sed et aliis uariis modis sibiipsi medetur idem. Nam, ut Celsus libr. 5. ait, Scorpio sibi ipse pulcherrimum medicamentum est. Quidam contritum cum uino bibunt. Quidam eodem modo contritum super uulnus imponunt. Quidam super prunam eo imposito uulnus suffumigant, undiq; ueste circundata, ne is fumus dilabatur, tum carbonem eius super uulnus deligant. Plinius item nat. hist. libro 11. cap. 25. Homini, inquit, icto putatur esse remedio ipsorum cinis potus in uino aut oleo mersus. Et lib. 29. cap. 4. Scorpio, inquit, & ipse suæ plagę impositus, aut assus in cibo sumptus, aut potus in meri cyathis duobus, prodest. *Reuocare.*) Retrahere & extrahere. *Calidis pelagi lymphis.*) Hoc est, aqua marina calida, quæ tum fotu tum balnei usu prodest. Dioscorides libro 5. Aqua maris contra uenenatorum morsus, quicunq; tremores, perfrictionesq; faciunt, præsertimq; scorpionum, phalangiorum et aspidum utilis: contra quos si in calidam eam descenderit aliquis pariter prodest. Idem libro 6. post plurium remediorum enarrationem, Omnibus hiis, inquit, addatur balneorum conti-

Scorpii medicinæ.

Scorpius sibi ipsi remedium.

Aqua marina.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

nuus cum multo sudore usus. Plinius item libr. 31. cap. 6. ubi de marina aqua agit, sic scribit: Quin & ad ictus uenenatos salutaris intelligitur, ut phalangiorum & scorpionum & ptyade aspide respersis: calida autem in his assumitur. *Fouentes.*) Vaporantes & balneantes. *Meri potu.*) Merum quidem, ut Plinius libro 23. cap. 1. tradit, remedio est contra apes, uespas, crabrones, phalangia, serpẽtum, scorpionumq́ ictus, contraq́ omnia quæ refrigerando nocent. *Dissoluitur.*) Disijcitur, dissipatur et annihilatur. *Pestis.*) Venenum.

Vinum merum.

Ad cunctos autem morsus ictusq́ minorum
Caseus aptus erit fœtæ de lacte capellæ
Cumq́ hoc absumi debebit origanus herba,
Hæc duo mirificis curabunt icta medelis.
Necnon peniculo calidum annectatur acetum,
Aut uiuum sulphur sicci cum fece lyæi.
Exiguo piperis cerebrum conspergito melis,
Quo lita sanescunt depulso membra dolore.

Ad cunctos minorum.) Docet nũc in communi remedia contra omnes morsus & ictus uenenatos, & præsertim animalium paruorum, ceu scorpionum, phalangiorum siue araneorum, apium, uesparum, crabronum & id genus reliquorum. *Caseus capellæ.*) Plinius medicamen hoc non solum comestum sed & impositum utile tradit libro 28. cap. 10. inquiens: Contra serpentium ictum ualere dicunt caseum caprinum cum origano impositũ. Et paulo post: Ad reliquos bestiarum morsus caprinum caseum siccum cum origano imponunt & bibi iubent. *Fœtæ.*) Enixæ et quę iam peperit. Amplior enim potentia fœtis eiusdem generis quod numerosissimum esse diximus, inquit Plin. libro 28. cap. 10. Et Auerrois Colliget libro 5. cap. de lacte, Lac melius est illud quod est prope partũ, id est post duos menses. *Lacte.*) Ex lacte enim fit caseus. *Absumi.*) Consumi

Caseus caprinus.

ſumi & comedi aut bibi. *Origanus.*) Origanum ſine ca- **Origanum.**
ſeo etiam prodeſſe teſtis eſt Dioſcorides libro 3. dicens:
Calefacit origanus, ideoq́ uenenatorum morſibus ad-
uerſatur potum cum uino decoctum eius. Et Plinius lib.
20. cap. 17. Origani uſum contra araneos ſcorpionesq́ in
uino albo teſtatur. *Hæc duo*) Caſeus & origanum. *Peni-* **Peniculus, um.**
culo) Peniculus qui & penicillus dicitur, ſiue in neutro **Penicillus, um.**
genere peniculum & penicillum, eſt id quo pingunt, ac-
cepto nomine à caudarum extremitatibus è quibus fiũt.
Aliquando uero dicitur id quo albarium tectorio infer-
tur, unde & tectorij dicuntur penicilli. Sunt & quibus
calciamenta deterguntur dicta penicula. Interdum uero
peniculus dicitur id quo uulnera ſtipantur, ob id uideli-
cet ne claudantur ſiue ut magis aperiantur, fiuntq́ uel ex
ſpongia, uel ſabuci medulla, rebúsue alijs. Aliquando
etiam dicitur id quo ad mundandum illinendumúe uti-
mur, præſertim ſi ex ſpongia fiat. Demum ſpõgiæ genus
eſt molliſſimum peniculus ex quo penicilli fiunt. Hoc lo
co pro ſpongia accipitur. *Anectatur.*) Addatur & infera
tur. *Acetum.*) Acetum ſerpentum morſibus potum me- **Acetum.**
deri priori capite docuit, nunc idem uenenatis reliquo-
rum animalium morſibus & ictibus calidum in ſpongia
impoſitum prodeſſe docet. Plinius libro 23. cap. 1. Pluri-
mum fotu, inquit, medetur canis morſibus, ſcorpionũq́
ictibus, ſcolopendrarum, muris araneiq́. Contra om-
nium aculeatorum uenena & pruritus: item contra mul
tipedum morſum. Et Dioſcorides lib. 5. ait, Fouentur ca-
lido aceto uenenatorum morſus quicunq; refrigerãt, fri-
gido contra quicunq; incendunt. *Viuum ſulphur.*) Quare **Sulphur uiuũ.**
uiuum dicatur ſulphur, dictum eſt ſupra. Hoc Dioſcori-
des reſina mixtum ſcorpionum ictibus mederi tradit, &
ex aceto eadem utilitate cõtra ſcorpij et marini draconis
ictus utiliter inungi. Auerrois uero de ſulphure ſic pro-
dit: Sulphur habet uirtutem attractiuam cũ complexio-
ne calida & ſubſtantia ſubtili, & eo reſiſtit uenenis anima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſium quando puluerisatur & ſpargitur loco morſo. Plin. etiam lib.32.cap.14. contra ſcorpionũ ictus prodeſſe teſtatur. *Sicci lyæi.*) Vini quod exiccantis eſt naturæ. *Fece.*) Plinius lib.23.cap.2. Fex uini ſicca uel madida contra phalangia illinitur. *Exiguo piperis.*) Piper uenenatorum morſibus ſuccurrere autor eſt etiam Dioſco. admiſcetur ideo & hijs quæ cõtra uenenata conficiuntur. *Cerebrum melis.*) Quod Serenus de cerebro melis, id Plin. de gallinaceorũ cerebro contra araneorũ morſus teſtatur lib.29. cap.4. dicens: Contra omniũ araneorum morſus remediũ eſt gallinaceum cerebrum cum piperis exiguo potum in poſca. Porrò melis animal eſt in cauernis uiuens, aluearibus ob mellis auiditatem infeſtum: cui uel illa ſolertia eſt, ut Plinius ſcribit, quod in metu ſufflata cute diſtentu ictus hominum & morſus canum arcet. Eſt autem uulpis magnitudine, colore felis, capite albis & nigris ueluti lineis diſtincto, roſtro inſtar ſuis oblongo, pelle aſpera atq; prædura, ex qua pharetras & canum collaria obtegunt, quæ melium uocant. Vnde Varro de re ruſtica libro 2. Ne uulnerentur canes à beſtijs, imponuntur hijs collaria, quæ uocantur melium, id eſt cingulum, circum collum ex corio firmo cum clauis capitatis. Vulgus animal hoc Taxonem uocat, & nõ maturellum animal auibus inimicum, ut falſo interpretatur quidam in enarratione uocabulorum Varronis.

Fex uini. *Piper* *Cerebrũ melis.* *Melis.* *Taxo.* *Melium.*

Sin autem muris nocuit uiolentia cæci,
Quæ ſola ſignauit uoluendis orbita plauſtris
Illinc, mira datur uili de puluere cura.

Violentia.) Vis & impetus ipſius morſus muris cæci, atq; uenenum ipſum. *Sola.*) Terram. Solũ dicitur quicquid alicui rei ſubiacet: unde terra quod pedibus noſtris ſubiecta ſit, ſolum dicitur. Et inclinatur etiam pluraliter contra Grãmaticos, ut hic, & apud Statium ſyluarum libr.1. ubi ait, Vix ſola ſufficiunt, id eſt, pauimenta & terra. Porrò quod de terra ex orbita hic tradit Serenus, idẽ quoque

Sola pluraliter dictum. *Solum quid.* *Terra ex orbita.*

teſtatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

testatur Plinius naturalis historiæ libro 29. capite 4. Nam postquam ex mure araneo contra suũpsius morsum docuit remedia, subiungit & illud: Est & cõtra morsum eius remedio terra ex orbita. Feruntenim nõ transiri ab eo orbitã. *Voluendis plaustris.*) Mouendis & circumagendis rotis, hoc est, ubi currus cum rotis uoluuntur. Plaustrũ dicitur currus: sic appellatus, ut Varroni placet, quod palã fit in eo quod uehitur. *Orbita.*) Orbita & rota & rotę uestigium dicitur, & pro terra ipsa accipitur. *Puluere.*) Terra. **Plaustrum. Orbita.**

SVBITANEO DOLORI, FEBRI, ATQVE OSTOCOPO.

CAPVT XLVII.

NON nunquam existit subiti noua causa doloris,
Cuius origo latet, ueris reprimenda medelis,
Nanq; chelidoniam mixto sale nectere prodest,
Velleraq; infuso recalentia sulphure sanant.



SVBITANEO *dolori.*) Subitaneus dicitur dolor, qui prius non existẽs, repente & improuisus affatim irruit & animal primum afficit. Est aũt tum animi tum corporis dolor. Animi quidẽ ut mœrores. Corporis uero duplex est. Aliquando enim dispositio ipsa in qua dolemus, & quæ cum dolore fieri natura apta est, dolor uocat, ut erysipelas, inflammatio, uulnus, fractio, ruptura, cõuulsio & id genus alia: & sic dolorẽ accipit Hippocrates in aphorismis li. 2. ubi dicit: Quicunq; dolẽtes parte aliqua corporis omnino dolorẽ nõ sentiunt, hĳs mens ægrotat. Et in lib. Epidemiarũ, ubi dicit quod in Cranone antiqui dolores frigidi, noui autẽ calidi. Aliquando uero ipse tristis sensus, dolor nominatur. Cuius primæ species sunt duę: Vna cum affatim temperatura & uiolenter alteratur, ut cum uehementer uel **Dolor subitaneus. Dolor quid.**

excalefit uel refrigatur. Altera cum soluitur continuitas. Quod etiã bifariã accidit, Aut à causa externa, quam Græ
Causa externa. ci προκαταρκτικὴν uocant, quæ scilicet corpori non inest, sed extrinsecus incidit: quæ doloris species à Galeno posita haud iuste ab Auerroe reprehenditur. Nam & si non per se dolorem causet, agit tamen id per accidens. Aut soluitur continuitas, ubi nihil extrinsecus triste appropinquat sed in corpore causa est, quã Græci προηγουμένην uo-
Causa interna. cant, hoc est internam, quæ intra ipsum animalis cõtinetur corpus. Et hoc fit aut distentione ob humoris multitudinem, flatuosumúe spiritum, qui exitum ut difflari posit, non habet: aut ob nimiam siccitatem: aut à qualitate rodente, uti humor est mordens: aut ab effectu, qui ex his componitur, inflammatorio, qualis est phlegmone, erysipelas & hijs similes. Porrò de doloribus plura Galenus therapeutices libro 12. & de affectorum locorum notitia
Febris. libro 2. *Febri.*) Inter morbos maxime uulgaris, & in toto corpore est ipsa febris. Quæ Galeno autore, calida & sicca est passio. Nam caloris natiui ad igneum conuersio, cuius sedes est cor. Non enim dicitur febris nisi cor ipsum concalefecerit, & adeo immodice auctus sit calor ut & hominem offendat & actionem lædat: nam si neutrum adhuc efficiat, quantumuis sit hoc nunc quàm ante calidior, nondum tamen febricitat. Vnde Ioannitius in hunc modum febrem diffinit: Febris est calor præter naturã, cursum supergrediens naturæ, procedẽs à corde
Febris species tres. per arterias in uniuersum corpus, suoq; lædẽs effectu. Huius tres sunt species & differentiæ, quas Hippocrates indicat in epidemijs cum ait: Continentia, contenta, & im
Ectica. petum facientia. Per cõtinentia intelligens partes solidiores & corpus ipsum cordis, quæ cum calor præhendit, ecticas cõstituit: sic quidem uocatas, uel quia stabiles solutuq; difficiles sunt ceu habitus, uel quia ipsum corporis habitum occuparunt: ita solidas partes ex aduersum di-
Putrida. ductas humentioribus nominantes. Per contenta uero intelligit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

intelligit humores, in quibus cum eos in uẽtriculis ipsis conditos præhendunt, putridæ existunt: quarũ aliæ sunt intermittentes, hoc est ad integritatem sensibilẽ desinentes, ex humore eunte ac moto usqȝquaqȝ in corpore efficiẽte febrẽ consistentes. Et harũ adhuc aliæ sunt quotidianæ, aliæ tertianæ, aliæ quartanæ, & aliæ quædã longiore circuitu redeũtes licet raro eueniãt. Aliæ uero ex putridis sunt continuę ex materia condita & cõtenta in uenis consistentes: quarũ aliæ sunt crescẽtes, aliæ similem tenorem seruãtes, aliæ uero decrescentes. Priores Græci epacmasticas, alteras acmasticas siue omoton⁹, posteriores uero paracmasticas uocãt. Demũ per impetũ facientia Hippocrates intelligit aẽrẽ seu spiritus, cuius substantia sola si incaluerit, corpora uero solidiora atqȝ humida caleant quidẽ sed nondũ incaluerint, efficitur febris ephemera, hoc est diaria, uocata, quæ ex causis procartarcticis id est pręgressis & euidentibus primitiuisqȝ oritur, ceu sunt labor, iracundia, mœror, calor, frigus, otiũ, insomnia, cruditas, temulentia, repletio, aẽr pestilẽs, cibus prauus, medicamenta & id genus alia. Caloris uero præter naturã, qui febris essentia est, causę sunt, motus, putrefactio, cõuersatio: alterius caliditatis, suppressio calidi effluuij, permixtio calidę substantiæ, tanquã de fonte ebullientis aut genitæ scilicet ad nostrum sensum, aut augentis caliditatem. Sed de hijs in communi satis ad præsens. *Ostocopo.*) Ostocopos dicitur ossium dolor, ὀστέον enim siue ὀστοῦν Græce, os est Latine, κόπος uero dolor, labor & lassitudo. Qualis autem affectus sit ostocopus, ut clarius appareat, altius disquirenda erit lassitudinum essentia. Vnde lassitudo est imbecillitas uirtutis motricis iuncta tristi sensationi tactricis præsertim apud motum & compressionem. Est autem duplex lassitudo. Vna simpliciter & proprie sic dicta, quę ex multo uehementiqȝ motu contingit. Altera spontanea lassitudo appellata, quæ non ex labore aut exercitatione motuue sed sponte ex humorũ immoderantia prouenit;

Febris intermittens.

Febris cõtinua.

Febris ephemera.

Caloris præter naturã causæ.

Ostocopus.

Lassitudo quid.

Lassitudo simpliciter.

Spontanea.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

de qua Hippocrates in aphorismis lib. 2. sic pronunciat, Lassitudines spontaneæ morbos prænunciant. Sunt autem tres eius differentiæ. Prima ulcerosa uocata, quæ ulceris sensum facit motis grauē ceu ulceretur corpus: oriturq́ ex humore uitioso, non tamen quolibet, sed qui calidus & tenuis acrimoniam habet quæ corpus rodit, stimulat & pungit, idq́ uel circa cutim uel circa subiectam illi carnem uel circa utrāq;. Secunda dicitur tensiua, quæ tensionis sensum inuehit: nasciturq́ ex plethora & plenitudine ac nimia humorum abundantia: quippe tenduntur ex hac solidæ animalis partes, præcipue in quibus humores continentur. Tertia uero differentia est phlegmonosa, quæ phlegmones et inflammationis sensum adfert, oriturq́ ex ambobus tum nimia humorum abundantia tum uitioso humore in quo rodens acrimonia continetur. Et heæ lassitudinis spontaneæ sunt differentiæ. Quæ similiter in simpliciter & proprie dicta lassitudine repperiūtur. Prima ulcerosa, cū tristi molestoq́ ceu ulceris sensu inter mouēdum afficimur, sic ut etiam horror interim oboriatur & quadātenus cōcussio cōmotioq́ totius corporis inęqualis, quod Gręci ῥῖγος uocant. Et hāc excitare solent celeres ac multi motus. Secūda est tensiua dicta lassitudo, in qua tendi membra uidentur, inciditq́ post robustas potius quàm celeres exercitationes. Tertia differentia est phlegmonosa, qua nimirum ceu contusas aut phlegmone obsessas partes sentimus, quæ tum maxime solet incidere, cum musculi ob uehementissimos plurimosq́ motus nimium excalfacti attraxere quippiam ex circumfusis sibi excrementis. Quod si etiam tum tendonibus tū neruis idem affectus incidit, ὀσοκόπον Græce, quasi ossium dolorem eum affectum nominant, ob penitiorem scilicet sensum, partib. quæ in alto maxime corpore sunt positæ nomen tribuentes: quippe summum locum cutis occupat: secundum ab ea musculi habent, utiq; circum ossa positi: at tendones ipsis ossibus adhærent. Quo magis

Lassitudinum differentiæ.

ῥῖγος.

Ostocopus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

gis rationabile est, cum hij quicquam prædictorum patiuntur, uideri in imo ac circa ipsa ossa affectionẽ hærere. Hæc hactenus. Qui plura de lassitudinibus desiderat, is Galenum de salubribus libro 3. & 4. legat, ubi fusius materiam hanc tractat, & nos hæc inde quoque sumpsimus. *Causa.*) Causam aliqui à casu dictam uolunt, quod rerum initia & origines quæ causæ sunt casu eueniant. Sunt autem quatuor causarum genera, tradente Aristotele. Est enim materialis una, ex qua aliquid fit: formalis altera, per quam tale quid fit: tertia est efficiens, à qua aliquid fit: & quarta est finalis, propter quam et cuius gratia aliquid fit. *Latet.*) Abscondita est & sensui non patet, quare hominem qui in tali speculatione sit exercitatus, nimirum postulat. *Veris medelis.*) Medicamentis quæ dolorem uere sedant & tollunt: non autem falsis aut fucatis, quæ membris sensum auferendo dolorem leniant solum ad tempus, post quod tamen rediens demum fortius & uehemẽtius affligat. Tollitur enim dolor aut causam eius submouendo cum medicinis digerentibus atq; uacuãtibus, aut uehementiam eius remittendo: quod bifariam contingit, uidelicet per epicrasin, hoc est uitiosi succi uacuationem & rei dolorem efficientis sublationem cum medicinis temperatis, natiuo calori conformibus seu parum calidioribus natiuum calorem augentibus. Et hæc uere dolorem remouent. Aliter etiam remittitur cum anodinis soporiferis et torporem stuporemq́ inferentibus, quibus tamen nisi urgente necessitate & alijs nihil conferentibus, utendum non est. Sunt enim huiusmodi narcotica medicamenta frigida, naturęq́ aduersa, dolorem non uere tollẽtia, sed fallacia atq; fucata. Nam sensum membris auferendo cruciatum & dolorem imperceptibilem reddunt. Sed de soporiferis anodinis plura Galenus libro aphorismorum 6. & therapeutice 12. *Nanq;.*) Ideo. *Chelidoniã mixto sale.*) Siquidem chelidonia humores extenuat & discutit. Nec minus eadem sali uis est et natura ob quas

Causa. *Causarum genera.* *Doloris sedatio duplex.* *Vera.* *Mendosa.* *Narcotica soporifera.* *Chelidonia.* *Sal.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uires utique Dioscorides chelidoniam dentium dolores finire commanducatam tradit. Salem uero contra lassitudines ex oleo utiliter inungi, calentemq; eundem saccis inditum & impositum dolores lenire. *Nectere.*) Alligare & imponere. *Vellera infuso sulphure.*) Idem testatur Plinius, nisi quod acetum hijs iungi permittit inquiēs: Iam uero pura uellera aut per se imposita cæcis doloribus aut aceto, sulphure prosunt. Vocat autē cæcos dolores, quorum causa latet & sensui parum patet

Vellera. Sulphur. Dolores cæci.

Ostocopon lento conducit melle perungi.
Sin autem calidæ depascent corpora febres,
Tunc apij succus leni soluatur oliuo,
Membra line fotuq; ferus mulcebitur ignis.
Nec spernendus adeps dederit quem bestia melis,
Seminecis cerui lachrymam miscere liquori
Conuenit, atq; artus illinc mulcere dolentes:
Sic lacerat morbum, bilemq; reuoluit in aluum,
Præterea chymum stomacho desiccat iniquum:
Quæ magis atq; magis promittunt corpora claudi.
Febribus aut longis galli noua iura uetusti,
Subueniunt, etiam tremulis medicantia membris.

Mel. *Lento melle.*) Melle non fluido, sed firmo et quod tractum digitos sequaci lentore sequitur, & tale cum alijs bonis conditionibus in omni genere probatius est, cuius uis est humores in summum proritare & extrahere, disijcereq; ac neruorum dolores mulcere, unde & ostocopo utiliter inungitur. *Calidæ depasc. corp. feb.*) Vergilius Georgicon libro tertio: Atque artus depascitur arida febris.

Apium. *Apij succus.*) Apium Celsus inter ea quæ simul reprimunt & refrigerant ponit, quare febrium ardores ex oleo refrigerare & mitigare haud absurde iudicatur inunctum. Oleum enim quamuis calefaciat, discutit tamen & ne nimium reprimat apij succus, prohibet. *Fotu.*) Inunctione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ne & medicamenti huius calidi ac humidi applicatione. *Ferus ignis.*) Calor & ardor febrilis, igneus, ferociens ac sęuiens. *Adeps melis.*) Quid sit melis, dictum est capite prę cedenti. Quod autem adeps eius febribus medeatur, testatur etiam libellus de usu & medicina eius, in quo sic legitur, Adipe quoq; eius si ægrum perunxeris, statim febris ab eo recedet, dũtaxat si uita superest. Nam morbus prorogat tempus. Quod si morbus maior fuerit, celerior recedet. *Seminecis.*) Hoc est, semimortui & iam morti appropinquantis si non succurratur, idq́; propter assumptum ex serpentium esu uenenum. Cum enim assumitur uenenum, mox inficitur eo corpus & quasi iam semimortuum ad obitum accelerat animal, mortiq́; obnoxiũ est, ni præsens adhibeatur medela. *Cerui.*) Placidissimum animalium fertur ceruus, cuius caro etiam febribus medetur comesta, nedum lachryma eius adhibita. Plinius libro 28. cap. 10. Febres arcet ceruorum caro. Tuetur item ea uescentes ne febres incidant. Idem lib. 8. ca. 32. Febrium morbos non sentit hoc animal, quin & medetur huic timori. Quasdam nos principes fœminas scimus omnibus diebus matutinis carnem eam degustare solitas, & longo æuo caruisse febribus. Quod ita demum existimant ratum, si uulnere uno interierit. *Lachrymam.*) Hoc est, lapidem qui ex lachryma eius concrescit, et cõtra uenena pręsens est medicina & bezehard. Quare hijs febribus maxime medetur quæ originis suæ causam habent intus assumptum aut extra illatum uenenum, cuius uirtuti resistit, illud è corpore pellendo. Siquidem scriptum legimus, Ceruos orientis, ut iuuenescãt & robustiores efficiantur, serpentes edere, & antequam inde ueneno inficiantur, flumina petere & intrare, ubi usq; ad caput immersi, docente natura, tandiu morantur sine ulla aquæ potatione (nam hausta illa mox morti succumberent) donec ueneni ui euicta lachrymam emittant, quæ sub palpebris inuiscatur & coagulatur, adeoq́; increscit & augmenta-

Adeps melis.

Ceruina caro.

Lachryma cerui.

tur ut iuglandis aut castaneæ magnitudinem interdum æquet. Et cum sentiunt uenenum & nocumẽtum eius expulsum, exeunt flumen: quo egresso per terram deambulantibus lachryma illa ut lapis indurata fricando decidit, & ab hominibus reperta bezehard est cæteris omnibus perfectius & efficacius ad expellendum uenenum & noxam eius. *Liquori.*) Hoc est, adipi melis, uel aquæ: sicut enim per calidam aut frigidam, ita etiã per liquorem sine adiuncto, aquam intelligere poterimus, iuxta illud Celsi libro 6. ubi ait, Quotiescunq; nõ adijcio quod genus humoris adijciendum sit, aquam intelligi uolo. *Lacerat.*) Dilaniat, frangit & abigit. *Morbum.*) Febrem. *Bilem reuoluit in aluum.*) Bilem ad intestina retrudit & per aluũ expellit. Quæ quid sit, dictum est supra capite 13. Hæc ad intestina transmittitur, quo sua extimulatione celerior fecũ fiat excretio: quod si propter obstructionem aliquam aut expultricis debilitatem detineatur ita ut ad intestina non transmittatur & feces ob id nõ excernantur, accidunt inde ęgritudines & maxime febres, quibus ortis & infestantibus, si bilis iterum ad intestina uoluatur & excremẽta reijciantur, morbus quoq; amolitur cessatq; febris. *Chymũ iniquum.*) Humores prauos in stomacho contentos & superfluentes, ex quibus obstructiones & inde morbus ac febris orta fuerit. *Stomacho.*) Ventriculo qui cibi recaptaculum est. *Desiccat.*) Exsiccat & consumit. *Quæ.*) Bilis & chymus prauus. *Promittunt.*) Minantur. Promittere enim aliquando minari est. Vergilius, Promisi ultorẽ, & uerbis odia aspera moui: id est, minatus sum. *Corpora.*) Vias & ductus in corpore per quos meant spiritus & sanguis in corpore, imò & aluum ipsam quæ per bilis absentiam & pituitæ abundantiã obstruitur & detinetur. *Claudi.*) Concludi & obstrui. *Febribus longis.*) Hoc est, longinquis & diuturnis atq; antiquis quæ longo tempore iam afflixerunt. *Galli noua iura uetusti.*) Galli ueteris tanquam efficacioris ius recens coctum, diutinis febribus utile esse tradit

[Margin notes: Liquor. — Bilis. — Stomachus. — Promittere. — Ius recens galli ueteris]

tradit etiam Dioſcorides. Aluum enim à craſſis & crudis glutinoſisq́ humoribus, qui obſtructionum & inde febrium cauſa ſunt, purgat ius gallinaceorum non modo antiquorum ſed & pullorum autore Celſo, quamuis ſeniorum ob nitroſitatē maiorem efficatius exiſtat. Et Plinius de eodem iure loquens ſic ſcribit: Aluum ſoluit: ualidius è uetere gallinaceo. Prodeſt & contra longinquas febres, & torpentibus membris, tremulisq́. *Tremulis.*) Hoc iam ex Plinij teſtimonio confirmatum eſt. Intelligit autem per membra tremula, non ex quacunq; mala corporis affectione trementia, ſed ea quę in febriū acceſſione cum frigore affecta tremunt. *Membra tremula.*

QVARTANAE TYPO REMEDIANDO.

CAPVT XLVIII.

NEC tu crede leuem dilato tempore febrem,
Quæ ſpaciū ſibi dat, magis ut ceſſando caleſcat,
Letali quæ graſſatur quartana calore,
Ni medicas adhibere manus curemus & herbas.



QVARTANAE.) Febris quartana ſimplex ac diligēs dicitur ea quæ ex atra bili ſeu humore melancholico putri ſolo ceu frigido & ſicco efficitur, paulatimq́ ſuccenditur quemadmodum lapis quidam uel teſta uel os uel aliud ſiccum ac frigidum corpus quoddam. Et in hac rigor eſt, qualis potiſſimum in forti frigore refrigeratis, non qualis interdum exiſtit per æſtum uel laborem uel medicamentum calidū ac mordax uulneri adhibitum. Et hæc in intermittentibus longior exiſtit, quarto die, unde ſic dicta, reuertēs & exacerbans. Nam integro biduo intermittit, autor Galenus. *Typo.*) τύπος Græce, Latine forma dicitur. Intelli- *Febris quartana.* *Typus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

git autem Serenus per typum tempus afflictionis febris & afflictionem exacerbationemque ipsam, quæ uarie in diuersis febrium generibus accidit. Sed de typo uide latius Galenum in libro de typo. *Dilato tempore.*) Scilicet afflictionis. Nam paroxismi tempus in quartã usque diem prorogat & extendit, duobus interim quiescens. Est autem
Paroxismus. paroxismus periodi tẽpus deterius, hoc est, accessionis & exacerbationis afflictionisque tempus. Periodus uero siue
Periodus. circuitus, est tempus ex intensione in morbo & remissione. *Spacium.*) Scilicet intermissionis & quietis. Nam ultra alias febres longissimũ intermissionis tempus utpote duos dies habet: de alijs enim ut quintana, sextana, septimana & nonana, dubium est an fieri possint. Vnde Galenus de differentijs febrium libro 1. dubitanter ait, Si febris ulla quintana est: ipse enim nondum perspicue uidi, neque eam circuitionẽ, neque aliquam aliam ultra quartanã.
Letale. *Cessando.*) Intermittendo & quiescẽdo. *Letali.*) Periculoso, noxio & malo. Intelligit aũt per letale nõ tanquã ex necessitate mortẽ afferentem, sed tanquã difficulter sanabilem. Nam qui hac febre comprehenduntur, nõ cito liberãtur, temporis spacio & longitudine molestantur, adeo ut quibusdam ad integrum annum et ultra prolongetur: nemi
Cap. 15. nemque iugulat, autore Celso libro 3. nisi ex ea quottidiana facta fuerit, tunc enim in malis æger est. Quod tamen nisi culpa uel ęgri uel curantis nunquam fit: quare danda opera est, ne qua cruditas in quottidianam id malum uertat. *Grassatur.*) Inuadit, sæuit & affligit. *Medicas.*) Medicantes & salutares, quæ morbum pellendo sanitatem restituant. Verg. Georg. libro 3. Dum medicas adhibere manus ad uulnera pastor Abnegat.

Allia non pudeat terno cum cimice trita,
Et diluta mero, medijs haurire diebus.
Mira est absinthi cum simplice potio lympha.
Sume tribus digitis compressum semen anethi,

Tantundẽ

Tantundem marathri, nec mulsum desit acetum
In cuius cyatho prædicta salubriter hauris.

Allia.) Allio prauos in corpore humores excernendi facultas est. Vnde caput eius unum sed cum laserpitij obolo quartanas excutere credunt, ut scribit Plinius. At Celsus allium solum comestum ante accessionem mouere calorem qui horrorem non admittat, testatur. *Non pudeat.*) Quia utile est, licet turpe sit & fastidiendum. Pudere uerecundiæ est, & in hijs quæ turpiter fiunt. Loquitur autem hoc non propter allia sed cimices: de quorum medicina quid sit sentiendum, docet nos Plinius naturalis historiç libro 29. cap. 4. dicens: Quædam pudenda dictu, tanta autorum asseueratione commẽdantur, ut præterire fas non sit. Siquidem illa concordia rerum aut repugnantia medicinæ gignuntur: ueluti cimicum animalis fœtidissimi & dictu quoq; fastidiendi. Et paulo post: Cætera quæ de his tradunt, uomicæ & quartanarũ remedia, aliorumq́ue morborum, quanquam ouo aut cera aut faba inclusos censeant deuorandos, falsa nec referenda arbitror. *Terno cimice.*) Dioscorides medicinalis syluæ libr. 2. de lectorum cimicibus scribens, illorum non tres, imò septem numero, et nõ cum allio sed per se fabarum cauis inclusos, contra quartanas febres ante accessionem utiliter deuorari tradit. *Diluta.*) Soluta & mixta. *Medijs diebus.*) Hoc est, tempore quietis & intermissionis ante accessionẽ. *Mira.*) Admiratione digna: quoniam, ut Plinius libro 27. cap. 8. dicit, non dandum in febri. Sed hoc intelligitur solum quantum ad qualitatem manifestam quç est caliditas: propter quam febrilem calorem augeret, sed quia obstructiones aperit & prauos humores & biliosos, è quibus febris oritur, purgat, maxime conuenit. *Absinthi.*) Mesue, Confert etiam absinthium iuuamentũ magnum febribus lõgi temporis & febribus opilationum, quales sunt quartanæ. *Simplice lympha.*) Aqua pura & syncera. *Sume tribus.*)

Allia. *Pudere.* *Cimex.* *Absinthium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Anethum et fœniculum ex aceto mulso. *Cyathus.*

Quod nunc ex anetho, marathro siue fœniculo & aceto mulso docet medicamentum, id eadem ratione qua absinthium, febribus medetur. Crassos enim ac putridos humores ex corpore educit & febrium ardores lenit. *Cuius.*) Aceti mulsi. *Cyatho.*) Cyathus est uncia una cum dimidia pondere.

Mæoniæ Iliados quartum suppone timenti,
Aut leporis timidi diluta coagula trade.

Liber 4. Iliados Mæoniæ. *Homerus, deus Mæonius.* *Coagulum leporis.*

Mæoniæ Iliados quartum.) Hoc est librum quartum Iliados Homericæ. Scripsit enim Iliada Homerus opus diffusum uigintiquatuor uoluminibus uix absolutum, in quo nullum mali genus non recensetur. Mæoniæ autem uocat, id est, Homericæ, eo quod Homerus patria fuerit Mæonius. Vnde & Columella in præfatione ipsum appellat deum Mæonium. Videtur autē hoc quoque sicut & alia compluria superstitionem sapere medicamentum. *Suppone.*) Scilicet capiti, & id quidē ante accessionem febris & paroxismum. *Leporis coagula.*) Hoc est quod Plinius nat. hist. lib. 28. cap. 10. testatur Magos leporis coagulum ante accessionem propinare quartanis. *Timidi.*) Natura enim pauidum ac timidū animal est lepus. *Trade.*) Propina & ad bibendum exhibe.

Prodest & potus uel multus Doridis humor.
Quidam etiam miranda ferunt, ueniente calore
Iurantes ludum Veneris munusq́ petendum,
Sed prius est oleo paruas feruescere ranas
In triuijs, illocq́ artus perducere succo.

Doris. Aqua marina.

Vel) Pro etiam & ualde. *Doridis humor.*) Id est, aqua marina. Doris nympha dicitur maris, filia oceani & Tethyos, coniunx Nerei. Interpretatur autem amaritudo. Vnde Vergilius in Gallo, Doris amara suā non intermisceat undā. Accipitur tamen aliquando pro aqua ipsa marina, ut hic: de qua sic etiam scribit Plinius libro 31. cap. 6. Bibitur

tur quoq; quamuis non sine iniuria stomachi ad purgan da corpora, bilemq́; atram, aut sanguinem concretum reddendum alterutra parte. Quidam & in quartanis dedere eam bibendam. *Quidam.*) Ceu Icethidas medicus, qui, ut Plinius libro 28.cap.7.refert, quartanas coitu finiri incipientibus duntaxat menstruis spopondit. Quod quia minus probatur à Sere. ueritas & fides eius in alios reijcitur. *Miranda.*) Quia citra ueri fidẽ uidetur id asseri. *Veniente calore.*) Appropinquante ardore febrili & exacerbationis eius tempore. *Iurantes.*) Affirmantes. *Ludum Ven.munusq́;.*) Id est, coitum & rem Venereum exercitandam. *Sed prius.*) Hoc est, ante coitum. Docet quo modo ad coitum tales se prius disponere & præparare debeant, & quid ipsis prius agendum. *Est.*) Cõuenit & utile est. *Oleo ranas.*) Quam Serenus nunc coitui præmittendam præcipiens utilem tradit inunctionem, eam lib.32.cap.6. Plinius simpliciter & per se factã adprobat, alios aliquot interim administrandarum ranarum modos & effectus circa febres non omittens dum ait, Ranæ uero in triuio decoctæ oleo abiectis carnibus perunctos liberant quartanis. Sunt qui strangulatas in oleo ipsas clam adalligẽt, oleoq́; eo perungant. Cor earum adalligatum frigora febrium minuit. Et oleum in quo intestina decocta sint. Maxime autem quartanis liberant ablatis unguibus ranæ & alligatæ. Hæc ille. *Feruescere.*) Decoquere. *Illo succo.*) Oleo ranarum.

Coitus contra quartanam utilis.

Oleum ranarum.

TERTIANAE TYPO REMEDIANDO.

CAPVT XLIX.

EST etiam alternis febris rediuiua diebus
Tempora discernens quasi iustæ pondera libræ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Vt possis igitur talem prohibere furorem
Inuolues cera pallentis grana cumini,
Puniceæq; indes pelli, colloq; ligabis.
Pulegij ramus lanæ uelatus amictu
Tempore suspecto medicos prębebit odores.
Præterea cimex asso potatur in ouo,
Horridus attactu, sed gustu commodus apto.

Febris tertiana.

ERTIANAE.) Febris tertiana simplex ac diligens dicitur, quæ ex flaua bile per corpora sentientia delata consistit, & cum rigore præhendit, ardorisq; speciem habet, & bilis uomitu, uel sudore, uel quibusdam horum uel omnibus soluitur. Estq; accessionis eius longitudo maxima horarum æquinoctialium 12. Et hæc respectu aliarum intermittentium cito terminatur. Verũ si bilis multa & crassa fuerit, aut uires debiles, corporisúæ dispositio densior, tũc longiorem efficit accessionem: breuiorem uero ubi bilis pauca & tenuis fuerit, aut uires ualentes, corporisúe dispositio rara. Et in hac præcedens rigor est quasi pungens ac uulnerans sensum, cũ in quartana quasi refrigeret, autor Galenus. *Alternis.*) Quia uno intermittens die, altero redit paroxismus & afflictio. *Rediuiua.*) Quæ post intermissionem & discessum ad affligendi uires tanquam de morte ad uitam redit. *Tempora.*) Scilicet quietis siue intermissionis & afflictionis. *Discernens.*) Distinguens & diuidens. *Quasi.*) Ceu, quemadmodũ, hoc est, æqualiter. *Iustæ.*) Aequæ & unicuiq; ius suum ac debitum æqualiter distribuentis. *Pondera.*) Pondus dicitur graue id quo librando ad stateram seu librã ponderamus. *Libræ.*) Libra est: instrumentum quo res ponderantur cum lancibus, quod alio nomine bilancem uocãt. Persius satyra 4. Scis etenim iustum gemina suspendere lance. *Furorem.*) Seuitiam, exacerbationem & afflictionẽ febris. *Pallentis.*) Pallorem inducentis, Nam, ut libr. 20, cap. 14. Plinius tradit

Pondus. Libra. Bilanx.

dit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

dit, omnem pallorē bibentibus gignit. *Grana.*) Semen. *Punicea p. lli.*) Corio puniceo & ruffo colore tincto, non tamen quocunq; sed eo potissimum quem dat herba erythrodanus siue rubia dicta, qua lanæ tinguntur pellesq; perficiuntur. Ni per puniceam pellem intelligere malueris malicorium, quod punici mali cortex est & pellis. *Pulegij ramus.*) Idem remedium testatur Xenocrates, & eundem pulegij cōtra eandem tertianam latius quoq; extendit, ut scribit Plinius: cuius lib. 20. cap. 14. hęc uerba sunt: Xenocrates pulegij ramum lana inuolutum in tertianis ante accessionem olfactandum dari, aut stragulis subijci, & ita collocari ægrum inter remedia tradit. *Tempore suspecto.*) Hoc est, ante febris et paroxismi accessionē. *Cimex.*) De hoc dictum iā est cap. priori. *Horridus attactu.*) Quando tangitur & cōteritur odore abominabilis & fœtidus. *Gustu apto.*) Hoc est, cum apte & conuenienter ceu in oue assumitur & deglutitur.

Semen cymini in cera & pelle ruffa.

Pulegium.

Cimex.

QVOTTIDIANAE TYPO REMEDIANDO.

CAPVT L.

AT qui continuis non cessat adire diebus,
Sed tantum certas morbus discriminat horas,
Triticeum metuit granum: si credere dignum est;
Quod latitans fracto fuerit sub pane repertum,
Nec non ossa iuuant septis inuenta domorum,
Conuenit hæc tereti pendentia subdere collo,
Multaq; præterea uerborum monstra silebo,
Nam febrem uario depelli carmine posse
Vana superstitio credit, tremulæq; parentes.

Febris quotti-diana.



VOTTIDIANAE.) Febris quottidiana simplex ac diligens dicitur, quę ex pituita putri per membra sentiētia pulsa ab ipsa natura con sistit: sic dicta, quod singulis diebus accedēs, de finit ad integritatem. Incipit autem ex frigore partiū extremarum, atq; horrore potius, non rigore, difficulter calor accēditur, longumq; obtinet incrementū in ipsum consistendi uigorem, quoniam humor ipse ex quo consistit, frigidus atq; humidus est temperamento ac glutinosus cōditione. Itaq; difficulter accenditur ac tarde meat sæpe in ipsis meatibus detentus. Collidit interdū grauatq; uires: autor Galenus. *Continuis.*) Hoc est, singulis, nullo ut in alijs intermedio quiescente & intermittente. *Certas horas.*) Non integros dies, sed dierum solum partes, ut horas aliquot certas quibus definit & reditū facit. *Morbus.*) Scilicet febris. *Discriminat.*) Discernit & partitur. *Triticeum.*) Quantum fidei sit tribuendū huic medicamento indicat autor cum ait, Si credere dignum est. Quasi uelit dicere: Quamuis quottidianę febri medicina hęc mederi dicatur, id tamen à ueri fide longe abesse uidetur. *Nec non ossa.*) Remedium hoc eandem fidem meretur, quam prius iam positum. *Septis domorum.*) Hoc est intra domum ipsam & circa parietes ipsos domus. *Hæc.*) Scilicet duo iam dicta medicamēta de tritico & ossibus. *Tereti.*) Gracili & rotundo. Teres dicitur quod rotundum est & oblongum. *Pendentia.*) Suspensa & alligata. *Subdere.*) Supponere & substernere. *Verborum monstra.*) Hoc est, carmina & incantamenta quæ uerbis fiunt peregrinis maxime & fictis: quæ in rerum natura nil aliud sunt quàm monstra, deliramenta & uanitates meræ. *Carmine.*) Carmen aliquando accipitur pro poëmate & uersibus certo pedū numero constrictis, ut supra in principio libri, Phœbe salutiferum quod pangimus adsere carmen. Aliquando uero pro incantatione ponitur, ut hic. An autem ualeant aliquid incantamenta, quęstio est: & ualere nōnunquam uidemus,

Tritici granū sub pane fracto

Ossa intra domum reperta.

Teres.

Verborum monstra.

Carmen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

uidemus: quanquam illa, ceu ueritati dissona & falsa, à Christiana fide reiecta sint & prohibita. *Vana.*) Inanis, inutilis, absurda & falsa. *Superstitio.*) Superstitio generaliter pro omni inani obseruatione accipitur. Specialiter tamen, ut tradit Lucretius, dicit superstitio quod sit superstantium rerũ, id est, cælestium & diuinarũ quę super nos stant, inanis & superfluus timor. Estq; alia & separata à religione. Vnde Cicero de natura deorum libro 2. Non solum philosophi, ait, uerum etiam maiores nostri superstitionem à religione separauerunt. Nã qui totos dies precabantur & immolabãt ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati. Et idem libro 1. Atheorũ sententiæ, inquit, non modo superstitionem tollunt in qua inest timor inanis deorum, sed etiam religionẽ quæ deorum cultu pio continetur. *Tremulæ parentes.*) Mulieres uetulæ & superstitiosæ, inq; uera fide nutantes trementesq; & de medicinis reliquis naturę munere nobis è terra procreatis dubitantes & diffidentes. Suntq; mulierculæ & præcipue aniles plus hac superstitionum peste quàm uiri infectæ.

Superstitio.

Religio.

HEMITRITAEO DEPELLENDO.

CAPVT LI.

MORtiferum magis est quod Græcis hemitritæũ
Vulgatur uerbis, hoc nostra dicere lingua
Non potuere ulli, puto, nec uoluere parentes.



HEMITRITAEO.) Febri semitertianæ, sic dictæ, quod totius duarum ex quibus componitur febrium naturæ medietatem alteram habet: quemadmodum Hemionus, id est mulus,

Hemitritæus.

Febris semitertiana duplex.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

asini & equi medietatem, & Semideus hominis ac dei me dietatem habens, ab altero eorum tantum modo dicitur. Est autem duplex semitertianæ febris genus. Vnum quidem eius quæ ex tertiana intermittēte et quottidiana con tinua componitur: & talis uel habet flauā bilem exuperantiorem, proindeq; flauæ bilis accidentia fortiora: uel hanc pauciorem, pituitam uero maiorem, & ideo quottidianæ continuæ affectiones etiam firmiores habet: uel ambos humores æquales, qualis est diligēs semitertiana, qualem Hippocrates indicat libro epidemiarum primo hijs uerbis: Mala uero hæc plerisq; fiebant. Febres horrificæ, continuæ, acutæ, in totum minime intermittentes: modus autem hemitritæos siue semitertianæ erat, diem quidem unum siue accessionem habens leniorem, altero autem grauius affligens, atq; ad acutiorem dispositionem increscens. Horrificas autem uocat, non simpliciter incipientes cum horrore, quod innumeris febribus accidit, sed in quibus parte plurima accessionis horror præhendit, altera die in qua simul afficiunt tertiana & quottidiana continua: altera enim dies quottidianam tantūmodo habet. Horror autem in medio amborum existit, rigoris scilicet & frigoris. Alterū uero semitertianæ febris genus est eius quæ ex tertiana continua & quottidiana intermittente componitur, ex cuius humorum exuperantia aut æqualitate, accidentia quoq; intenduntur aut æqualiter se habent, ut in priore dictum iam est. Cæterum quæ ex ambabus continuis aut ambabus intermittentibus fiūt, semitertianæ esse non possunt. Hæc & plura Galenus in de differentijs febrium libro secundo. *Mortiferum magis.*) Hoc est, dictis iam febribus perniciosior est & magis letalis hemitritæus, quoniam plerunq; frequentiores, ut Celsus lib. 3. ait, accessiones decessionesq; habet: quare etiam magna cura opus est, ne fallat. Præterea priores febres simplices sunt, hæc uero ex dictis aliquot diuersarum naturarum composita. Liquet autem simplicem morbum

Febris horrifica.

Horror.

simplici

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

simplici indigentem medicina, curationis esse leuioris, & ob id etiam minus noxium letalemúe: compositum autem ex diuersis & præsertim contrarijs, ob diuersarum et contrariarum rerum administrandarum necessitatem, curæ esse difficilioris magisq́ mortiferum. Nam ubi diuersæ & contrariæ similiter concurrunt causæ auxilio indigentes, caute prospiciendum erit ne uni auxiliando alteri incrementum addamus. *Quod.*) Febrium genus. *Hemitritæum.*) Semitertianum. Nam ἡμὶ Græce, Latine semis est. τριταῖον uero tertianũ. *Vulgatur.*) Vulgo et ab omnibus ita appellat. *Nostra.*) Hoc est Latina. *Puto.*) Correctio est prioris quod non potuerint, potuissent enim æque ut nos si uoluissent. Sed quoniam in usu (forte quia tunc recẽs aut rarior & ob id etiam minus cognitus morbus) non erat quod hemitritæi nomen ipsis repræsentaret, id idem etiam de nouo formare noluerunt, quod tamen licite etiam uti nos facere potuissent si modo uoluissent, quare subiungit, Nec uoluere. *Parentes.*) Maiores nostri & prisci seculi homines. ἡμί. τριταῖον.

Inscribis chartæ quod dicitur Abracatabra
Sæpius & subter repetis, sed detrahe summam
Et magis atq́ magis desint elementa figuris,
Singula quæ semper rapies & cætera figes,
Donec in angustum redigatur litera conum:
Hijs lino nexis collum redimire memento.
Nonnulli memorant adipem prodesse leonis.

Inscribis chartæ quod &c.) Quãuis superstitiosum & à Christiana fide inhibitum sit hoc cum sui similibus medicamentum, uidemus tamen nonnunquam optatum salutis effectum inde cõsequi. Scimusq́ nos præsenti inscriptione collo febricitãtis appensa, eundem à febre liberatum. Inscriptio autem quam autor nos docet, talis est, ut primo in prima linea scribatur hoc nomen Abracatabra, deinde eidem in alia idem subscribatur & prioris ultima li-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

tera omittatur: et hoc toties fiat donec ad primam & unicam literam deueniatur. Et talis scriptura collo suspendatur in lino ligata, & tot diebus portetur quot sunt lineæ, deinde remoueatur. Nam à febre tunc liberatus est. Inscriptionis autem forma talis est.

Abracatabra. *Abracatabra.*) Peregrina & ficta est dictio, nihil significãs: nisi forte aut Hebraica aut Arabica fuerit. Magi siquidem & incantatores & reliquũ superstitiosorum hominum genus, quo magis miraretur uulgus, potissimũ Hebraicis aut Arabicis & quã possunt peregrinis utuntur uerbis. *Subter repetis.*) Subscribẽdo reiteras. *Sed.*) Docet nunc quomodo uerbũ hoc scribendum sit. *Detrahe summã.*)

Abracatabra
Abracatabr
Abracatab
Abracata
Abracat
Abraca
Abrac
Abra
Abr
Ab
A.

Hoc est, in unaquaq; linea prioris præcedentis ultima litera omittatur. *Elementa.*) Literæ. *Figuris.*) Formis & lineis. *In angustum conum.*) Ad fastigium & literam unicam. Sic enim coni formam referet. *Hijs.*) Scilicet in charta & papyro sic scriptis. *Lino nexis.*) Filo seu panno lineo ligatis. *Redimire.*) Ornare, circundare et appendere.

Coralium atq; crocum corio connectito felis,
Nec dubites illis uirides miscere smaragdos,
Talia languentis conducent uincula collo,
Letalesq; abigent miranda potentia morbos.

Coralium. *Coralium.*) Coralium notum est, olim magno in honore habitum apud gentes aliquas. Nam, ut libro 32. cap. 2. scribit Plinius, quantum apud nos Indicis margaritis precium est, tãtum apud Indos in coralio. Nanq; ista persuasione gentium constant. Gignitur in mari forma fruticis, unde quidam lithodendron, id est lapideam arborẽ, uocant. Quod quandiu sub aqua fuerit, molle est tactu: exemptum uero ab aëre ueluti candens ferrum aqua mer-

sum

ſum confeſtim duratur & lapideſcit. Tria eius genera. Rubens, cãdidum, et nigricans, quod antipathes dicitur & ramoſius eſt. Sed probatiſſimum quod quàm maxime rubet & quàm ramoſiſſimum eſt, fragile item, totaq́ concretione ſua æquale, & ut lib. 5. Dioſcorides prodit, quod terram, muſcum, algamq́ ſimul olet. Præterea quod non eſt ſcabrum aut lapidoſum, uel rurſus inane aut concauum. Ramuli ſunt quales arborum uiſimus ad ſemipedem frequentius longos: rarumq́ eſt pedaneos deprehendi, uti cap. 7. tradit Solinus. Excuduntur ex illis multa geſtamina: habet enim materies hæc, ut Zoroaſtes ait, quandam poteſtatem, ac propterea quicquid inde fit habetur inter ſalutaria. Maxime autem cordis eſt confortatiuum. *Crocum.*) Quod Græci & Latini crocum, id Arabes et Germani *ſafran* dicunt, cordis etiam maximum confortatiuum, de quo Dioſcorides libro primo. *Felis.*) Felis animal eſt, quod ſæpius nobiſcum in domibus uerſatur, quoq́ ad murium uenatum utimur, Græci ἄιλουρον, uulgus catum appellat. *Virides ſmaragdos.*) Smaragdus lapis eſt precioſus, colore uiridis. Cuius plura ſunt genera: de quibus copioſe Plinius libro ultimo. Hic lapis uel per ſe collo ſuſpenſus hemitritæum curat, teſte Alberto Magno. *Conducent.*) Proderunt. *Collo.*) Scilicet alligata & appenſa.

Crocum. *Zafran.* *Felis.* *Smaragdus.*

FRACTVRIS ET LVXIS SANANDIS.

CAPVT LII.

INFANDVM dictu cunctis procul abſit amicis
Sed fortuna potens omen conuertat in hoſtes,
Vis indigna nouo ſi ſparſerit oſſa fragore,
Conueniet cerebrum blandi canis addere fractis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Lintea deinde superq; inductas nectere lanas,
Sępius & succos conspergere pinguis oliui,
Bis septem credunt coalescere cuncta diebus.
Aut ueteri Baccho capræ fimus inde petulcæ,
Hoc aperit clausum, trahit hærens, sanat apertum.

Fractura. RACTVRIS.) Fractura est solutio continuitatis in osse, cuius uariæ sunt differentiæ: de quibus & curatione earum plura Galenus therapeutices libr. 6. *Luxis.*) Luxa siue luxata dicuntur membra soluta & loco sedibusq; suis mota. Luxa. Quod bifariam accidit, autore Celso: aut enim quæ iuncta sunt inter se dehiscunt et alterum ab altero recedit: aut articuli suis sedibus excidunt. Est autem semper ea parte tumor in qua os prorumpit, & in ea sinus à qua recessit. *Infandum dictu omen.*) Malum & omne aduersum magnum et quod uix fari quis possit. Omen auspiciũ dicitur, nunc prosperum, nunc aduersum, ut hoc loco: quare illi adiungit, Infandum dictu. Verg. Ignauus bubo dirum mortalibus omen. Omen. *Fortuna.*) Fortuna accidentium rerum subitus & inopinatus est euentus. Est et dea ueteribus credita uariis casibus humana deludens, & ideo cæca existimata. Iuuenalis, Te facimus fortuna deam, cœloq; locamus. Ab hac omnia & fœlicia & infœlicia tribui, uulgus ferè arbitratur. Fortuna. *Potens.*) Fortis & ualida, ima summis mutare ualens. Vnde Horatius carminum libr. 1. O diua gratum quę regis Antium Præsens uel imo tollere de gradu Mortale corpus, uel superbos Vertere funeribus triumphos. *Nouo fragore.*) Fractura recenti quæ impetuose & cum sonitu accidit. Ossa enim dum franguntur fragorem, qui sonitus est, solent edere. Fragor. *Sparserit.*) Dispersit, soluerit, & frangendo separauerit. *Cerebrum canis.*) Idem testatur Plinius libro 30. cap. 3. dicens, Ossibus fractis caninum cerebrum linteolo illito superpositis lanis, quæ deinde suffundantur, ferè quatuordecim diebus solidat. Cerebrum canis.

Et

Et idem quoq; comprobat Sextus Platonicus, hijs uerbis: Cerebrum canis illitum & in lana impositum, & sub inde suffundatur fracturis, diebus 14. solidat. Fractura autem debet solida alligatione uti. *Blandi.*) Mitis & fidelis. Nam, ut Plin. lib. 8. scribit, fidelissimi ante omnia sunt homini canes. *Addere.*) Imponere. *Lanas.*) Scilicet succidas, quæ ex oleo contusis fractisq; ossibus utiliter imponuntur, autore Dioscoride. *Succos ping. ol.*) Hoc est oleo oliuarum quod prępingue est. *Capræ fimus.*) Plinius libro 28. cap. 10. Costis fractis laudatur unice caprinum fimum ex uino uetere, aperit, extrahit, persanat. *Inde.*) Impone. *Petulcæ.*) Capra petulca dicitur à petẽdo quod in alia loca penetrando iniuriam faciat. *Hoc.*) Scilicet dictum iam medicamentum, cuius uires & facultates autor subiungit. Vbi sciendum est ossa nonnunquam tanta uiolentia et impetu frangi, ut ab inuicem dispergantur & proprio loco restitui non possint, quare sui ablationem & extractionem ex carne cui inhærent, expostulant. Verum quia in tali casu uulnus per quod extrahi possint non semper adest, sed integra est caro & cutis, tunc eas aperire & uulnus facere oportet per quod extrahantur. Et quia tum uulneratio tum extractio nunc ferro nunc medicamento fieri solet, ferrum autem plurimi abhorreant, autor medicamentum nos docet quod utranq; & aperiendi & extrahendi & ultra hæc persanandi facultatem habet.

Lana succida.

Fimus capræ.

Capra petulca.

Sin uero caput infestus colliserit ictus
Ex oleo necti uestis debebit arachnes,
Nesciet hæc illinc nisi cum sanarit abire.
Quod si luxa suo decedunt membra tenore,
Vrere fœmineos crines ac iungere seuum
Congruit, ac tali medicamine mota ligare.
Aut malum ex pingui tritum apposuisse iuuabit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Et si conclusum seruabit tibia uulnus,
Stercus ouis placidę iunges, adipesq́; uetustos,
Pandere quæ poterunt ulcus, patuloq́; mederi.

Tela aranei. *Sin uero cap.*) Docet nũc mederi fracturæ cranei & totius capitis uulneribus, idq́; per telæ arenei ex oleo impositione, quod & Plinius lib. 29. cap. ultimo testatur, nisi quod dictis acetũ miscet dicens: Fracto capiti aranei tela ex oleo & aceto imposita non nisi uulnere sanato abscedit. *Vestis arachnes.*) Hoc est, tela arenei siue araneæ. Vtrunq; enim Araneus. dicitur: quamuis areneus proprie dicatur animal ipsum, Aranea. aranea uero tela. Poëtæ tamẽ areneam etiam pro animali accipiunt, cuius prima diuisione duplex est genus. Sunt Phalangia. enim noxij quidam quos tum Gręci tum Latini phalangia dicunt: quorum itidem plures sunt species, de quibus Aristoteles, Plin. & Nicãder plura. Sunt alij innoxij, quos Arachne. Græci ἀράχνας, Latini araneos dicunt: de quibus Dioscorides libro 2, ubi duo genera eorũ facit. Vnum quod holcon & lycõ, id est lupum, uocat: alterũ uero ait esse quod candidas tenues & densas telas operetur. Et tales intelligit autor per uestem arachnes. Alludit aũt ad fabulã Arachnes puellæ Lydiæ, quæ, uti fabulatur Ouid. Metamorphoseon libro 6. lanificij peritissima, cum se temere præposuisset Mineruæ, conuersa est in araneũ. *Hæc.*) Tela aranei. *Illinc.*) A loco uulnerato cui imposita est. *Suo te-* Cinis capillorum muliebriũ ex fimo pecudis. *nore.*) Ex ordine, cõtinuitate & loco suo proprio. *Vrere fœmineos crines.*) Plinius libr. 30. capite 3. Articulis luxatis præsentaneum est & seuũ pecudis cum cinere ex capillo mulierum. *Seuum.*) Scilicet pecudis. *Malum.*) Pomum. Pomum cum axungia. *Pingui.*) Id est pinguedine, adipe, & axungia porcina: quę, ut Plinius scribit, rupta & conuulsa & spasmata & luxata sanat. *Conclusum.*) Clausum & non apertũ. *Pandere.*) Aperire. *Patulo.*) Aperto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

NERVIS INCISIS ET DOLENTIBVS ATQVE contractis.

CAPVT LIII.

HAVD quisquã credet dissectos uulnere neruos
Ad solitum rursus reuocari posse uigorem,
Sed prodest terræ lumbricos indere tritos,
Quis uetus & ranæ sociari axungia debet.



ERVIS.) Nerui quid sint & unde oriantur, docet nos Auicēna prima primi dicens: Nerui sunt corpora à cerebro orta, aut à nucha, alba, ad flectendũ mollia, & ad separandum dura: ad hoc creati ut per eos mēbra sensum habeant & motũ. Et Gal. de locis affectis lib. 3. ait, Atqui ex anatomice didicimus, neruos oēs à cerebro primariũ sumere initiũ. Neq; simpliciter initium, sed primarium, spinalis medullæ gratia dixi: quamuis enim permulti ex ea nerui prodire uideantur, uim tamen omnem quam habet, cerebrum ipsi suppetit. Et de iuuamentis lib. 9. Caput, & sensus & uoluntarij motus fontem, ac neruorum tum mollium tum durorum originem esse tradit. Nec obstat quod aliter de hoc statuat Aristoteles, cui & Auerrois Colliget lib. 2. & Auicenna de animalibus tertio adstipulatur. Sed de hijs non plura. Quod reliquum est, Nerui aliquando cæsim uulnerantur & dolent, aliquando uero citra uulnerationem dolore afficiuntur: & nonnunquam conuelluntur cõtrahunturq;, cum scilicet rigore quodam colliguntur, ita ut extendi & plicari moueriq; non possint. Et hijs neruorum passionibus hoc capite mederi docet Serenus. *Nerui quid, & unde eorum origo.*

Haud quisquam credet.) Difficilem enim curationem habēt, adeò ut creditu difficile sit, ea posse sanari. Vnde inter uulnera mala & periculosa, queq; ad sanitatē uix perueniant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Celſus libro 5. ea quoq; ponit quæ neruos lędunt. *Diſſectos uulnere.*) Hoc eſt inciſos & cæſim uulneratos. *Solutum uigorem.*) Firmitatem, robur & ſtatum priſtinum. *Reuocari.*) Reduci & reſtitui. *Terræ lumbricos.*) Vermes terrenos. Neruis & membris ipſis neruoſis cæſis & quoquo modo male affectis, dolentibusq; mederi lumbricos & ranas, aliorum etiam comprobat autoritas. De lumbricis enim ſic prodit Dioſcorides, Glutinant præciſos neruos conciſi ſiue cõtriti & impoſiti uermes terreni. Quod & Galenus & Paulus Aegineta quoq; teſtatur. Plinius item libro 30. capite 3. Vulnera, inquit, recentia conglutinant uermes terreni, adeo ut neruos quoq; abſciſos illitis ſolidari infra ſeptimum diem Democritus perſuaſerit. Itaq; in melle ſeruandos cenſet. Et idẽ eodem capite, Terreni uermis cinis, ait, cum melle illitus etiã dolores tollit. Et eiuſdem libri cap. 4. Vermes terreni illiti in ceruices & ſcapulas, ne nerui doleant, pręſtant. Porrò quod ad ranas attinet, proſunt illæ, ut Dioſcorides tradit, contra ueteres neruorum in ceruice, quos tenontas Græci dicunt, abſceſſus. Et Plinius libro 32. capite 5. In articulis, inquit, morborum impetus ſedant ranæ ſubinde recentes impoſitæ: quas quidam diſſectas iubent imponi. *Quis.*) Quibus terrę lumbricis. *Vetus axungia ranæ.*) Adeps & pingue do ranæ uetus, ut quæ efficacior ſit recenti. Idem autẽ poteſt & tota ſubſtantia eius, & in oleo decoctarum ius.

Vermes terreni

Adeps ranarũ.

Si uero occultus neruos dolor urit inertes,
Vulturis exciſos adipes rutamq; remitte,
Aut ceram, & tali recreabis languida fotu.
Conuenit & pelagi calidis perfundier undis.
Carica uel betis lento cum melle iugatur,
Aut Baccho madefacta Ceres cũ fronde cupreſſi,
Quo poteris fotu recreare rigentia membra.
Sin autem ſubito replicantur corpora morbo
Contractos reuocat neruos caro ſumpta columbę.

Occultus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Occultus.) Abſconditus & cuius cauſa latet. *Vrit.*) Dolore quaſi urente affligit. *Inertes.*) Deſides & languentes. *Vulturis adipes.*) Vulturis medicinam in hoc caſu, licet aliter, atteſtatur etiam Plinius libro 30. cap. 3. dicens, Adeps uulturinus cum uentre areſactus contritusq́ cum adipe ſuillo inueterato, neruorum dolores tollit. Et Sextus Platonicus, Vulturis adeps, inquit, et uentriculus cum axungia contritus & perunctus, omnem neruorum dolorem tollit & articulorum emẽdat. *Rutam.*) Scilicet puluerem ſiue ſuccum eius. Rutam contra articulorum dolores uel ex melle emplaſtri modo impoſitam prodeſſe tradit Dioſcorides, Plinius uero dolẽtibus neruis illam tritam cum lana & adipe aliquos imponere tradit libro 29. capite 2. *Remitte.*) Diſſolue & permiſce. *Pelagi calidis undis.*) Aqua marina calida, de qua ſic Plinius: Medendi modus item et in marinis erit, quę calefaciunt ad neruorum dolores ferruminata & fracturas, oſſaq́ contuſa, idem ad corpora ſiccanda. *Carica uel betis.*) Hoc eſt quod contra articularem morbum etiam docuit medicamentum. Si uero articulos tabes inimica per omnes Hæſerit, ex fico betas ac melle ligabis. Vnde & neruis etiã prodeſt. Carica autem ficus eſt ſiccata. *Baccho mad. Ceres &c.*) Hoc medicamine prius etiam contra podagram uti docuit dicens: Aut ſi corruptus perſederit altius humor, Trita cupreſſus ibi Baccho iungatur acerbo, Panibus & teneris, cohibet ſuperaddita quæſtus. Ponit autem quemadmodum Bacchum pro uino, ita & Cererem pro frumento & pane. Dicta eſt autem Ceres, ut aliqui uolũt, à fructibus gerendis, quaſi geres. Seu, ut alij, à creo quod frugũ creatrix ſit & inuentrix. Ipſa enim, ut Plinius libro 7. cap. 56. ſcribit, frumenta inuenit, cum antea glande ueſcerentur. Eadem molere & conficere in Attica, Italia & Sicilia, ob id dea iudicata. Græce δημήτηρ, quaſi γημήτηρ, id eſt terra mater, quod omnium ſit mater: ſiue, ut Plato ait, quod δίδου σα μήτηρ, hoc eſt tribuens mater, dicitur. Ex terra enim

Adeps uulturis. *Ruta.* *Aqua marina.* *Ficus & beta ex melle.* *Carica.* *Cupreſſus et panis ex uino.* *Ceres.* Δημήτηρ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

frumenta nobis dantur & nascuntur. Vnde Galenus libro 2. de alimentis demetria semina uocat Cerealia & frumentaria. Cæterum medicamenti huius Plinius quoque meminit lib. 24. cap. 5. hijs uerbis: Cupressi folia trita cum duabus partibus panis mollis & è uino Amineo subacta, pedum ac neruorum dolores sanant. *Rigentia.*) Indurata & dolore affecta. *Replicantur.*) Colliguntur, conuelluntur & contrahuntur. *Caro columbæ.*) Plinius libro 30. cap. 3. In contractione neruorum caro palumbina in cibis prodest & inueterata.

Demetria semina. *Caro columbæ.*

AEGRIS SOMNO ASCISCENDO.

CAPVT LIIII.

NON solum miseros teterrima febris adurit,
Sed super optato pergit uiduare sopore,
Ne prosint placidi cælestia munera somni.
Charta igitur uarijs quam pinxit litera uerbis
Vritur, inde cinis calido potatur in amni.
Proderit & magnum capiti substernere fulcrum,
Prodest & lymphis mixtam potare cupressum.



AEGRIS.) Scilicet insomnibus & uigiliarum excessu uexatis, quibus somnũ inducere & uigilias sopire docet hoc capite Serenus. Est autem uigilia, ut apud Aristotelem habetur, sensuum solutio, cum liberam suis functionibus intendere ualẽt operam. Somnus uero ipsorum ligatio, defectus & impotentia ob excessum uigilandi. Verum uigiliæ excedentes fiunt aliquando quidem citra ægritudinem, ut in senibus ob ariditatem: aliquando uero ex ægritudine propter primæ partis sensitiuæ calorem, sed uel ex sola in-

Vigilia. *Somnus.* *Vigiliæ excedentes.*

tem-

temperatura, uel ex humoris biliosi abundantia, ut in febribus & alijs biliosis calidisq; morbis, ut tradit Galenus. Et de hijs loquitur Hippocrates libro secundo aphorismorum, ubi sic pronunciat: Somnus atq; uigilia utraque si modum excesserint, malum. Quare uigiliarum excessui occurrere nunc docet Serenus. *Asciscendo.*) Prouocando & conciliando. *Non solum mis. &c.*) Ponit duo febrium mala, uidelicet calorem adurentem & uigilias, quæ etiam inter mala uniuersi corporis sunt plerisq;, ut libr. 26. cap. 12. ait Plinius. *Super optato sopore.*) Plurimum expetito & desiderato somno, qui salubris est & non inexpugnabilis, ut Celsus uocat. Nam sopor proprie nõ simplex somnus est, sed malus & noxius: cuius iuxta causarũ uarietatem plura sunt genera: inter quæ est Coma, lethargus, caros, & alia quorum omnium commune quoddam consequens est cataphora, id est in somnum delatio. *Pergit.*) Procedit & nititur. *Viduare.*) Priuare. *Placidi somni.*) Quietis mitis & gratæ ac placidæ, quod ea quæ quieta sunt omnibus placent. *Cœlestia munera.*) Dona diuina & deorum munere concessa. Somnus enim & quietem et quietis largitorem deum significat. Vnde Ouidius Metamorphoseon libro 11. Somne quies rerum placidissime somne deorum, Pax animi, quem cura fugit, qui fessa diurnis Membra ministerijs mulces, reparasq; labori. Est autem omni animali necessarius somnus, si naturam suam sequi saluariq; debeat, ut inquit Aristoteles. *Charta.*) Quid charta, quid papyrus, dictum est in principio libri. Vim eius sed ex uino sumptæ & adustæ contra uigilias Plinius etiam testatur libr. 24. cap. 11. cum ait: Charta quæ fit ex papyro cremata, inter caustica est. Cinis eius ex uino potus somnum facit. *Amni.*) Aqua. *Fulcrum.*) Puluinar. Fulcra à fulciendo dicta sunt, summæ lectorum partes quibus thori sustinentur. *Cupressum.*) Et hoc uirtute sua refrigerante & adstringente. Cum enim ex calidis humoribus cerebrum scandentibus fiant uigiliæ, cupressus

Sopor. *Cataphora.* *Somnus deus.* *Cinis chartæ.* *Fulcrum.* *Cupressus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

illos refrigerando & ne sursum ferantur prohibendo, uigilijs etiam obsistit somnumq́ conciliat.

Palladijs itidem succis quos flore rosarum
Iungis, & immisces madidum tritumq́ papauer,
Quo lita frons facilem præbebit nocte quietem.
Necnon mandragoræ gustu sopor additur altus.
Dilue præterea glomeramina quæ gerit intus
Clausa aries inter geminæ coxendicis umbras,
Inde soporati ducentur gutture potus.

Oleum rosaceum. *Palladijs succ. quos flo. &c.*) Oleum rosaceum intelligit quod ratione rosarum refrigerat & adstringit, somniferumq́ existit. Nam, ut Plinius tradit, succi rosarum usus in febre per se uel cum aceto ad somnos conciliandos utilis est, flos enim somnum facit. Per Palladios autẽ succos oleum intelligitur oliuarum. Palladi enim deę oliua, cuius inuentrix dicitur, consecrata est. *Papauer.*) Quo efficacius fiat medicamentum, iubet rosaceo oleo miscere papauer: quod, ut Celsus ait, somno aptum est. Vnde Serenus supra capite primo uocat, amica papauera somno. Et Dioscorides, Nigri papaueris semen, ait, contra nimias uigilias, & ubi sopire opus fuerit emplastri modo frõti & temporibus ex aqua imponitur. *Quietem.*) Somnum facilem. *Mandragoræ.*) Mandragoræ tum in cibo & potu sumptæ, tum naribus olfatu admotę, uim soporiferam testantur omnes: possuntq́ id tum poma tum radix, ceteræq́ partes eius, & earundem succus & liquor. Verum largior illorum usus ignaros obmutescere facit: quare caute utendum, & si necessitas uti coget & eo accersendus somnus erit, satius fuerit, & satis etiam ob id odore tantum somnum quæsisse, & ita quidem si fieri poterit, non naribus admouendo, sed ut quidam faciunt, mala puluino subijciendo, habita scilicet moderatione illa maxime necessaria, ne quem obdormire uolumus, excitare

[Margin notes: Oleum rosaceum. — Succus Palladius. — Papauer. — Mandragora. — Canon.]

postea

postea non possimus: cuius rei & Celsus fideliter nos admonet libro 3. *Sopor altus.*) Somnus profundus: & si copiosior fit usus, letalis. Differt sopor à somno: quod hic salubris fit, ille uero malus & noxius: quod & Plinius nobis innuit cum ait, Curandum ne somnus sopor fiat. *Glomeramina.*) Intelligit testiculos arietis, qui globosi tanquam glomeres inter fœmina dependent. Siue sordes eas quæ eò loci colliguntur & coaceruantur. *Intus.*) Intra scrotum siue oscheon & ambientem testes tunicam. *Inter coxendicis umbras.*) In abscondito & tanquam in umbra latentes. *Soporati.*) Somnum secum adferentes. Soporatus enim dicitur, cui ueluti irrigatus est somnus. *Gutture.*) Per guttur intelligit spacium illud in quo sunt meatus anhelitus & cibi, siue gulam & œsophagum, id est fistulam cibalem & uiam eorum quæ deuorantur, de quibus dictum est supra capite 16.

Somnus. *Sopor.* *Testes arietis.* *Soporatus.* *Guttur.*

LETHARGIAE EXPELLENDAE.

CAPVT LV.

DIXIMVS hanc sortem miseris mortalibus esse,
Vt sæpe inter se mala sint contraria morbi.
Deniq; nonnunquã somno sic membra grauantur,
Vt coniungatur letho sopor altus acerbo.

LETHARGIAE.) Lethargia siue Lethargus capitis morbus est phrenitidi contrarius, ut inquit Galenus. Nã cataphora est & in somnum delatio grauis & inexcitabilis, cui & febris accedit. Vnde Paulus Aegineta ait, Accidit autem lethargicis febris lenta & ignaua non ualde crucians cum cataphora. Et Celsus post cardiacum morbũ, quem phre *Lethargus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

nitidi contrarium dixerat, de lethargo ſic ſcribit: Alter quoq; morbus eſt aliter phrenetico contrarius. In illo difficilis ſomnus, prompta ad omnem audaciam mens eſt: at in hoc marcor & inexpungnabilis penè dormiendi neceſſitas, lethargum Gręci nominant: atq; id quoq; genus acutum eſt, & niſi ſuccurritur, celeriter iugulat. Huius autem cauſa eſt pituita & frigidus humor, qui frigore & humiditate ſua in ſomnum cogit: maliq́; locus caput eſt. Vnde Galenus in expoſitione aphoriſmi libri 2. qui eſt, Somnus & uigilia, utraq; ſi modum exceſſerint, malum: poſt deſcriptionem ſomni grauis qui difficilem habet expergefactionem, ſic ait: Fit autem huiuſcemodi ſomnus primo refrigerato ſenſitiuo, hoc eſt cerebro ipſo: quæ refrigeratio cum fortis eſt, humiditati mixta, lethargicas facit paſſiones: cum ſiccitate uero catalepſes Gręce uocatas, Latine uero occupationes ſiue depræhenſiones dixeris. Et quia principalis actio lęditur, febris quoq; accedit lethargo. Dictus eſt autem lethargus, ut illud etiã addam, tum obliuionis tum deſidiæ argumento: quaſi obliuioſa deſidia, ſeu deſidioſa obliuio. ληθὴ lethe enim obliuio eſt. ἀργὸς argos uero iners dicitur & deſes. Latini aliquando ueternum uocant, utrunq; etiam aut alterutrum indicantes, deſidiam ſcilicet torporemq́; aut grauiorem ſomnũ & obliuionem. Punici ſubethicum morbum dicunt. Ab hoc non multum diſtat alter quem Græci κάρον caron uocant: ex eadem enim materia ſcilicet pituita uterq; cõſtat tum lethargus tum caros. In illo tamen differunt, quod in caro ſomnus præcedit & febris uehementior, & quod ipſe aliis aliquot affectibus ſuperuenit, ceu febribus, comitialibus & aliis. In lethargo uero ſomnus ſequitur & febris ignauior, propriamq́; habet cauſam. Hos affectus Plinius aliquando ueternũ, ſępius ſoporem appellat, prę ſertim cũ ait: Curandum ne ſomnus ſopor fiat: quaſi ſalubris ſit ſomnus & eius quies, ſopor uero morboſus & maleficus. Quare etiam Serenus, ut maleficii nota magis pateret,

Cauſa lethargi.

Somnus grauis.

Catalepſis.

Letargus unde dictus ληθή. ἀργός. Veternus.

Subethicus morbus. Caros.

Sopor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

teret, ſoporem uocauit altum, id eſt profundum, grauem & qui malo eſt: & quo adhuc periculoſiorem oſtenderet, addidit etiam, Vt coniungatur letho acerbo. Vnde etiam Vergilius Eneidos libro 6. ait, Tum conſanguineus lethi ſopor, & mala mentis Gaudia. *Diximus.*) Scilicet ſuperius capite 25. *Sortem.*) Euentum. *Letho.*) Morti. Lethum aliqui dictum uolunt à Græca dictione λήθη, quæ obliuionem ſignificat, eo quod morientes omniũ obliuione capiantur, & tunc cum aſpiratione ſcribitur lethum. Alij uero à Leo deriuatum uolunt, quo ueteres uſi ſunt pro deleo, quoniã mors omnia delet, & tunc ſine aſpiratione ſcribitur Letum. *Lethum.* *Leo.*

Ergo leui flamma torrentur cornua capræ,
Quo nidore grauem depellent lumina ſomnum.
Aut Veneris labrum, quæ dicitur herba, bibetur,
Quæ teritur prius & uino confuſa liqueſcit.
Conueniunt acidis euphorbia mixta fluentis,
Gramina uel rutæ gemina ſi nare trahantur.
Quidam dira iubent ſepteno cimice trito
Vt uitientur aquæ cyathusq; bibatur earum:
Hæc potiora putant quàm dulci morte perire.

Leui flamma) Igne paruo. *Torrentur.*) Vruntur ut fumum reddãt. *Cornua capræ.*) Et hoc propter fœdũ quem urendo mouent odorem, quo ad cerebrum per narium meatus delato, ægri excitantur. Vnde Celſus, Hos ęgros, inquit, quidam ſubinde excitare nituntur admotis hijs quę per ſternutamẽta euocantur, & his quæ odore fœdo mouent, qualis eſt pix cruda, lana ſuccida, piper, ueratrum, caſtoreum, acetum, allium, cepa, iuxta etiam galbanum incendunt, aut pilos, aut cornu ceruinũ, ſi nõ eſt, quodlibet aliud. Hæc enim cum conburuntur, odorem fœdũ mouent. *Nidore.*) Odore fœdo cornus caprini. Nidor proprie uniuſcuiuſq; rei aduſtæ dicitur odor. *Lumina.*) *Cornu capræ.* *Nidor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Ignes quorum ardore & ustione cornu odorem reddit lethargicos excitantem. *Veneris labrum.*) Herbam hanc multi carduum magnum, Græci à siti dipsacon uocant. Herba est, ut Dioscorides illam pingit, aculeata, caulem habens excelsum, spinosum: folia lactucæ similia, oblonga & spinosa, quæ per medium dorsum ueluti bullas foris & intus spinosas habent, concauo qua se in geniculis coniungũt sinu, quo rores & pluuiæ aquæ continentur, unde & nomen inuenit. Habet & in summis singularum germinationum caulibus singula spinis echinata & oblonga capitula, quę cum aruerunt candido colore fiunt. Cur autem olim labrum Veneris dicta fuerit hæc herba, causam haud facile dixerim. Porrò labrum hic non ab oris parte quæ manifestam in homine significationẽ habet, sed à balneorũ uasis aquarijs, quibus ad lauanda corpora utebãtur, sic dictũ est: q̃d uel Græci indicãt, qui eandem herbam ἀφροδίτησ λουτρὸν uocãt. λουτρὸν autem ipsis aquarium uas est, quod labrũ Latinis dici nũc diximus. Sunt tamen non solum aquaria sic dicta uasa, sed olearia quoq; & uinaria, in quæ oleum è cortina & uinum è lacu transferuntur. *Confusa.*) Commixta. *Liquescit.*) Mollescit & resoluitur. *Acidis fluentis.*) Aceto. *Euphorbia.*) Euphorbium succus est herbæ nominis eiusdem: quam, ut Plinius scribit, in Mauritaniæ monte Atlante inuenit rex Iuba, appellauitq; euphorbiam medici sui nomine & fratris Ant. Musæ, qui diuum Augustum seruauit lactuca. Dioscorides ferulaceam arborem uocat, quæ acerrimo liquore plena est, quem ob nimium eius feruorem incolę timentes colligunt excipulis ex ouillis aut hedinis lotis uentriculis factis. Vis est illi excalfactoria atq; disijciens. Et quamuis lethargicos excitari labor sit, ut Plinius ait, hoc tamen præstat euphorbium (ut perhibent) ex aceto naribus tactis peucedani succo. Et Mesue, Euphorbium, inquit, est medicina bona lethargiæ & obliuioni. *Gramina.*) Folia. *Rutæ.*) Ad lethargicos suscitandos rutam tritam

Labrum Veneris. Carduus magnus. Dipsacos. Labrum. λουτρὸν. Euphorbiũ. Lib. 5. cap. 1. Lib. 25. cap. 7. Ruta.

tritam ex aceto fronti infundere iubet Apuleius. Aliqui ſuccum ex aceto lethargicis olfaciendum dederunt, ut libro 20. cap. 13. refert Plinius. *Nare trahantur.*) Id eſt, olfactentur, ſcilicet euphorbium aut ruta ex aceto, quod illis penetrandi uim addit. *Quidam.*) Medicamenti huius cimicum fidem & autoritatem in alios reijcit, quemadmodum & Plinius libro 29. cap. 4. dum ait: Lethargi tamen medicinæ cum argumento adhibent cimices, quoniam uincatur aſpidum ſomnifica uis, ſeptenos in cyatho aquę dantes, puerilibus annis quaternos. *Dira.*) Crudelia, abhominanda. *Potiora.*) Eligibiliora. *Dulci morte.*) Vocat mortem dulcem, quod lethargo oppreſſi citra dolorē ceu ſomno dulci & quiete ſopiti leniter animā exhalent.

COMITIALI MORBO.

CAPVT LVI.

EST ſubiti ſpecies morbi cui nomen ab illo eſt,
Quod fieri nobis ſuffragia iuſta recuſat:
Sæpe etenim membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.
Ipſe deus memorat dubiæ per tempora lunæ
Conceptum, talis quem ſæpe ruina profudit.


OMITIALI.) Morbus comitialis ſic dictus eſt, uti Serenus tradit, eo quod ſi quis illo correptus in comitijs concidiſſet, ſoluebantur comitia, quæ Romani populi ad ciuitatis res tractandas, ut magiſtratus creandos & leges ferendas, conuentus & coitiones erāt, & diuidebantur in Calata, curiata & centuriata, de quibus A. Gellius Atticarum noctium libro 15. cap. 27. & Feneſtella de magiſtratibus Romanorum capite ſeptimo. Et quia hij qui interlunio con

Comitialis morbus. *Comitia.* *Lunaticus morbus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

cepti aut nati ſunt, hoc morbo ferè corripiuntur: hinc etiam lunaticus eſt appellatus. Quoniam uero illo affecti, paroxiſmi & afflictionis tempore in terram ſubito concidunt, dictus eſt etiam caducus. Aliqui eũdem Herculeum uocant, eo quod Hercules huic morbo fuerit obnoxius, ſeu quod ut ille inuictus, ita hic nulla medicorum ope ſuperabilis ſit. Dicitur item propter magnitudinem & grauitatem ſuam (quoniam homo ſubito concidit & ex ore ſpumæ mouentur, ipſeq; morbus aut recens hominem conſumit, aut ad extremum uitæ ac mortis diem uſq; durat) ἱερὰ νόσος id eſt morbus ſacer, & ut Celſus ait, maior. Græci enim ἱερὸν quod nunc illis ſacrum ſignificat, antiquitus magnum & grande dicebant. Sic Homerus Iliados libro ις. ἱερὸν ἰχθύν, id eſt piſcem ſacrum. Vergilius, ſacram famem. Medici, ſacrum morbum & os ſacrum uocauerũt, eo quod grandia eſſent. Quamuis ſint aliqui qui non tam propter magnitudinem quàm quod dijs offerri ſolerent talia ἱερὰ, id eſt ſacra, dicta coniectent. Verum illorum opinionem qui morbum ſacrum ſeu diuinũ dictum contendunt, quod diuinitus immittatur, refellit Hippocrates libro proprio de morbo ſacro inſcripto: Apuleius in apologia ſeu defenſione prima ἱερὰν νοσὸν, id eſt ſacrum & diuinum morbum à Græcis nominatum putat, quod animi partem rationalem, quæ longe diuiniſſima eſt, uiolet. Hippocrates libr. de uulneribus capitis, puerilẽ etiam uocat, eo quod in pueris abundet & illos ſæpius infeſtet. Demum Græci hunc morbum, quoniam nerui eo contrahuntur, ἐπιληψίαν epilepſiam uocãt, hoc eſt correptionem & conuulſionem. Eſt enim, uti Galenus tradit, omnium corporis partium conuulſio, nõ quidem perpetua ut in emproſthotono & opiſthotono atq; tetano uidere eſt, ſed quæ ex temporum interuallis accidit. Conſiſtitq; affectus hic in ſupremis corporis partibus, cerebro uidelicet, fitq; ex frigido craſſo & uiſcido pituitæ humore, ſpiritus animalis in cerebri uentriculis contenti meatum ob

Morbus caducus, Herculeus, ſacer, maior.

ἱερὸν.

Morbus diuinus.

Morbus puerilis.

Epilepſia.

ſtruen

ſtruente: quamuis aliquando etiam ab atra bile fiat, ubi ſcilicet in meatibus uentriculorum cerebri retinetur ſiue is medius ſit ſiue poſtremus. Porrò morbus hic ſubito fit & ſoluitur confeſtim: & qui ſic laborat, neq; uidet, neque audit, neq; ullo ſenſu quicquam percipit, ac ne memoria quidem conſequi poteſt, quid factum ſit. Siquidem cum memoriæ uiribus, ratio quoque lęditur. Soletq; morbus hic, ut alij quidam, interdum ipſomet affecto, interdum alijs conſentiente cerebro euenire. Tribusq; continetur differētijs: quibus omnibus cōmune eſt quod cerebrum afficitur: uel conſiſtente in ipſo affectu, id quod pluribus epilepticis accidit: aut à uentriculi ore ad cerebrū per conſenſum aſcendente: aut, quod raro fit, cum à parte aliqua cui id forte fortuna accidit, incipit affectus, qui deinde ſentiente ægro ad cerebrum uſq; aſcendit. Sed de hijs copioſius Galenus in libris de affectorum locorum notitia, tertio, quarto & quinto. *Subiti.*) Quoniam homo ſubito concidit. *Nomen.*) Scilicet comitialis. *Suffragia.*) Suffragium aliquando auxilium ſignificat, aliquando uero, ut hic, uoces & ſententias quæ dicebantur in comitijs & in tabellis deſcribebantur, quibus unuſquiſque quem in magiſtratum eligi uolebat, declarabat, à quo & illa quoq; ſuffragia uocantur quæ ad idem declarandum clam in ciſtellam mittebantur, ceu lapilli, pilę, fabæ et ſimilia. *Iuſta.*) Quæ iuſto & ſtatuto tempore fiebant. *Atro.*) Funeſto. *Caducis.*) Labilibus, cadentibus. *Concilium populi.*) Comitia quæ uniuerſi populi conuentus erant, à ſimul itando ſic dicta, cum concilium ſit ubi populi pars aliqua & non uniuerſus populus conuenit. *Labes.*) Malum, ruina & caſus, qui dirimendorum comitiorum cauſa erat. Voluerunt enim non habendorum comitiorum cauſas eſſe aliquas, propter quas nefas erat habere comitia: dirimebantur autem tum comitiali morbo cadēte aliquo, tum tonante & fulgurāte Ioue. *Ipſe deus.*) Phœbus aut Aeſculapius. Indicat nunc qui huic morbo præ alijs

Suffragium.

Comitia.

Concilium.

Dirimēdorum comitiorum cauſæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

sint obnoxij. Sunt aūt maxime qui interlunio concipiuntur aut eduntur. Vnde Luna caducorum mater dicitur. Et inde quidam lunaticum morbum hunc uocāt. Porrò sacræ literæ lunaticos uocant eos quorum morbus lunæ ascensu increscat, quod diabolus lunaria seruet tempora, ut creaturam infamet in creatoris blasphemiam. *Dubiæ lunæ.*) Incertæ. Vergilius Eneid. libr. 6. Quale per incertam lunam sub luce maligna Est iter in syluis: ubi cælum condidit umbra Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colorem: hoc est, interlunio quando luna in coitu est & silet. Plinius libro 16. cap. 40. Diem quo luna in coitu est, alij interlunium, alij silentis lunæ appellant. Quo tempore sine lumine aut sane minimo & dubio uidetur. Nam dum solis radios subit, hoc est in coitu, quoniam haustū omnem lucis auersa illò regerat, unde acceperit, ut Plinius scribit libro 2. non cernitur sed latet ac silet: idq; ferè triduo saltem manifeste, quo tempore nihil etiam uirtutis suæ hijs inferioribus infundit, ut placet Galeno. Sed dices, Cur igitur Serenus interlunio natos comitiali morbo corripi tradit, si luna tunc in hæc inferiora nihil operatur? Dico lunam in hęc inferiora agere bifariam. Primo actiue uim suam infundendo, quod non agit nisi cum lumine non est omnino priuata, quare interlunij tempore quia lumine exuta & uiduata, nihil inde defluit. Secundo priuatiue quatenus in coitu luminis splēdore et ui sublata, dum nihil agit, nihilq; impertit, uim suam substrahendo nocumentum affert nonnullum, & inferiora hæc utilitate sua priuat, sicq; ipsa uim & potestatem nullam inde accipiendo, afficiuntur. Et sic lunæ uiribus destituti qui interlunio nascuntur, communiter comitiales euadunt. *Conceptum.*) Per conceptum intelligit non solum illum qui interlunio in utero conceptus est, sed & eum qui in hunc mundum ex utero editus est interlunio. *Ruina.*) Casus. *Profudit.*) Prostrauit & concidere fecit.

Luna caducorum mater. *Lunaticus morbus.* *Luna dubia, Silens.* *Interluniū.*

Pro

Prodest cum ueteri Baccho fel uulturis ampli,
Sed cochlear plenum gustatu sufficit uno.
Aut cruor ex Progne mixtus cum polline thuris.
Aut apium elixum, aut conditum melle fel agni,
Marrubiumúe pari confusum pondere mellis,
Cuius terna dabis gustu cochlearia in uno.

Fel uulturis.) Quod Serenus de felle uulturis poto ex uino contra comitiales prodit, id alij de aliorum animalium felle ac alijs uulturis membris referũt. Siquidem Dioscorides fel ursinum comitialibus delingẽdum utiliter dari, & testudinis in nares utiliter indi astruit. Sextus autem Platonicus, Vulturis iecur totum, ait, cũ sanguine ipsius tritum & per dies nouem potum, caducis prodesse dicimus. Plinius item lib. 30. cap. 3. sic scribit, Prædicatur recreare comitiales iecur uulturis tritum cũ suo sanguine ter septenis diebus potum, cor pulli uulturini adalligatum. Sed et ipsum uultrem in cibo dari iubent, et quidem satiatum humano cadauere. Quidam pectus ei bibẽdum censent, & in cerrino calice. *Cochlear.*) Quid sit cochlear dictum est superius capite 17. *Gustatu.*) Haustu. *Cruor ex Progne.*) Alludit ad fabulam qua Progne in hirundinem transformata fingitur, & cuius meminit Ouidius Metamorphoseωn libr. 6. Per Prognes itaq; cruorem Serenus intelligit sanguinem hirundinis, qui cum thure comitialibus medetur, imò & cor recens deuoratum, ut libro. 30. cap. 3. refert Plin. *Polline thuris.*) Thuris puluere tenuissimo, qui manna Græcis dicitur, aliud à cælesti rore aërêue melle, quod à nostri temporis medicis & in sacris literis manna etiam uocatur. *Apium elixum.*) Apium herba est quam ætas nostra petroselinon appellat. Nam quam illi Plinius in condimentis gratiam, ut alias interim obticeam, adscribit, cum ait, Apio gratia uulgo est. Nanq; rami largis portionibus per iura innatant & in condimentis peculiarem gratiam habent. Hanc eandem gratiam &

Fel uulturis. *Cochlear.* *Sanguis hirundinis.* *Progne.* *Pollin thuris.* *Manna.* *Apium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

illa quæ petroselinō à nostris uocatur, obtinet. Sed quod Chrysippi et Dionysij autoritate dicit in puerperijs ab eo cibo comitiales fieri qui ubera hauriunt, eaq; causa inter nefastos frutices damnatū: id recentiorū medicorū schola quoq; cōprobat. Inter quos Auicēna, ut alios omittā, sic ait Canonis libro 2. Apium est malum epilepsiæ, excitans epilepsiam epilepticorum. Et libri 3. fen prima tract. 5. capite 10. dicit epilepsiam mouere apiū proprie sua proprietate quam habet in ea. Et cap. 11. de curatione iubet eos alienare à se omnia olera usq; ad atriplices & blites, nedum alia, & proprie apiū: etenim est ei proprietas commouendi epilepsiam. Sed dices: Quomodo igitur Serenus id epilepticis & comitialibus prodesse tradit? Dico, quod ubi in capite & id epilepsię obnoxiorum, multa fuerit humorum repletio, tunc ipsos commouendo, nocere & morbum excitare potest: ubi uero pauci fuerint, tunc ipsos discutiendo & dissoluendo confert. Aut si nimius & superfluens eius fuerit usus, nocebit: sin paucus & moderatus, conferre poterit. Et sic diuersa ratione aut oberit aut proderit. *Conditum.*) Mixtum. *Fel agni.*) Plinius, Magnifice, inquit, laudatur & sanguis pecudum potus, item fel cum melle pręcipue agninum. *Marrubium.*) Scilicet humores discutiendo & obstructiones aperiendo.

Fel agni.

Marrubium.

Aptus mustelæ cinis est & hirundinis unà,
Præterea pluuias hominis quas calua supina
Excepit proiecta sinu consumere prodest.
Et lapis ex nido uaga quem congessit hirundo
Vellitur, & nexu fouet attollitq; iacentem.
Pellitur ut fama est, gustu quoq; langor anethi.

Cinis mustelæ.

Mustele cinis.) Nō modo mustelæ cinis sed & nō usta eiusdem membra quædam huic morbo medentur, si alijs credimus. Nam, ut Plinius tradit, prodest & cerebrum mustelæ inueteratum potumq;: & iecur eius. Testiculi, uuluæq; aut uentriculus inueteratus cum coriandro. Item ci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

nis. Syluestris uero tota in cibo sumpta. Et Dioscorides, Mustelæ, inquit, uentriculus coriandro farctus, inuetera tusq; comitialibus utiliter bibitur. Prodest & sanguis eiusdem. *Hirundinis unà.*) Hoc est, cinis hirundinis simul cum cinere mustelę: quamuis per se etiã prosint. Plin. lib. 30. capite 3. ubi anginis remedia ponit, non solum ad anginas sed & comitialibus quottidie cum pane aut potu dare aliquos dicit hirundinũ pullos strangulatos et cum sanguine combustos in uase: Quosdam uero & mustelæ cineres pari modo ammiscere. *Pluuias hominis &c.*) Hoc est, aquam pluuiatilẽ quæ in hominis interfecti caluaria reperitur. Artemõ fontanam dedit, ut refert Plinius, cuius libro 28. capite 1. hæc sunt uerba: Artemon caluaria interfecti igneq; cremati propinauit aquam é fonte noctu comitialibus morbis. *Calua.*) Cranium, caluaria quæ supernum capitis os est. *Supina.*) Reuersa, ita ut pars aperta sursum spectet. *Excepit sinu.*) Hoc est, in cauitatem suam suscepit. *Proiecta.*) Abiecta, neglecta. Et per hoc innuere uidetur quod Artemonis autoritate Plinius refert, uidelicet ut sit hominis interfecti. *Consumere.*) Hoc est, potare: quod enim bibitur, consumitur. *Lapis ex nido &c.*) Hoc est, lapillus qui in hirundinum nidis siue pullorum uentriculis reperitur. Dioscorides libro 2. Dissectis ex prima fœtura hirundinis ante plenilunium hirũdinum pullis, in uentriculis eorum lapillos inuenies duos, ex quibus uersicolore & uario altero, uniformi uero concolorecq; altero priusquam terram attingant in bucculæ aut cerui aluta inclusis & brachio collóue adalligatis comitialibus proderis, sæpiusq; omnino ad sanitatem restitues. Porrò Plinius magorum opinionem referens libro 30. capite 3. sic scribit: Magis placent uel lapilli è uentre pullorum hirundinum sinistro lacerto annexi. Dicuntur enim excluso pullo lapillum dare. Quod si pullus is detur incipienti in cibo, quem primum peperit, cum quis primum tentatus sit, liberatur eo malo. Postea medetur hirundinum

Cinis hirundinum.

Aq. pluuia ex calua.

Calua.

Lapis hirundinis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

sanguis cum thure, uel cor recens deuoratum. Quin & è nido earum lapillus impositus recreare dicitur confestim & adalligatus perpetuo tueri. Hæc ille. Quæ eo profusius adscribere placuit, ut contra comitialem morbum tota hirundinum haberetur medicina.

Hirundo uaga. *Vaga.*) Mobilis & sine negotio flexuose modo huc modo illuc discurrens & uolans. Volucrum soli hirundini, ut Plinius libro 10. capite 24. scribit, flexuosi uolatus, uelox celeritas: quibus ex causis neq; rapinæ cæterarum alitum obnoxia est: eadem demum sola auium non nisi in uolatu pascitur. Praeterea abeunt & hirundines hibernis mensibus, sola carne uescens auis ex hijs quæ aduncos ungues nõ habent. Sed in uicina abeunt, Aphricos sequutæ montium recessus. Inuentæq; iam sunt ibi nudæ atq; deplumes. Thebarum tecta subire negantur, quoniam urbs illa sæpius capta sit.

Bizya arx. Nec Bizyæ in Thracia propter scelera Thesei. Est autem Bizya, ut idem lib. 4. scribit, arx regum Thraciæ à Terei nefasto crimine inuisa hirundinib. regio. *Vellitur.*) Euellitur, eruitur & accipitur. *Nexu.*) Alligatione & appensione in brachio uel collo. *Fouet.*) Recreat & tuetur etiam. *Attollit.*) Surgere facit & sanat. *Iacentem.*) Eum qui comitiali correptus in terram prostratus iacet & concidit.

Fama *Vt fama est.*) Vt dicitur & pro uero habetur. Fama enim cõmuniter uera est. Nam quod uulgo dicitur, Haud frustra est, quod communis fama famat. Et Hesiodus ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις, in libro operum & dierum ait, φήμη δ᾽ οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα πολλοὶ λαοὶ φημίζουσι, θεὸς νύ τις ἐστὶ καὶ αὐτή. Hoc est, Fama uero nulla omnino perditur, quam multi populi famigerant, Deus certe quidam est & ipsa. *Gustu.*) Esu aut potu.

Anethum. *Anethi.*) Auicenna Canonis lib. 3. Fen 1. tract. 5 capite 11. Cum anethum & ruta in cibis eorum ponuntur, conferunt.

REGIO MORBO PEL-LENDO.

CAPVT LVII.

REGIVS est uero signatus nomine morbus:
Molliter hic quoniam celsa curatur in aula.
Huic rubia ex mulsa fertur conducere lympha.
Allia trita dabis uino madefacta calenti.
Vellera cum uiuo suffiri sulphure prodest.

REGIO *morbo.*) Morbus dicitur regius à curatione, eo quod molliter, ut Serenus ait, & delicate in principum aulis curetur: hoc est, ut Varrro sentit & Plinius libro 22. cap. 24. refert, quod mulsi potione quæ in regum delitijs erat, seu ut Celsus autumat, quod rebus mentem exhilarantibus curetur. Nam in eius curatione, ut Celsus pręcipit, per omne tempus utēdum est exercitatione, frictione, si hyems est: balneo, si æstas, frigidis natationibus: lecto etiam & conclaui cultiore, clauso loco uti ludis, lasciuia, per quę mens exhilaretur. Ob quæ regius morbus dictus uidetur. Vide licet à molli & uolupi dietæ genere & curatiōe. Dicitur et Arquatus à cęlestis arcus uirore. Et aurigo à pallore auri, quem bilis per uniuersum corpus fusa reprę sentat. Gręci icteron ab aue cognomine et cōcolore uocāt. Vnde Plin. Auis icterus uocatur à colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt & auem mori, hanc puto Latine uocari Galbulum. Hæc ille lib. 30. cap. 3. Hic morbus maxime in oculis manifestatur. Vnde Plinius libr. 26. cap. 13. ait, Morbum regium in oculis præcipue mirari est, tenuitatem illam densitatemq́ꝫ tunicularum felle subeunte. Et Celsus, Aeque notus est, inquit, morbus quem interdum arquatum, interdum regium nominant. Color autem eū morbum detegit maxime oculorum, in quibus quod album

Morbus regius.
Morbus arquatus.
Aurigo.
Icteros.
Galbulus auis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

esse debet, fit luteum. Soletq; accedere & sitis & dolor capitis & frequens singultus & præcordiorum dextra parte duricies, & ubi corporis uehemens motus est, spiritus difficultas, membrorumq; resolutio, atq; ubi diutius manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbescit. Fit autem à uarijs causis. Aliquando enim iudicatorie fit & per crisim, natura flauam bilem ad totum corpus & præcipue cutem reponente. Aliquando uero iocinore male se habente, uidelicet aut ob scirrhũ tumoremq; præ durũ qui diutinus morbus est, aut ob inflammationem, aut obstructionem, quę ambo repente fieri possunt. Interdum uero fit morbus hic citra hos affectus, ubi mutata iocinoris secundum naturam temperatura, humores biliosi efficiuntur: aut ab extranea aliqua occasione corrupto & bilioso effecto sanguine, qualis aliquando à feris mordentibus fieri solet. Præterea fit etiam aliquando ob folliculi fellis uim attractoriam secretoriamúe imbecilliorem factam, nec non folliculi ipsius oppletionem, obstructionemúe, quemadmodum & uasorum quæ ab ipso exorta, ora sua in hepar extendũt. Demum euenit morbus hic ubi ob splenis uitia atra bilis per corpus diffunditur. Sed huiusmodi colores multo nigriores sunt quàm alij, unde & nigrum icteron uocauerunt, solo colore distinctionem facientes. *Regius.*) Docet primo cur dictus sit morbus regius. *Signatus.*) Indicatus & appellatus. *Molliter.*) Leniter, blãde & delicate. *Celsa.*) Regia. *Aula.*) Aula aliquando pro atrio accipitur, quod Gręci etiam αὐλὴν aulam uocant: aliquando uero pro principum domibus, hoc est regijs. *Rubia ex mulsa.*) Idem testatur Plinius libro 24. cap. 11. Qua uero ratione id fiat, docet Dioscorides libro 3. cum ait: Radix rubiæ urinam cit, eamq; ob causam ictericis cum mulsa aqua utiliter bibitur. *Allia.*) Allium Praxagoras etiã cõtra morbũ regium uino miscuit, ut refert Plin. Et huius eadem redditur causa quæ rubiæ, quoniam scilicet urinam ciat. *Vellera cum sulphure.*) Medicamentum

Causæ morbi regij.

Icteros niger.

Aula.

Rubia.

Allium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

mentum hoc regium morbum sanat, materiam ad cutim iam delatam & discolorantem discutiendo & purgando. Sulphur enim, ut Dioscorides tradit, icterum purgat cochlearis pondere fronti inspersum. *Vellera cum sulphure.*

INFANTIBVS, DENTIBVS VEL STRIGE INQVIETATIS.

CAPVT LVIII.

Nudum hominem primũ mũdi natura profundit:
Insuper excruciat niueis cum dentibus armat.

INFANTIBVS.) Infans dicitur puer quã diu fari nequit, quasi non fans. Et inde dicitur infantia, ætas prima hominis donec fari incipit. *Dentibus.*) Scilicet erumpẽtibus & nascentibus, hoc est dentitione. *Strige.*) Strix auis dicitur nocturna quæ de nocte uolat, inuisa & inauspicata, quæ fertur mammis lactare pueros & infirmare, sic dicta à stridendo. Aliqui non aues striges sed anus quasdam ueneficas carmine in aues se conuertentes & noctu infantium sanguinem exsugentes autumant. Ouidius fastorũ lib. 6. Sunt auidæ uolucres, non quæ Phineia mensis Guttura fraudabant, sed genus inde trahunt. Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ, Canicies pennis, unguibus hamus inest. Nocte uolant, puerosq́; petũt nutricis egentes, Et uitiant cunis corpora rapta suis. Carpere dicũtur lactentia uiscera rostris, Et plenum poto sanguine guttur habent. Est illis strigibus nomẽ, sed nominis huius Causa, quod horrẽda stridere nocte solent. Siue igitur nascuntur aues, seu carmine fiunt, Neniaq́; in uolucres falsa figurat anus, In thalamos uenere Procæ, Proca natus in illis Præda recens auium quinq; diebus erat. Sed has fabulosas esse aues autumat, & uere quidẽ, Plinius: qui nat. hist. *Infans. Infantia. STRIX.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

libro 11. cap. 39. ſic ait: Fabuloſum arbitror de ſtrigibus ubera eas infantium labris immulgere. Eſſe in maledictis iam antiquis ſtrigem conuenit: ſed quæ ſit auium conſtare non arbitror. Nec modo apud ueteres, ſed & iam quoq; in maledictis eſſe conſtat ſtrigem, accipiq; pro muliere malefica, noctu ambulante & infantes aggrediente, ſanguinemq; illorum ſugendo exhauriente, adeo ut aut mortui in cunis inueniantur, aut diu uiuere non poſſint. Quod ſi diutius uiuant, membro tamen aliquo, ſi non

Lamia. uniuerſo corpore, debiles uiuūt. Multi ſtrigem iſtiuſmo

לילית di Lamiam uocāt. Hebraice לילית dicitur, et Lamia tranſ

Furia. fertur à Symmacho, ab aliis Furia. Iſaias cap. 34. Et ibi cubauit lamia. Super quo ſcripſit Rabi Dauid Kimhi, quod ſit animal ululans in deſerto & præſertim de nocte. Vnde ei nomen eſt inditum à ליל, quod nox eſt. Sed reuera nihil aliud eſt quàm dęmonium ſylueſtre habitans in locis deſertis, ut Capnion ille Sueuiæ decus in rudimentis Hebraicis interpretatur. Quod quidem dęmoniū talia quando q; peragere ob peccata noſtra et ἀπιςίαν diuina permittit maieſtas. *Nudum.*) Inter alias quā plurimas hominis miſerias eſt & illa quod nudi naſcimur. Plinius libro 7. Natura hominem tantum nudum & in nuda humo natali die abiicit ad uagitus ſtatim & ploratū, nullumq; tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus uitę principio. Nec modo nudi naſcimur, ſed & nudi iterū ex hoc mundo recedimus. Vnde non inelegans eſt carmen Græcum, γῆς ἐπέβην γυμνὸς, γυμνός θ' ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι Καὶ τί μάτην μοχθῶ γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος. *Primum.*) Ab initio uitæ, nataliq; die cum iam naſcimur. *Mundi natura.*) Rerum or

Mūdus. do & diſpoſitio conditioq; mundi. Mundus, inquit Ariſtoteles in libro de mundo, eſt uniuerſitatis ordo & exor

Natura. natio, à deo & per deum cuſtodita. Natura uero mūdi uita eſt & illi dominatur. *Profudit.*) Ex utero in hunc mundū & has auras uitales produxit ac genuit. *Inſuper.*) Præterea ultra id quod nudi naſcimur. *Excruciat.*) Moleſtat punit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

punit & dolore afficit. *Niueis*) Candidis & albis, à colore niuis. *Dentibus armat*) Id est dentibus tanquam armis instruit & munit, hoc est, cum dentes primum erumpere incipiunt, quod dentire dicitur. Dentes autem homini pro armis et instrumentis sunt tum ad loquelam formandam, tum ad cibum conficiendum. **Dentire.**

Collo igitur molli dentes nectentur equini,
Qui primi fuerint pullo crescente caduci,
Aut teneris cerebrum gingiuis illine porci:
Aut leporis niueum bibitur cum lacte caprino.

Dentes equini.) Dentes equinos qui primum cadunt facilem dentitionem præstare infantibus adalligatos testatur etiam Plinius lib. 28. cap. 10. idq; efficacius, si terram non attigere. Et Sextus Platonicus remedium fore tradit equi dentes qui primum nati fuerint si dentem qui dolet tetigeris. Nam et si infans, ut ait, equi rostrum basiauerit, dentium dolorem non sentit, & nec equus mordebit infantem. Cæterum ætas nostra in hoc casu non equi sed lupi dentibus utitur, qui adalligati infantium pauores prohibent, dētientiq; morbos, quod et pellis lupina pręstat autore Plinio loco paulo ante dicto. *Pullo.*) Scilicet equi. Est autem generale nomen pullus ætatis teneræ & imbecillæ & adhuc increscentis. *Caduci.*) Labiles & cadētes. *Cerebrum porci.*) Cerebrum suis. Porcus enim de sue dicitur, & id quidem domestico fere. Est autem Græcum nomen antiquum, ut Varro de re rustica libro 2. scribit, sed obscuratum, quod nunc eum uocant χοῖρον. Porrò quod ad cerebri ipsius medicinam attinet, facilem dētitionem præstat: quod quamuis aperte, quod sciam, Plinius non dicat, potest tamen idem ex eodem facile intelligi. Nam postquam libro 30. capite quinto ouis cerebrum gingiuis illitum magnifice iuuare dixit, haud lōgo interuallo post ait ad dentitionē cerebrū pecoris utilissimū esse.

Dentes equini. **Dens lupi.** **Pullus.** **Cerebrū suis.** **Porcus.** **χοῖρον.**

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Sub pecore autem & sues conprehenduntur. Ni una im mutata litera pro ouis legere quis maluerit suis. *Leporis niueum.*) Scilicet cerebrum, quod candidum est, & infantium dentitionibus prodest, gingiuis cõfricatum, aut in cibo sumptum, autore Dioscoride & Paulo Aegineta. Plinius libro 28. capite 10. Lacte caprino uel cerebro leporum perunctis gingiuis faciles dentitiones fieri dicit, nulla potus aut esus facta mentione. Galenus uero, ut refert Serapio, de eodem sic scribit: Cerebrũ leporis pro certo scimus, quod quando liniuntur cum eo gingiuæ puerorum tempore ortus dentium eorum, facit eos facile nasci & sine dolore: & hoc est notorium apud omnes: & administratio eius est postquam decoquitur. Et nõ habet hoc cerebrum solum hanc proprietatem, imò etiam mel & oleum & butyrum, & alia multa huiusmodi, quę habent uirtutem faciendi nasci dentes infantium.

Cerebrum leporis.

Præterea si forte premit strix atra puellos,
Virosa immulgens exertis ubera labris:
Allia præcepit tundi sententia Vecti
Qui ueteri claras expressit more togatas.

Premit.) Cõprimit, molestat & infirmat. *Atra*) Nocturna, propter noctem tenebrosam & noctis atritatẽ, quo tempore maxime uolat et talia peragit. Seu atra, id est funesta, propter noxam & læsionem, quã infert pernitiosam letalemq́. *Puellos.*) Infantes. *Virosa ubera.*) Mammas maleficas & quæ infantium sint appetentes: quemadmodum mulier uirosa dicitur, quæ uiri est appetens, & loci muliebres uirosi, qui coitus sunt appetentes: deducto uocabulo à uir & non à uirus. Quanquam ab hoc etiam uirosus deducatur, quod modo malum odorem significat, Virg. Virosaq́ Pontus castorea: modo saporem malũ, Varro, Rancidam carnem apposuit nobis & uirosam. *Exertis labris.*) Dimotis & apertis labijs, quę oris sunt extremitates. *Allia.*) Hoc Vectij autoritate confirmat. *Sententia.*) Iudi

Virosus. *Labra.* *Allia.*

cium siue credulitas autoritásue. *Vecti.*) Illius medici, de quo Plinius libro 29. capite 1. sic scribit: Exortus deinde est Vectius Valens, adulterio Messalinæ Claudij Cæsaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ assectator. Is eam potentiam nactus nouam instituit sectam. Fuit autem Græcus genere, & ad Neronem de medicina scripsit. *Togatus.*) Toga uestimenti genus est Romanorum proprium, sicut Græcorum palliũ. A tegendo uero toga uocata est, cum sub ea tunica esset. A toga togati dicuntur Romani. Et comœdiæ togatę sunt appellatæ, quæ scriptæ sunt secundum ritus & habitum hominum togarum, id est Romanorum. *Vectius Valens.* *Toga.* *Pallium.* *Togatus.* *Togatæ comœdiæ.*

COMBVSTVRIS IGNE VEL FRIGORE.

CAPVT LIX.

SVNT diuersa quidem mala frigoris atque caloris,
Sed tamen amborum simili nocet ulcere uirus.
Illa quoque usta putes quæ sunt niue lęsa rigenti,
Conuersa in cinerem platani pila curat utrunque.



OMBVSTVRIS *igne uel frigore.*) Quamuis diuersæ & contrariæ sint naturæ calor & frigus, nihilominus tamen similes in quibusdam locis, ut Plinius ait, sunt æstus immodici & frigorum effectus: estque utriusque tum caloris tum frigoris urere, ut hoc capite docet Serenus. Et per ignem intelligit omne id quod calore urit, siue ignis seu aqua feruẽs, lapisúe aut ferrũ candẽs id fuerit. Per frigus uero, niuem, glaciẽ, uentos frigidos, & id genus si quid est aliud. De calore quod urat, omnibus notum est. De frigore uero testimonium habemus Catonis de re rustica capite penultimo de asparago serẽdo, ubi infit: Quo anno seueris, sub *Combustionis casuæ contrariæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſtramentis per hyemem operito, ne rigore peruratur. Et Cicero Quæſt. Tuſcul. lib. 2. Conſuetudinis, ait, magna uis eſt, pernoctant uenatores in niue, in montibus, uri ſe patiuntur. Lucanus: Vrebant montana niues. Et Vergilius de utraq; uſtione ſic ait: Rapidiúe potentia ſolis Acrior, aut boreæ penetrabile frigus adurat. *Vlcere.*) Exulcerat enim ambuſtio. *Virus.*) Vſtionis noxa & maleficium. *Rigenti.*) Frigida. Rigere proprie eſt frigere: deductum aũt eſt à uerbo Grǽco ῥίγω, quod eſt algeo & frigeo. Vnde etiã ῥῖγος dicitur frigus. *Conuerſa.*) Scilicet per combuſtionem. *Platani pila.*) Plinius libro 24. capite 8. Cinis pilularum platani ſanat ambuſta igni uel frigore. Quid autem ſint pilulǽ platani, habes ſuperius. *Vtrunq;.*) Hoc eſt, combuſturam & ignis & frigoris.

Rigere ῥίγω. ῥῖγος. Plantani pilulæ.

At uero ambuſtum flammis qui candidus oui
Succus ineſt, penna inductus ſanare ualebit.
Aut tu ſuccoſæ cinerem perducito lanæ.
Aut uiuam ex oleo lini contundito calcem.
Hordea uel franges, atq; oui candida iunges,
Adſit adeps porcæ mira eſt hæc forma medelæ,
Iunge chelidoniјs, ac ſic line uulnera, ſuccis.
Quodq; recens uſſit glacies axungia ſimplex
Mulcet & ex facili grata eſt medicamine cura.

Flammis.) Igne & aliјs etiã rebus calore ſuo adurentibus. *Candidus oui ſuccus.*) Albumẽ oui, quod frigidum eſt & glutinat, ardoresq; lenit, in ambuſtis excitari puſtulas prohibet, ſi quàm primũ eo inungãtur, ut tradit Dioſcorides. Et Plinius libr. 29. cap. 3. Ambuſta aquis, ait, ſi ſtatim ouo occupẽtur, puſtulas non ſentiunt. *Inductus.*) Illitus. *Succoſæ cinerem lanæ.*) Cinerem lanæ ſuccidæ combuſtæ: qui, ut Plinius quoq; libri iam dicti cap. 2. teſtatur, ambuſtis illinitur. *Viuam.*) Hoc eſt, recentem & aquis non aſperſam, quæ cunctis eſt efficatior. *Ex oleo calcem.*) Quamuis

Albumen oui.

Cinis lanæ ſuccidæ.

Calx ex oleo ni.

feruidam

feruidam uim habeat calx, excepta tamen quibusdam alijs ceu oleo uel adipe, maturandi uim acquirit, mollit, dissijcit & ad cicatricem perducit: prętere ardores extrahit & incipientes serpere ulcerum impetus arcet, autore Dioscoride & Plinio. *Lini.*) Scilicet seminis, quod ardores omnes intus & foris discutit. *Hordea franges.*) Hoc est, contundes & in farinam rediges. Idē medicamentum ponit Plinius libro 29. cap. 3. Vlceribus ex ambusto cum candido ouorum tostum ordeū & suillo adipe mire prodest. *Chelidonijs succis.*) Vulnera enim serpere prohibent & serpentia sanāt, ut autor est Dioscorides. Apuleius herbam cum seuo caprino conterere & imponere iubet ad combustum. *Glacies.*) Glacies est aqua frigore congelata. Intelligit autem non solum glaciem, sed & niuem, & omne frigus adurens. *Axungia simplex.*) Adeps suillus syncerus. Plinius, Syncera axungia medetur ambustis uel niue. Dioscorides, Suillus adeps ambustis accomodatus est.

Semen lini. *Hordeum cum axungia et albumine oui.* *Chelidonia.* *Glacies.* *Axungia simplex.*

VENENIS PROHIBENDIS.

CAPVT LX.

VT tutus fias infestæ fraude nouercæ,
Vel quicunq; tuo carpetur liuidus auctu,
Non expectatis eat obuia cura uenenis.



VENENIS *prohibendis.*) Præcauendis ne lateāt, aut si assumpta fuerint, nocere ne possint: similiter sine præcautione assumptis, curādis. Dicuntur autem uenena ea quæ corpori adhibita naturam eius immutant et corrupunt. Quorum quędam extra per morsum ictumúe animalium uenenosorum inferuntur: de quibus habitum est in superioribus.

Venenum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Quædã uero intus in cibo uel potu assumũtur, quorũ medicatio ceu priorũ etiã, bifariã diuiditur, uidelicet in præcautionem & curationẽ. In præcautionem quidem ne lateant à principio uenena: aut si forte clam data fuerint, ne noceant. Sed quia qui uenenis homini clam insidiantur tam dolose ea præparant ut peritissimos etiam decipiant, amaritudinem admixtis dulcibus & odoris grauitatem odoramentis à letalibus uenenis auferentes, ideo in ueneni suspicione condita elaborataq; cibaria omnia uitare oportet, omnesq; in gustu uehemẽtiores cauere qualitates, quotcunq; scilicet dulcibus salsisue aut acidis saporibus constãt. Et in maiore siti fameq; nõ omnia raptimq; bibere aut comedere: sed cibi ac potus qualitates diligentius contemplari. Præsumenda etiam potu frigida aqua. Extincto enim appetitu difficillime arripiuntur à stomacho postea cæteræ qualitates. Sed ne decepti facile intereant, alia quoq; ratio & efficacior quidem est, ut in suspicione ueneni semper præcomedatur aliquid quo inefficacia reddantur uenena, qualia sunt ea quę Serenus in textu enumerat. Altera medicationis pars proposita fuit curatio et remedia quæ afferenda sunt his qui in ea inciderint. Et tunc opem auxiliumq; non differre oportet, ne post tempus aliquod remedio nullus supersit locus & incurabilis fiat curatio: autor Dioscorides libro 6. *Tutus.*) Munitus & sine periculo. Differt autem à Securus, quoniam securus dicitur quasi sine cura, qui periculum non timet, quamuis eidem obnoxius sit: Tutus uero qui periculo obnoxius non est, etiam si securus non est, sed timeat periculum. *Infestæ.*) Infestus dicitur, qui alteri molestus est et insidias molitur. *Nouercæ.*) Nouerca dicitur patris uxor filijs ex alia matre susceptis & natis. Solẽt autem communiter nouercæ priuignis, hoc est mariti ex alia uxore filijs, esse molestę & aduersæ fraudulentæq;, adeo ut si possint, conentur etiam aliquãdo è medio tollere. *Carpetur.*) Discerpetur, torquebitur & cruciabitur. Et hoc boni in

Tutus. *Securus.* *Infestus.* *Nouerca.*

se

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

se habet liuor & inuidia quod inuido ipsi molesta est, ut *Inuidia.* Græci non inelegantes testantur uersiculi. ὁ φθόνος ἐςὶ κάκιστον, ἔχει δ' ἔτι καλὸν ἐν ἑαυτῷ, Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα, καὶ κραδίην. Quos non ineleganter doctus ac pius, & de quo uere dici potest illud Horatij, Integer uitæ, Scelerisq; purus, Michael frater noster amantissimus sic uertit: Inuidia nihil est peius, laudatur at inde Autori quod cor torqueat atq; oculos. Aliter idem id ipsum: Triste malum liuor uirtutem continet in se Turbat nanq; oculos liuide corq; tuum. *Auctu.*) Incremento, fortunæ prosperæ, & rebus fœliciter succedentibus. *Non expectatis.*) Hoc est, antequam exhibeantur quæ aduersus te parantur uenena. *Eat obuia cura.*) Hoc est, medicina præueniat & assumatur sitq; in usu antequam detur uenenum, ut si traditum fuerit, nocere non possit.

Ante cibos igitur iuglandis fœtus edatur.
Produnt electri manantia pocula uirus.
Præterea coctæ querno cum cortice lymphæ
Conueniunt potu, demersaúe ficus oliuo.
Sępe etiam rhaphanum prædixit numen edēdum.

Iuglandis fœtus.) Fructus & nucleus nucis iuglādis: de qua *Nux iuglans.* Plinius libro 15. cap. 22. sic scribit, Honor hijs naturæ peculiaris, gemino protectis operimēto, puluinati primum calicis, mox lignei putaminis, quæ causa eas nuptijs fecit religiosas, tot modis fœtu munito, quod est ueri similius quàm quia cadendo tripudium sonumúe faciant. Et has è Perside à regibus translatas indicio sunt Græca nomi- *Nux Persica,* na. Optimum quippe earum genus, persicum atq; basili- *Basilica.* con uocant. Et hæc fuere prima nomina. Carion à capi- *Carion.* tis grauedine propter odoris grauitatem conuenit dictum. Sunt qui honori nomen interpretentur & Iouis *Iouis glans.* glandem esse dicant. Idem libro 23. cap. 8. Nuces iuglandes Græci à capitis grauedine appellauere: etenim arborum ipsarum foliorumq; uires in cerebrum penetrant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

hocq; minore momento, sed in cibis nuclei faciunt. Sunt autem recentes iucundiores, siccæ unguinosiores & stomacho inutiles, difficiles concoctu, dolorem capitis inferentes. Eedem præsumptæ uenena hebetant. Et hoc est quod Sereni dictum comprobat. *Produnt.*) Ostendunt & manifestant ne lateant nos uenena poculis illis indita.

Electrum. *Electri.*) Per electrum intelligit autor non succinum, sed metalli genus quod sic uocatur, & id quidem natiuum: nam & aliud est quod arte conficitur, de quibus Plinius libro 33. cap. 4. sic prodit, Omni auro inest argentum uario pondere. Vbicunq; quinta argẽti portio est, electrum uocatur. Fit & cura electrum argẽto addito, quod si quintam portionem excessit, incudibus nõ resistit. Est electro autoritas, Homero teste, qui Menelai regiã, auro, electro, argento, ebore fulgere tradit. Electri natura est ad lucernarum lumina clarius argento splendere. Quod est natiuum & uenena deprehendit. Nanq; discurrunt in calicibus arquus cælestibus similes cum igneo stridore, & gemina ratione prædicunt. *Manantia.*) Humentia, propter inditum liquorem potus qui humidus est. *Pocula.*) Vasa potoria ex electro fabrefacta. *Virus.*) Venenum poculis inditum. *Querno cortice.*) Plinius libro 24. capite 3.

Cortex quercus. Folia & baccæ uel cortex uel succus decocti prosunt contra toxica. Dioscorides libro 1. id de corticis & glandium decocto cum bubulo aut humano lacte refert. Celsus autem libro 5. ius glandis ex uino contritæ priuatim contra

Ficus. cerussam maxime prodesse ait. *Ficus.*) Scilicet sicca, quã caricam uocant. Hanc Dioscorides libr. 6. cum iuglande nuce præassumptam commendat: is enim cibus inefficacia reddit uenena. *Oliuo.*)

Oleum. Oleo oliuarum, quod uenenis aduersari & præsertim quæ exulcerando erodendoq; sunt, testis est etiam præter alios Dioscorides libro primo & sexto. *Rhaphanum.*)

Rhaphanus. Rhaphanum contra uenena prodesse testatur etiam libro 20. cap. 4. Plinius: & priuatim, autoritate Nicandri, contra fungorum aut hyoscyami

mi uenena salutarem. Celsus item priuatim contra fungos commendat libro quinto inquiens: Si fungos inutiles quis assumpserit, radicula aut epota aut cũ sale & aceto edenda est. *Numen.*) Aesculapius.

Antidotus uero multis Mithridatica fertur
Consociata modis, sed Magnus scrinia regis
Cum caperet uictor uilem deprehendit in illis
Synthesin, & uulgata satis medicamina risit.
Bis denas rutæ frondes, salis & breue granum
Iuglandesq; duas totidem cum corpore ficus
Hæc oriente die parco consperſa lyæo
Sumebat metuens dederat quæ pocula matri.

Antidotus Mithridatica.) Hoc est, medicina contra uenena à Mithridate rege qui eam inuenit composita, cuius compositionem Serenus in textu subiungit. Plinius libro 23. cap. 8. de hoc sic scribit: In sanctuarijs Mithridatis maximi regis deuicti Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipsius manus compositionem antidoti è duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ folijs uiginti simul tritis, addito salis grano. Et qui hoc ieiunus sumat, nullum uenenum nociturum illo die. Idem libro 25. cap. 2. Mithridates maximus sua ætate regum, quem debellauit Pompeius, omnium ante se genitorum diligentissimus uitæ fuisse argumentis præter quàm fama intelligitur. Vni ei excogitatum quottidie uenenum bibere, præsumptis remedijs, ut consuetudine ipsa innoxium fieret: primo inuenta genera antidoti, ex quibus unum etiam nomen eius retinet. *Multis modis.*) Varijs compositionum generibus. *Consociata.*) Coniuncta, commixta & composita. *Magnus.*) Scilicet Cn. Pompeius, à quo sublatus est Mithridates. *Scrinia.*) Repositoria et arcas in quibus secreta & præsertim scripturę recõdun tur. *Regis.*) Mithridatis Eupatoris, qui rex fuit Põti. *Victor.*) Pompeius, qui Mithridatẽ uicit et debellauit. Vi-

Antidotus Mithridatica.

Mithridates.

Scrinia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

lem.) Vulgarē & ex rebus cōmunibus nō precioſis cōpo
Syntheſis. ſitam. *Syntheſin.*) Cōpoſitionem, à σὺν quod eſt cum, &
θέσις poſitio. *Vulgata.*) Cōmunia & uulgo parata. *Riſit.*)
Deriſit & contempſit. *Bis denas.*) Hoc eſt, uiginti folia ru-
tæ. Item Dioſcorides ait: Rutæ folia etiam, iuglandis nu-
cis interanea, ſalis grumum, duasq́ caricas ieiuni come-
dant, nulloq́ ueneno ſic lędentur. *Oriente die.*) Hoc eſt,
mane, ieiuno uentriculo. *Parco lyæo.*) Modico uino. *De-
derat quæ pocula matri.*) Hoc eſt, ueneni potionem, & uene-
num quo matrem ſuſtulerat & extinxerat.

Si nequit infandum præuertere cautio uirus,
Proximus ille gradus, data pocula pellere cura.
Lac aſinæ, placidæq́ bouis prodeſſe loquuntur.
Vetonicam ex paruo ſumunt pleriq́ lyæo.
Quod ſi hederæ ſuccum quæ truncis hęreat altis
Inſtilles paruis poterunt haud ulla nocere
Pocula, quæ quiſquam ſæuis uitiauerit herbis.
Si quis hyoſcyamum guſtarit, lactæ capellæ
Exhauſto rabidos poterit mulcere furores.

Si nequit.) Docet nunc datis uenenis mederi. *Infandum ui-
rus.*) Venenum magnum & letale. *Præuertere.*) Anteuer
tere, præuenire & cauere. *Cautio.*) Præcautio, præuiſio.
Proximus gradus.) Propinquus & primus pręcipuusq́ mo
dus & ordo. *Pocula.*) Potionem uenenatā & uenenum
ipſum. *Pellere.*) Expellere & eijcere tū uomitu tum alui
deiectione. *Cura.*) Curatione & medicamento curante.
Lac. *Lac.*) Præſertim recens, quod aluum mollit & contra le-
talium uenenorum eroſiones incenſionesq́ confert, acri
monias eorum hebetando, ardores reſtinguendo & ero
ſionibus eorum aduerſando, ut autor eſt Dioſcorides li-
Lac aſininum, Bubulum. bro 2. & 6. *Aſinæ.*) Plinius libr. 28. capite 10. Aſinino lacte
poto, uenena reſtinguuntur. *Placidæ bouis.*) Mitis buccu-
læ & uaccæ. Plinius loco iam dicto: Lacte bubulo cuncta
Vetonica. uenena expugnari tradunt. *Vetonicam.*) Hanc cæteri nō
ſolum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſolum in curatione ſed & in prçcautione utilem tradunt, ſumendiq́ꝫ quantitatem adſcribunt. Dioſcorides libr. 4. Prodeſt cõtra uenena, in quem uſum drachmæ pondere bibitur in uino. Eadem præſumpta letalibus aduerſatur uenenis. Idem libro 6. Dantur prçterea cõmuniter cunctis uenenis accommodata remedia, inter quæ ſunt & betonicæ folia, drachmæ pondere cum uino. Plinius libro 25. capite 9. Betonicæ ſemen inmulſo aut paſſo uel farinæ drachma in uini ueteris cyathis quatuor uomere cogendi atqꝫ iterum bibere: his qui quottidie guſtent eam, nulla nocitura mala medicamenta tradunt. Antonius Muſa herbæ quantitatem auget his qui uenenũ ſumpſerunt. Nam Vetonicæ, inquit, drachmas tres ex uini cyathis tribus ſtatim dato bibat, & reijciet. *Paruo.*) Modico ſeu leui & nõ forti. *Pleriq́ꝫ.*) Plures, multi. *Hederæ.*) Hçc proprie non hedera eſt, ſed ob foliorum ſimilitudinem quandam inter genera eius tantum numerata: proprioq́ꝫ nomine ſmilax uocatur: quare ſeorſum de utraqꝫ egerũt Plinius & Dioſcorides: hic enim de hedera lib. 2. de ſmilace uero hac quam ad lenis differentiam uocat aſperam, lib. 4. egit: ille autem libr. 16 poſt hederarum genera, proprio capite de hedera quæ uocatur ſmilax intitulato, egit: ſicq́ꝫ eam deſcripſit, Similis eſt hederç, quam uocant ſmilacem: denſis geniculata caulibus, ſpinoſa, fruticoſa ramis, folio hederaceo, paruo, non anguloſo, à pediculo emittente pampinos, flore candido, olente lilium: fert racemos labruſcæ modo, nõ hederæ, colore rubro, complexa acinis maioribus nucleos undenos, minoribus ſingulos, nigros, duroſq́ꝫ. Infauſta omnibus ſacris & coronis, quoniam ſit lugubris, uirgine eius nominis propter amorem iuuenis croci mutata in hunc fruticem. Id uulgus ignorans plerunqꝫ feſta ſua polluit hederam exiſtimando: ſicut in poëtis aut Libero patre aut Sileno, qui omnino neſcit quibus coronetur. E ſmilace fiunt codicilli. Propriumq́ꝫ materiæ eſt, ut admota auribus leuem

Hedera ſmilax.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

ſonum reddat. Hactenus Plinius de hedera ſmilace. *Succum.*) Scilicet foliorum & acinorum. Dioſcorides libro 4. Folia eius & fructus contra letalia uenena prius & poſt pota ſunt antidotum. Traditum præterea eſt, ſi tritū eorum aliquid nuper genito infanti bibendum detur, nullum illi poſtea nociturum uenenum. Plinius etiam libro 24. capite 10. hanc immortalitati proximam & conuallibus opacis ſcandentem arbores dicit comantibus acinorum corymbis contra uenenata omnia efficaciſſimis: in tantum ut acinorum ſucco infantibus ſæpe ſtillato, nulla poſtea uenena nocitura ſint. *Quæ truncis hæreat.*) Nam, ut Plin. dicit, per arbores ſcandit & repit. Dioſcorides, Ad uoluitur arboribus ſupra infraq́ ſe circumagens. *Inſtillabis.*) Stillatim & guttatim immittes, ad bibendumq́ dabis. *Paruis.*) Paruulis, pueris, & infantibus nuper genitis. *Pocula.*) Potiones. *Sæuis herbis.*) Herbarum ſuccis uenenatis. *Vitiauerit.*) Corruperit & ueneno infecerit. *Hyoſcyamum.*) Traditis in cōmuni contra letalia uenena remedijs, ſubiungit nūc priuatim aduerſus hyoſcyamū quod profit remedium. Nam quamuis uſus eius aliquis ſit, eſt tamē in uenenorum genere quoq; ceu alia id genus com pluria poſitum: nec modo hyoſcyamo, ſed omnibus id genus uenenis remedio eſt lac quodcunq;. Sed quod ad hyoſcyamum attinet, ſunt eius tria genera herbæ. Vna flore purpureo, ſemine nigro: Altera flore luteo, ſemine fuluo & ſufflauo ceu irionis. Et heæ duæ mentē ac caput infeſtant, inſaniam capitisq́ uertigines facientia, infelicis in uſu euentus. Tertia quam medici receperunt, flore & ſemine albo, utilis ad medicinam. Qua ſi uti non licebit, utendum altera quæ luteo ſemine eſt. Nigra etenim quod omniū peſſima, ex omni uſu abdicanda erit: autor Dioſcorides libro 4. Plinius libro 25. capite 4. Apuleius capite 4. *Guſtarit.*) Potauerit, aut in cibo aſſumpſerit. *Lacte capellæ.*) Contra hyoſcyami noxam, non caprinum modo, ſed & omne in uniuerſum præcipueq́ aſininum prodeſſe

Hyoſcyamus.

Lac caprinum.

prodesse dicitur. Celsus: Si hyoscyamum quis ebibit, feruens mulsum bibendum est, aut quodlibet lac, maxime tamen asininum. Dioscorides libro secundo capite de lacte: Facit recens lac ad letalium uenenorum erosiones incensionesq́, quales in cantharidibus fiũt, picearum erucis, salamandra, buprestide & hyoscyamo. Idem libro sexto: Pota, in cibóue sumpta hyoscyamus, ebrietati similem amentiam facit: facillime tamen curantur qui eam hauserint, si copiose pota mulsa aqua illis & lacte succurratur, asininoq́ præsertim: sin minus, caprino, bubulóue. Nec male huc quadrat quod Plinius dicit: Infunditur quoque lac contra rosiones à medicamentis factas. Auicenna: Oportet ut in potu detur statim lac uaccinum aut caprinum. *Rabidos furores.*) Hoc est, insaniam & rationis permixtionem, quæ ex eo accidit, autore Auicenna. Et Apuleius, Sumentes, inquit, mittit in furiam, appellataq́ inde est maniopæos à Gręcis. *Maniopæos.*

VVLNERIBVS ET REI DVBIAE CVRANDIS.

CAPVT LXI.

VVLNERA tabescunt spatio uitiata dierum:
Curaq́ nil prodest, nec ducitur ulla cicatrix:
Sed tamen herbarum tam mira potentia pollet,
Vlceris annosi sinus ut coalescere possit.



VLNERIBVS.) Quid sit uulnus proprie, quid item ulcus, dictum est supra cap. 42. Hic tamen autor uulnus non proprie accipit, sed pro uulnere illo quod temporis mora contabuit & in ulcus conuersum est. Cuius etiam multa sunt *Vlcerum differentiæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

discrimina & differentiæ multiformes, uarie nominatæ, ceu chironia, telephia, cancri, phagedenæ & herpetes: quæ deinde magis proprias etiam sortita sunt appellationes, licet non similiter omnes. Nam quædam à propria differentia sunt appellata ut æqualia, concaua, & in quibus caro excrescit ὑπερσαρκοῦς: quædam uero nō à propria differentia sed à symptomatis externis, ceu cruenta, impura, sordida, de quibus omnibus Galenus therapeutice libro secundo copiosius agit. *Rei dubiæ.*) Rei ambiguæ, scilicet ad curandum. Sunt enim tam praua & maligna, contumacia & rebellia quædam ulcera, ut curam uix admittant, & de restitutione curationeq́ illorum dubitari quis possit, qualia sunt quæ cacoethe uocantur, quæ omnibus rite decenterq́ factis, tamen non sanantur sed incurabilia permanent, aut saltem difficulter sanantur. *Vulnera.*) Simplicia. *Tabescunt.*) Corrumpuntur, putrescunt & in ulcera uertũtur. *Spatio dierũm.*) Hoc est temporis diuturnitate. *Ducitur cicatrix.*) Ducere ulcus ad cicatricem, est tegere carnem naturali aliquo tegumento, hoc est, cutem generare, aut summam carnem cuti similem efficere. Cicatrix enim quamuis cuti sit quàm simillima, cutis tamen non est, quando & densior ea uisu tactuq́ sentitur, & ratione, ex eo quod pilos non ędit, intelligitur, ut inquit Galenus. *Pollet.*) Viget, & potis est atque efficax. *Annosi.*) Diuturni & inueterati. *Sinus.*) Labra & extremitates ulceris. *Coalescere.*) Coire, uniri, concrescere & conglutinari in unum.

Vlcus cacoethe. — *Ducere cicatricem.* — *Cicatrix.*

Marrubium si thure coquas illoq́ liquore
Vulnus atrox foueas, cineres uel hirundinis atræ
Inducas, leporisúe aspersa coagula uino,
Aut hederam Baccho decoctam, & semen anethi,
Aut cineres alni tardo cum melle ligentur.

Marrubiũ. *Marrubium.*) Et hoc sordida purgando ulcera, & præser-

tim

tim si ex melle illinitur, tradente Dioscoride libro tertio. *Thure.*) Thus medicamen est ulceribus conueniens. Nam concaua explet ulcera & ad cicatricem perducit, & conglutinat recentia, lenitq́ malefica corporis ulcera tusum, ut autor est Dioscorides: imò & carni producendæ aptum est. Nam primi ordinis siue gradus hoc est modice siccantium & detergentium thus est, qualia esse debẽt omnia quæ carnem generare debent, teste Galeno therapeutice libro 2. 5. & 14. *Atrox.*) Vlcus ferum & contumax, maleficumq́. *Foueas.*) Fouere est corpori læso calida & humida applicare medicamenta. *Cineres hirundinis.*) Et hoc post abscessuum maturationem et apertionem sordes purgãdo. *Atræ.*) Pennis nigræ. *Leporis coagula.*) De coagulo leporis dicit Plinius libro 28. cap. 10. quod carcinomata curat, sed cum pari pondere capparis aspersum cum uino. *Vino.*) De uino dicit Galenus, quod omnis ulceris qua ulcus est, optimum medicamentum est uinum. *Hederam.*) Dioscorides libro 2. Hederæ folia in uino decocta medentur omnium generũ ulceribus, & quæ cacoethe etiam, id est dolosa & malefica, uocant. Et Plinius lib. 24. cap. 10. Illinitur decocta in uino hedera omnium ulcerum generi, etiam si cacoethe sint. *Semen anethi.*) Siccat hoc ulcera, purgat, incarnat & consolidat: & maxime etiam si comburitur. *Cineres alni.*) Et hoc eadem ratione qua cætera iam dicta. Et folia alni ex feruenti aqua certissimo remedio sunt tumori, uti testatur Plinius libro 24. cap. 10. *Tardo melle.*) Melle lento & firmo, cui uis est & natura detergendi, aperiendi & humores in summum proritandi. Ideoq́ sordidis ulceribus & sinibus utiliter infunditur, decoctum idem & impositum solutas à continuitate sua carnes & hiantes glutinat: autor Dioscorides.

Thus. *Cinis hirundinis.* *Coagulum leporis.* *Vinum.* *Hedera.* *Semen anethi.* *Alni cinis & folia.* *Mel.*

Lumbrici terræ poterunt conducere uulnus.
Aut facilis lapathi cumulatio uulnera purgat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Et commixtus adeps sed nonnullo sale tactus.
Pinea præterea uiuo cum sulphure cortex
Et pice cum spissa iam perdita membra reponit.

Lumbrici terræ.

Lumbrici terræ.) Plinius libro 30.cap.3.Quod si putrida sint ulcera, uermium quoq; terrenorum cum oleo uetere ad cicatricem perducunt. *Conducere.*) In unum ducere, unire & conglutinare ad cicatricemq; perducere & persanare. *Facilis cumulatio.*) Leuis & modica coaceruatio & additio impositioq; super uulnus. Non enim magna opus est quãtitate, sed parua et modica satis est. *Lapathi.*) Quã uim habeat ulceribus impositum lapathon, autor ipse docet cum ait, Purgat. *Commixtus.*) Scilicet lapatho, sicq; factum medicamentum linteoloq; mundo inductum et impositum, ulcera sanat, ipsa à sordibus purgando, quod utrunq; facit & lapathon & adeps suillus. *Nonnullo sale tactus.*) Hoc est, sale aspersus & salitus. *Pinea cortex.*) Vbi humidiora sunt ulcera, idoneus est ipse per se etiam pini cortex, autore Galeno therapeutice libro 5. Plinius libro 24.cap.7.eundem cum pice spissa contra ea quæ serpunt, utilem dicit. *Viuo sulphure.*) Sulphur uiuũ dicitur quod ignem non expertum est, cuius in medicina usus est. Natura eius excalfacit, concoquit, sed & discutit collectiones corporum: ob hoc tabulis, emplastris, malagmatibus miscetur, ut inquit Plinius libro 35.cap. 14. qui etiam idem cum pice spissa serpentia ulcera sanare tradit libro 24.cap.7. *Pice spissa.*) Picis spissæ natura, ut prodit Dioscorides, est calfacere, mollire, ad suppurationem perducere, discutere, & ulcera explere: misceturq; uulnerarijs emplastris. Plinius de illa sic prodit: Pix spissa cum melle ulcera purgat, explet cum axungia, purgat & putrescentia ulcera, quæ uero serpunt cum pineo cortice aut sulphure. *Perdita membra.*) Carnem membrorum de perditam & corruptam. *Reponit.*) Restituit, & regenerat carnem, ulceraq; carne explet & sanitati reponit.

Lapathon. Adeps suillus. Cortex pini. Sulphur uiuum. Pix spissa.

Ver

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

VERRVCIS TOLLENDIS.

CAPVT LXII.

INTERDVM existit turpi uerruca papilla.
Hinc quondam Fabio uerum cognomen adhæsit,
Qui solus patriæ cunctando restituit rem.
Id poterit uitium sanguis curare lacertæ.

ERRVCIS.) Verruca nunc locum aspe- rum & æditum supereminentemq́ significat, ut Catonis autoritate refert A. Gellius. Sed de hoc nihil ad præsens. Nũc uero cutis morbum qui Græce Porus dicitur, estq́ supereminens in corpore ueluti globulus durior, & rotunda eminentia, tuberculumq́ in summa cuti ex atra bile proueniens, cuius sanguis suo contactu alias quoq; facit. Sunt autem uaria uerrucarum genera, proprijs distincta nominibus, ceu acrochordones, thymion, myrmeciæ & clauus, de quibus Celsus lib. quinto copiose. A uerruca diminutiuũ fit uerrucula. Et uerrucosus dicitur homo uerrucis plenus. Persius, Sunt quos Pacuuius & uerrucosa moratur Antiopa. *Existit.*) Eminet, emergit, prodit & exurgit. *Turpi papilla.*) Deformi tuberculo, instar papillæ in mammis. *Hinc.*) A uerruca. *Fabio.*) De hoc Plinius Iunior in libro de uiris illustribus sic scribit: Q. Fabius Maximus cunctator ut uerrucosus à uerruca in labris, ita ouicula à clementia morum. Consul de Liguribus triumphauit. Hannibalem mora fregit. *Verum cogn.*) Scilicet uerrucosus. Alia enim ceu ouicula et cunctator, non uera fuerunt cognomina, sed ab obtrectatoribus contumeliæ causa illi tantum addita & obiecta. *Qui solus patriæ &c.*) Versus est Ennianus à Vergilio quoq; usurpatus libro 6. Vnus qui nobis cunctando restituit rem. Meminit Fabij huius

Verruca. Verrucarum genera. Verrucula. Verrucosus. Fabij cognomina. Verrucosus, Ouicula, Cunctator.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Valerius Maximus libro 3. ubi post alia de ipso sic infit: Vt Scipio pugnando, ita hic non dimicando, maxime ciuitati nostræ succurrisse uisus est: alter enim celeritate sua Carthaginem oppressit, alter cunctatione id egit, ne Roma opprimi posset. Quam ob rem, ut Plinius in historia naturę refert, coronam meruit gramineam, qua nulla nobilior in maiestate populi terrarum principis, præmijsq; gloriæ fuit. Data est, inquit, à senatu populoq; Romano, qua claritate nihil equidem in rebus humanis sublimius duco, Fabio illi qui rem omnem Romanam restituit non pugnando. *Patriæ.*) Romæ. *Rem.*) Conditionem & statum. *Id uitium.*) Verrucas. *Sanguis lacertæ.*) Plinius libro 30. cap. 3. non modo sanguinem lacertæ, sed & caput & cinerem totius uerrucas sanare prodit. Dioscorides uero id de capite conciso solum refert libro 2. Est autem lacerta è uermium genere, inimicissimum, ut Plinius libro 8. cap. 39. refert, genus cocleis, colore fuluo aut puniceo aut ceruleo. Negantur semestrem uitam excedere.

Aut urina canis cum terra inducta madenti.
Aut herbæ succus quæ fertur nomine lathyr.
Est tithymalus item tali satis apta medelæ.
Si rupta immensos fundit uerruca cruores
Purpureo triti cineres de uellere prosunt,
Quod fuerit uero conchili sanguine tinctum.

Vrina canis.) Idem testatur Plinius libro 30. capite 3. inquiens: Verrucas omnium generum urina canis recens cum suo luto illita sanat. Et Sextus Platonicus, Ad callos & uerrucas tollendas, Lotium caninum cum luto suo in lana collectum, mire sanat, & callos & uerrucas tollit. *Terra madenti.*) Id est, terra quæ mictam urinam suscepit & ab ea madefacta humectataq; est. *Fertur nomine.*) Id est, uocatur. *Lathyr.*) Pro lathyris, per figuram quæ dicitur apocope. Herba est quã Apuleius lacterida uocat, & qui-

quidam inter tithymalos numerant, & priuatim: quoniam pariter illi lac eius purgat, tithymalum uocant, ut Paulus Aegineta scribit: qui hanc etiam ob lactis notam & purgandi uim libro 6. tithymalis alijs adnumerauit. Estq; eadem huic quæ tithymalis circa uerrucas tollendas uirtus. *Tithymalus.*) Tithymalus herba est, quam Latini lactariam siue lactucam marinam, caprinamúe appellant. Cuius septem sunt genera, de quibus copiose Dioscorides & Apuleius. Pellunt omnes & tollunt uerrucarum genera omnia, autore Plinio & Dioscoride. Apuleius lacti huius batrachion herbam iungere iubet, sicq; ambo uerrucis imposita, tertio die sanare dicit. *Si rupta immensos &c.*) Docet nunc sanguinis fluori ex apertis uerrucis mederi, illumq; sistere. Solent enim ruptæ multum fundere sanguinem, qui suo contactu alias quoque nasci facit. Et de hoc etiam dictum est supra cap. 42. *Purpureo uellere.*) Lana purpurarum liquore & sanie tincta. *Quod.*) Vellus & lana. *Vero.*) Genuino & non adulterato, maximeq; Tyrio, qui cæteris præualet, & de quo supra quoquæ capite 42. sic tradit: Verrucæ quoq; desectæ frenare cruorem Dicitur ambustus Tyrio de uellere puluis.

Tithymalus.

Lana purpurea

HAEMORRHOIDIBVS MEDENDIS.

CAPVT LXIII.

EXCRVciant turpes anum si forte papillæ,
Agrestis prodest radix superaddita porri,
Ne uiolet sanum, iuglandis fragmine clausa.
Sal niueum sumes Bethicum quem nomine dicũt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Dulcia cumq; nigra iunges fuligine mella,
Apponesq; super, pellit medicina dolorem.

LIBRI MEDICINALIS
Q. Sereni Sammonici
FINIS.

Hæmorrhoides duplices. Apertæ & fluentes. Clausæ et cæcæ.



HAEMORRHOIDIBVS.) Vltimo hoc capite Serenus hæmorrhoidibus dolentibus clausis & sanguinem non fundentibus mederi docet. Nam quæ apertæ sanguinem manant, aliis & adstringentibus curantur medicamentis, non autem aperientibus, quales in textu ponuntur. Porrò hæmorrhoides: ut Galenus, aut quisquis sit autor, in libro de diffinitionibus tradit: uenarum sedem claudentium explicationes sunt, à sanguinis fluxu sic dictæ. Nam αἷμα sanguis est, ῥοῖς uero fluxus. Et Celsus libro 6. post rhagadiarum & condilomatum tractationem, Tertium, inquit, ani uitium est, ora uenarum tanquam ex capitulis quibusdam surgentia, quæ sæpe sanguinem fundunt, hæmorrhoidas Græci uocant. Quæ quamuis multifariam differant, magnitudine, multitudine, figura, loco, & habitu: omnium tamen communis & una curatio est, sanguinem supprimere: licet nõ semper tuto id fiat, cum detentus qui fluere solebat sanguis, maioris sæpe mali causa sit. Vnde Celsus ait, In quibusdã parum tuto supprimit, qui sanguinis porfluuio imbecilliores non fiunt: Habent enim purgationem hanc, non morbum. Ideoq; curati quidam cum sanguinis exitum non haberent, inclinata in præcordia ac uiscera materia subitis & grauissimis morbis correpti sunt. Aliud genus est quod Paulus Aegineta cæcas uocat, ex quibus nullus fluit sanguis, sed grauiore quàm aliæ dolore nos cruciant. Neque uenæ quibus explicitis hæmorrhoides fiunt, heæ sunt, sed

Hemorrhoides Cæcæ.

intra

intra uenas latens idem hoc malum, ideoq; ad auertendum dolorem aperiri eas oportet, quod in aliis maleficium non remediũ homini esset: cum claudi & adstringi ubi nocent, non aperiri debeant, ne continuus fluor aquescere paulatim corpus faciat, aut copiosior cito hominem interimat. *Excruciant.*) Cruciatum & dolorem inferũt. *Turpes papillæ.*) Tubercula fœda quæ sunt hæmor rhoides. *Anum.*) Podicem, sedem, & ut Auicenna uocat, phicterim. *Agrestis porri.*) Hoc porrum est, quod Dioscorides & Plinius ampeloproson uocant, in uinetis nascens, porri folio. Paulus Aegineta libro ϛ. ἀμπελόπρασον οἷον πράσον ὂν ἄγριον. Et libro ι. τὰ δὲ ἀμπελόπρασα τῶν πράσων ὡς ἄγρια ξηρότερα. Virtus est illi exulcerare & incidere, eodem teste. *Ne uiolet sanum.*) Ne exulcerando circumiacentem carnem sanam lædat. *Fragmine.*) Putamine, cortice & testa inani inclusa. *Sal.*) Sal hoc loco in neutro genere positum est contra Grammaticos. Habet autem multiplices uires, adstringit, exterit, repurgat, disiicit, reprimit, extenuat, erodit & crustas urendo inducit, autore Dioscoride. *Niueum.*) Candidum & pellucidum qui efficacior est cæteris. *Bethicum.*) Hispanum. Betica enim Hispaniæ prouincia est, flumine Beti nobilis, à quo & nomen habet. Sali autem Betico, qui glebis cęditur penè translucentibus, iam pridem palma à plerisq; medicis inter omnia salis genera perhibetur, uti libro 31. capite 7. inquit Plinius. *Fuligine.*) Maxime qua pictores ex uitrariis officinis sumpta utuntur: bonitate enim hæc alias antecedit: habet autẽ exedendi & adstringendi uires, ut tradit Dioscorides.

Porrũ agreste. *Ampeloprason* *Sal in neutro genere.* *Sal Beticus.* *Betis.* *Betica.* *Fuligo.*

COMMENTARIORVM IN
Q. Serenum Sammonicum
FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Z 1.6.98

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

250

1.6.98

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98

BVEE007402
005267091

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.98